GEORGII BARTAL

DE BELEHÁZA

COMMENTARIORUM

AD HISTORIAM

STATUS JURISQUE PUBLICI

HUNGARIAE

AEVI MEDII


LIBRI XV.

Usus me genuit, mater peperit Memoria.
Afran. apud Gell. 13. *cap. VIII.*

TOMUS I.

POSONII, 1847.

TYPIS CAROLI FRIDERICI WIGAND.



Notitiae praeviae

§ 1.

Summa harum.

Scribere de rebus hungaricis aevi, quod ajunt, medii volentem, ante omnia quid de anonymo Belae Regis Notario tenendum censeat, in promtu habere oportet. Quam igitur Katonaius, vir ab ingenua fide verique diligentia clarissimus, legem constituit sibi, de illo ut quaedam historiae suae criticae primorum Hungariae Ducum praeponeret, valde probo; planeque sentio, ex praesentis instituti ratione praecipuum esse quodammodo munus pensumque meum, ut quoniam in hoc historiarum genere, quod circa initium, incrementum, summamque collocatae aliquo statu per Hungaros rei publicae, mutatasque, crescente aetate, formas hujus repraesentandas versatur, domesticus ille et antiquissimus auctor est, de aetate laudibusque ejus, in retegendis horum Commentariorum fontibus primum disseram, paulloque uberius. Vocantur vero fontes mihi generatim proba quaeque antiquitatis monumenta ejusmodi, quae ad memorias hungaricas, intra modum instituti hujus, seu exequendas seu classicorum instar testium illustrandas, rem igitur causamque praesentem excolendam conferunt. Ortum eorum, si consideres, alteri domestici sunt; alteri externi; dicam de utrisque non plane supervacanea et protrita vulgo: de domesticis prius, de extraneis deinde. Laboris postmodum adjumenta,

et doctas indicabo tum popularium de Hungaria, tum vero praestantissimorum quorumdam Germaniae, Galliae, Angliae ingeniorum de reliqua Europa aevi medii lucubrationes, ad quas vel monito d. Stephani antiquos se in constituenda Monarchia, aequalesque imitatum Augustos profitentis advertere animum par est; extremum de ansa, modoque operis agam, quoad fieri poterit brevissime.

De fontibus operis praecipuis.

I.

qui ex domesticis, vulgo

a) historici audiunt; speciatim:

1. De Commentario anonymi Belae Regis Notarii.

§ 2.

Prima Prayi de auctore Sententia

De aetate Notarii hujus Regii (Cancellarium hodie dicimus) inter scriptores non convenit. Katonaius illam ad aevum Belae I refert, sua tamen concedit voluntate, posse eam non invitis monimentis ad seculum XII. removeri; dum ne rejiciatur ad tertium decimum, quo Bela IV. rerum apud nos potiebatur. Ad Prayum hoc spectat jure Parentis historiarum Hungariae commeritum nomen, qui eum Notarium infra tres Belas collocandum in Annalibus suis contendit; post vulgatum enim per Spiessium diploma Belae III. de a. 1181 iste quoque a sua illa sententia huc [1]) recessit, ut fiducia verborum: „Pauli mei Notarii, nunc autem Epis-

[1]) In notit. praev. ad hist. Reg. Hung. § VII. ad a.

copi Ultra sylvani" hunc demum Paulum diutius quaesitum Belae Regis Notarium scriberet, sibique et multis non vulgaris doctrinae viris etiam persvaderet. Ante, aliquanto, quam altera haec Pravi sententia percrebuisset, Daniel Cornidesius, proprio sibi eruditionis doctrinaeque amplissimae apparatu, nec minori judicio, Commentarium ejusdem argumenti adornavit, quod a fatis ejus Engelius praefixo titulo: Vindiciarum anonymi Belae Regis Notarii, edidit, cura hac sua non de Cornidesio tantum, sed fama quoque Hungariae literatae insigniter meritus. At enim et Cornidesius Notarium illum, cui Belarum adscribat, subductis utrinque rationibus dubitat, lucubrationemque suam his demum verbis concludit: „utramlibet quis sententiam eligat, id saltim evictum se dedisse, anonymum nostrum intra annos **1141** et **1235**, qui scilicet ab obitu Belae **II**-di ad primum annum regiminis Belae **IV**. intercesserunt, floruisse" [1]) Haec viri doctissimi de fructu laboris sui confessio id valet, quantum si diceret: posse omnino Notarium illum infra tres Belas, non tamen ultra annum **1235**. collocari. Quod ei penitus assentior.

---

[1]) Vindiciar. p. 136.

§ 3.

ad Notarium Belae IV. junioris Regis reducta,

Sed per tempus hoc unum in integrum (ita loqui Majores nostri amabant) alterum in partem Reges habuimus, quorum utrique Belae nomen fuit. De illo, Belam **III**. puta, celeberrimus hic auctor egit affatim; de isto, nepos, qui fuit illius ex Andrea filio genitus, nihil admodum; licet anni, quibus aetatem regii Notarii nostri circum scripsit, spatia quoque per Belam hunc **IV**., ut juniorem decursa Regem comprehendant. Quod igitur Cornidesius, neque enim dubitare licet, sensit,

sed omisit dicere, ita, si tibi videtur, accipe. Jam Andream II. Dalmatiae et Croatiae praefectus dum esset, Notarium habuisse. Petrus erat de genere Milke. [1]) Belam item eo Andrea genitum, et anno **1216** solemni coronatum ritu, mox, atque anno **1223** (sexto decimo aetatis suae) provinciarum illarum gubernator renunciaretur, et sigillum [2]) et Notarium, voluntate Patris accepisse. Et hunc quidem hungarum, claris ortum natalibus, literis, pro modo illorum temporum, liberaliter excultum, qui sacris Ordinibus initiatus, a prima inde adolescentia in regia aula versabatur. Regius Notarius hic non tantum intra aevum per Cornidesium meditato descriptum consilio muneri huic praefuit, sed eodem plane, quem ille supremum apposuit, anno (**1235**) Notarius esse desiit. Is itaque est, a quo cum omnia absunt longissime, quae adversum recentiores Belae IV. jam in universum Regis Notarios non injuria adferuntur; nihil contra absit, quin operis illius non tam existimari auctor, quam statui possit. Quod ecquidem, ne multis te morer, ita mihi persvasum profiteor, ut primae Prayi sententiae ad hunc reductae sensum, contra ipsum Prayum, qui detecto, quod diximus, diplomate, semet amplissima Kollári inter eruditos auctoritate in communem abduci errorem, et de initiali nominis Notarii hujus litera idem cum eo sentire passus est, tamquam jure quodam adoptionis jam meae penitus insistam. Sed prius quam hoc persequar, de exemplo operis Viennensi dicendum est.

---

[1]) Timon Epitome Cron. ad Emer. Regem. — Katona H. Cr. T. IV. p. 489, 491.

[2]) Pray Hist. Reg. Hung. p. 204, ubi perigraphen quoque Sigilli ejus de hoc et anno 1226 exhibet.

§ 4.

praemissa de exemplo operis Viennensi

Vox „Pdictus," in exemplo operis Notarii Belae Regis Viennensi (autographum hoc, an apographum sit,

postea videbimus) prima, Schvandtnero „Praedictus", Francisco Adamo Kollár, quod siglam in ea latere suspicabatur, interpunctione ex suo ingenio addita „P. dictus" legitur. Utra igitur alteri praeferenda lectio sit, nondum indagatum esse cum viderem, ad ipsum manu exaratum codicem hunc invisere constitui hoc magis, quod illud Kollári jure alioqui celeberrimi de nimia auctoris hujus modestia, per quam evenisse ait, ut non se Magistrum Notarium, more jam recepto, sed dictum Magistrum scriberet, semper mihi non serium satis, prope dixi, nugatorium visum est; judicium autem Belii rectum omnino et sincerum, qui cum Notarium hunc multifariam laudat; tamen aliquo etiam gloriolae adspersum studio, propriis ejus docet verbis [1]).

---

[1]) Sunt haec ad calcem prologi: Felix igitur Hungaria, cui dona sunt data varia; omnibus enim horis gaudeat de munere sui literatoris, quia exordium genealogiae Regum suorum et Nobilium habet.

§ 5.

observatione,

Inspecto penitius codice, quod de eo Cornidesius testatur, plena manu laudo, cupioque certissimum esse omnibus: „exemplum hoc operis non auctoris autographum, sed ex autographo, vel saltim ex vetusto aliquo apographo, non sine mendis pluribus, Sec. XIII vertente, vel ineunte XIV, exscriptum". Addere, si quid judico, poterat: exscriptorem meliori virum animo, quam ingenio primitivam quoque salutandi formulam simplicem illam et, ut inter veteranos amicos, familiarem brevemque, amplificasse, neque illorum, sed suae accomodasse aetati, Belae IV. temporibus citeriori. Etiam haec, quae clarissimus Endlicherus in prolegomenis ad librum eum per se novis curis editum adnotat „primam folii faciem anteriorem vacuam relictam, ad eum haud

dubie finem, ut data opportunitate, a caligrapho aut rubricatore, qui ut apud Graecos vix non semper, ita apud Latinos non raro a librario, qui codicem exaravit, diversus omnino fuit, titulus opusculi, pro ejus aevi more adpingeretur; hoc tamen in nostro, prout et in aliis multis factum esse nunquam" ita se habent, rationemque simul continent vocis „Praedictus", ut quae per exscriptorem in altera folii primi facie, primoque loco posita se ad id refert manifeste, quod hic vir bonus pictoris scribi manu in prima facie voluit. Recte denique Endlicherus libello suo ectypon quoque protypi vocum ad initium codicis positarum subjunxit. Sunt hae istiusmodi: Pdıctus magıster ıncıpıt ploğ ın gesta hungarum ac quondam bone memorıe glorıosıssımı bele regıs hungarıe notarıus n. suo dılectıssımo amıco vıro venerabılı et arte lıteralıs scıentıe ımbuto salutem et sue petıcıonıs effectum". Isthic itaque voces: „Pdıctus magıster" a particulis „ac quondam" longissime, tanto namque intervallo distant, quantum voces recentiori interpolatae manu, rubroque distinctae colore „ıncıpıt ploğ ın gesta hungarum" alienissimo loco hoc, nullo jure occupant. His propositis, quaerere jam juvat, quid si Schvandtnerus haec ita dederit:

„Incipit Prologus in"
„gesta Hungarorum"

„Praedictus Magister, ac quondam bonae memoriae gloriosissimi Belae Regis Hungariae Notarius cet. an nihil is ab accuratione, qua in transumendis sine diminutione vel augmento literis inclaruit, aberret? Atqui ita vir praestantissimus alioquin, bonoque historiae Hungarorum natus ista dedit, vocibus „incipit prologus in gesta hungarorum" ex linea prima, velut loco peregrino, excerptis, positisque in capite; voce autem „Magister" particulisque „ac quondam" quae in Codice illo haud modicum ab invicem absunt, continenti arctissimoque nexu copulatis; quin spatium, quod inter eas librarius vacuum reliquit, et post expulsas inde voces peregrinas multo etiam jam apparuit clarius, seu in

textu signis aliquibus [1]) seu extra hunc quacumque indicaret nota. Quod quidem si fecisset non viri solum a literis instructi, sed harum etiam non penitus rudes advertissent, scriptorem codicis, ut in prima folii facie ita hic quoque a vocibus, **Praedictus Magister**, locum reliquisse vacuum, ut huic pictoris manu et nomen auctoris et gradus honoris, quem ille deinde in Hyerarchia hungarica altissimum ascendit, inferretur, cum quo per particulas „ac quondam" cum cura, et prorsus ad fidem historiae delectas gestum olim per eum Notarii munus bene omnino congruebat. Hic editoris primi oscitatio, et quod familiam ducit, eruditum Kollári, in effingenda sigla P. arbitrium constituit fontem litium, quibus de sensu ingressus hujus pugnatur. Atque hoc sic detecto, ecquidem non literam P. aut cum non nullis B. in nomine auctoris quaerere in animum induxi, sed eum ipsum in opere officinaque sua convenire.

---

[1]) Exempli causa: Praedictus Magister . . . . ac quondam bonae memoriae cet. Indicio hujusmodi praetermisso, meliorem vir optimus apud lectores initurus erat gratiam, si textum codicis, uti est, integrum illibatumque edendo, de sensu salvum cuique esse judicium suum voluisset.

§ 6.

vera esse probatur ex Opere ipso,

Quo facto, hoc consequutus sum, ut meam illam de Notario hoc Belae IV. juniori Regi adscribendo sententiam et rationes tueantur jam antea per Prayum, Cornidesiumque allatae, et vero plurimi propugnaculorum instar defendant loci operis, quos illi ad alia festinantes aut penitus silentio praetervecti sunt, aut obiter tantum et in transcursu attigerunt.

§ 7.

Stylo nempe,

Jam primum opus id totum verbis loquendique formulis ejusmodi refertum est, quorum ante aetatem Belae III. aut nullus aut infrequens usus, in consvetudinem auctori nostro familiarem, sensim, et quam maxime Andrea II. Rege adolevit. In illis nomina: Magister Agazonum, Halicia et Lodomeria, Blaci cet. numerantur allata jam per Prayum, et phrases ex Darete Phrigio sumtae, quibus solerter collectis, auctor recentior, argumentum praesens haud modicum illustravit. [1]) His unum modo adjicere liceat, de cujus pondere infra multo judicabis exploratius: axioma nobilium velut sub initium Sec. XIII. nondum vulgatum, in Regesto Varadiensi, hac conscripto aetate, ne semel quidem occurrere; apud Notarium hunc jam non nobilium tantum, sed nobiliorum quoque et nobilissimorum eam esse copiam [2]), ut per sese vel ad depugnandum pro Bela Andreae II. filio sufficiant.

---

[1]) Résö Enselius in Tudom. Gyüjt. a. 1832.

[2]) Confer cap. 14. 15. 46.

§ 8.

locisque ejus

Vetus Prayi sententia capite operis hujus tertio nititur maxime, magis etiam, quam auctor pensi habuerit, dum inauspicatissimum ab ea discedendi secum iniret consilium. Prope enim est, ut cum Plauto dicas: esse

tam hoc quidem tibi in proclivi,
quam imber est, quando pluit;

— verba haec „vel ideo vocatus est Almus id est: Sanctus, quia ex progenie ejus sancti Reges et Duces erant nascituri“ nisi post apotheo-

sin b. Ladislai a. 1192 peractam, duosque jam Hungariae Reges Divorum fastis additos, scribi non potuisse. Haud equidem nescio, epithetum Sanctorum tribui saepe Regibus, quibus honores caelestes decreto Eclesiae non habentur. Quos tamen hic tenet scrupulus, meminisse velim: verba illa esse non scriptoris cuicuimodi, verum Cancellarii, stylo Curiae Regiae, virtutibusque et dignitatibus verborum appendendis insveti, et qui ad haec in prologo ingenue declarat, optimum se duxisse, ut vere et simpliciter scriberet. Quo quidem instituto suo ad vulgi accomodato ingenium, sanctos populo Hungariae Reges adstruere ante annum 1192 nequivit. Quapropter? quia populus antea unum modo Stephanum, sanctum Regem publice, privatimque novit, et ideo festum ejus „Szent Király napja" festum S. Regis (Reg. Varad. num. 282) vulgo dixit. Est igitur alia appellationis „Sanctorum Regum" propria quaedam, et plane singularis apud Hungaros ratio, religio vero tanta, ut cum in ea celebritate apotheosis s. Ladislai, lege, opinor, constitutum esset: Regum horum ut Numina in auspicandis proeliis invocarentur; usu deinceps perpetuo et hos propitios solemni carmine „Szent Királyok segétsetek (ss. Reges adjuvate nos) comprecarentur sibi, [1]) et in legum tabulis, appellatione hac, unis his Hungariae Praestitibus indicandis uterentur, quae nullum, speciatim art. 57. 1498. [2]) habitura sit sensum, si nugis, quibus aliqui hoc triumphantem argumento Prayum insectati sunt, quippiam detuleris.

---

[1]) Chron. Dubn. praeclara Podhr. opera Chronico Bud. additum pag. 323: sed Hungari clamantes „Sancti Reges adjuvate nos" victoriam habuerunt. Vetustae consvetudinis hujus exstantissimum aliud est in lit. Car. Rob. C. D. VIII, v. 2, pag. 203 vestigium, „ubi Deo auxiliante, et sanctorum Regum nostrorum Praedecessorum juvamine opitulante, victoriam laudabilem habuimus."

[2]) Art. 57. 1498 „ab illis vero, quibus perpetuo aut alio quocumque jure honor alicujus Comitatus hactenus collatus fuisset, auferatur; nisi per sanctos Reges superinde aliquas collationes, sive privilegia habuerint."

§ 9.

sane quam plurimis quibus, ut par est, illustratis

Illud profecto rectissime Prayus, quod vocabuli Comitatus apud Notarium hunc Parochiae, Castri et Districtus vicem adhibiti usum praesentissimum aetatis ejus esse indicium contendit. Verum tamen argumentum hoc etiam pro Paulo ejus valet; pro Notario Belae IV. junioris Regis, verba ea proprie clarissimeque faciunt cap. 52. „tum Dux Usubunec dedit castrum Bezprim cum omnibus appendiciis suis, et Veluquio dedit Comitatum de Zaránd et sic ceteris Nobilibus honores et loca condonavit" Notarium enim haec digito indice monstrant, cui solemnis concludendorum diplomatum formula „et aliis Comitatus regni tenentibus et honores" ultro sub calamum venerit. Atqui lemma hoc non ante Andreae II. tempora publicis Regum literis inolevisse jam in comperto est. [1]) Ex quibus illae Ladislai IV. „Comitatum Berzencze, non ut honorem, sed in perpetuam possessionem Episcopatui Zagrabiensi conferentis" [2]) haec Notarii nostri verba ita interpretantur, ut studium meum de vi et sententia horum disserendi, nemo sit, quin remittat; restant autem plura, de quibus in mea causa hac per me est explicandum.

[1]) Katona Hist. Cr. T. IV. p. 1050. — Cod. Dipl. T. III. v. 1. p. 108 editae And. II. de a. 1211 literae vocibus „Comitatus tenentibus et honores" concluduntur.

[2]) Anno 1277, apud Katona Hist. Cr. T. VI. pag. 721.

§ 10.

non tam intelligas, quam videas,

Cornidesius ad haec cap. IX. „et jure terra Pannoniae pascua Romanorum esse dicebatur [1]) nam et

[1]) Thomas item Archid. Spal. c. XIV. hist. Salonit: haec regio dicitur antiquitus fuisse pascua Romanorum.

modo Romani pascuntur de bonis Hungarorum" satis habet observare: vix ac ne vix quidem dictum hoc aculeatum jacturum fuisse in Romanos bonum illum, eosdemque in invidiam adducturum, si ab italis parentibus oriundus, vel saltem ab illa non adeo fuisset aversus natione „in causam vero aversionis hujus inquirere, eamque ad certum adfigere tempus lectorum reliquit judicio. Age itaque, amabo te, fac sciam ex his quisnam est, probabilem qui offensionis illius rationem ex temporibus Belae II. arcessere valeat? imo vero dic, quis unus est, qui tametsi, dum ad Belam III. et Gregorium de s. Apostolo ter in Hungariam legatum pervenerit, parumper dubitet, suspensusque animi aliquamdiu haereat; tamen visa Belae IV. ad Alexandrum IV. Pontificem Maximum epistola, hujusque responsione [1]), hac: non in super illa suggestio debet movere cor tuum, quod praedicta Sedes maxime in extraneorum provisionibus [2]) nimium gravaverit eclesias regni tui" non totus in eam rapiatur sententiam, aculeatum dictum hoc ad aetatem Emerici et Andreae et Belae junioris Regis, perstringendamque adultam jam tunc avaritiae legatorum pontificiorum consvetudinem pertinere. Engelius quidem causam aversionis phrasi ea involutae, inde petit, quod sedes episcopales in Hungaria Itali tenuerant. Neque est, quod valde repugnem; praesertim quia non una justae querelae causa, sed plures, et in his provisio quoque Eclesiarum fuit. At enimvero vel hac etiam parte dominatus Pontificum seculo demum Belae III. exerere semet in Hungariam caepit.

---

[1]) Katona hist. Cr. T. VI. pag. 288.

[2]) Insolitam antea obligationem ex Decr. Gregor. VII. initium sumpsisse, hunc namque a. 1079 in Synodo Romana decrevisse, ut recens creatus Antistes, alia inter, jure jurando promitteret „Legatum apostolicae sedis, quem certum esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo;" luxum item et avaritiam Legatorum hujusmodi discas ex Svorenyio Fasc. IV. p. 142.

§ 11.

auctorem ejus Belae IV. junioris Regis Notarium fuisse

Qui auctorem Commentarii illius Belae II. qui item Belae III. Notarium faciunt, dissimulant locum operis, sententiae utrique pariter, aeqvaliterque adversantem. „Quando Scythici, ait is cap. I, victoriam habebant, nihil de praeda volebant, ut moderni de posteris suis." Vim verborum horum, quibus auctor mores castigat aetatis suae, ex eventis temporum Belae II. aut tertii explicare nequicquam tentes; indicium simultatis sunt, quam jam flammigantem Rogerius in miserabili Carmine suo describit „Nobiles, habet ille, cum cordis amaritudine referebant, Reges, qui pro tempore fuerant (inter hos numerantur etiam Bela II. et III.) revertentibus ab expeditione vel captivorum propinquis recompensationem et remunerationem congruam fecisse; villas, possessiones, et praedia concedendo eis in perpetuum possidenda. Hunc autem (Belam IV.) non solum eis non addidisse aliquid, sed concessa ad jus et proprietatem revocasse." Quod quidem Rex hic etiamtum adolescens, auctoritate quidem patris, sed ex suo quoque ingenio fecit perlubenter, nec satis pro cauto, ut qui ea jam aetate aleam de spebus populi jecerit. Atque ad hanc Belae adolescentis parsimoniam comparatum videtur illud cap. XI. „morem esse bonorum Do„minorum suos fideles remunerare" aliud item cap. XXIX. „morem esse bonorum Dominorum suos diligere fideles" et quae cap. XXII, XXXIII et XLIX non de militibus tantum, sed nunciis etiam, qui gaudia ferrent, donandis, Belae parum largitori, nec modico, ut videbimus fastu, vir urbanus, placide mollique brachio insinuat [1]).

---

[1]) Sic. cap. IV. „Almum pium, benevolum, largum, sapientem, bonum militem, hilarem datorem omnibus illis, qui in regno Scythiae tunc tempore erant milites" describit.

§ 12.

Notio finium Caranthanorum;

At at interpellant nonnulli, locus cap. L. „Carintinorum Moroanensium fines, crebris incursionibus diripuerunt, quorum multa millia in ore gladii occiderunt et regiones eorum possederunt et usque in hodiernum diem potenter et pacifice posteritas eorum detinet" pro Bela II. loquitur; nam finibus Carintinorum, ita illi, intestino filiorum hujus bello amissis, nihil quidquam ex hac parte reliquum fuisse, quod Belae III. vel IV. Notarius, per Hungaros, pace aliorum teneri scribere potuerit. His ego aut potius Cornidesio, quippe enim hoc quoque argumento primus ille usus est, ipsum Cornidesium oppono, qui sua voluntate concedit, neque huic loco eam esse vim, ut non plane commodum ad aevum Andreae II. (cum quo Notarius noster temporibus iisdem vixit) trahi possit. Testibus, quos in hanc rem dat, nil mihi nunc opus; neque enim jam hic Carantana hungarica peragere constitui; cum Cornidesio, quem ecquidem nunquam nimis, ne satis quidem laudavero, expostulare fert animus: nihil eum virum nempe gravem, de angulo, qui in extimis provinciae Zaladiensis finibus inter Dravi Muraeque amplexus ridet, curasse, ut quo hic aetate Caroli Magni, aut saltim Arnulphi Imperatoris spectaverit, extricaret. — Pars erat provinciae Carantanae per Carolum M. literis anno 810 exaratis [1]) ita divisae, ut „Dravus fluvius, qui per mediam illam provinciam currit" terminus esset Dioecesium Patriarchae Aquilejensis et Episcopi Salisburgensis. Hanc ad limitem Pannonicum sitam cum contigua regione, Arnulfus, beneficio patris, ab obitu Arnulfi Hungari acceperunt armorum jure. Sed Carantanae horum ditiones, postquam pars in dotem filiae Belae I. cessit, ad praesentem fere modum (fines, et sic ut ad

---

[1]) Integras Hansicius dedit in Germ. sacra T. II. pag. 120.

Rabam et Rabuceam, regiones, partem itaque totius, non totum, Belae Notarius indicat) redierunt; intra quem per Hungaros nunquam non, ac tum quoque, dum Bela III. et Andrea II. Regibus, lis de partibus Carantanis maxime fervebat, et pacifice et potenter tenebantur [1]). Quod isthic delibasse suffecerit, ut appareat: omnino parvum id esse momentum, quod allato superius argumento maximum inesse nonulli existimant. Jam, quod sequitur, non ad hos tantum, quos aliqua causae praesentis cura attingit, sed quosque rem Hungaria diplomaticam qui profitentur, pertinet.

---

[1]) Hic ille est Pauli Ritteri apud Farlatum Illyr. sacri t. V. p. 402. Archidiaconatus Muracensis (rectius Muraköziensis) de quo inter Episcopos Salisburgenses Zagrabiensesque, ac illos quidem auctoritate literarum Caroli M., hos antiquissimo Hungariae Regum jure, usuque nixos diuturna erat lis, per Gentilem demum Cardinalem sedis Apost. legatum ita sopita, ut ab aetate Augustini Gazottii (Episcopus erat Zagrabiensis) in praesens usque Parochiae illae Muracenses in Dioecesi Eclesiae hujus numerentur in duos Archidiaconi Bexinensis per provinciam Zaladiensem districtus, alterum campestrem, montanum alterum divisa.

§ 13.

Axiomatis item „viri venerabilis“ explicatur.

Cornidesius ad locum operis Notarii Belae Regis „venerabili viro N“ quid apellationes venerabilis, et reverendus differant magno conatu inquirit, censetque epitheto illo Archiepiscopum vel alium principis in hyerarchia gradus virum significari [1]). Hac tamen vice incassum ille tantam operam dependit; melius ejusdem facturus pretium, si quod magis etiam ad rem futurum erat,

---

[1]) Atque hanc ejus opinionem et Schvartnerus (Introd. in rem dipl. T. III. c. 2. §. 180) et ceteri Diplomaticam professi auctores patrii suam fecerunt.

vestigare continuasset, quid inter venerabilem in Christo patrem, et venerabilem virum Notarii nostri, apud scriptores aevi medii distet? Ex his enim liquet: Archiepiscopos et Episcopos „venerabiles in Christo Patres“ apellatos „venerabiles viros“ autem ex usu loquendi aetatis illius Praepositos, Canonicosque Eclesiarum, neque hos tantum; verum alios item dictos fuisse sacri et profani Ordinis viros, qui aliquo honoris gradu ceteris praestabant. [1])

---

[1]) Apud Marculf „praesentibus quam pluribus viris venerabilibus Rachinburgis „cap. I. et VI. Apud Flodoard l. II. cap. IV.“ petitus idem rex a praefato Praesule per Samniacum Diaconum virum venerabilem. In literis Colomanni R. (Katona Histor. critic. T. III.), tunc Rex venerabiles viros in praestaldos mihi constituit, videlicet Cepham Curialem C. Moysi, aliumque Bathona nomine. Apud Farlatum T. IV. p. 243.“ in praesentia Episcoporum ac multorum aliorum virorum venerabilium. „Plura vide sis in LL. EE. Ignatii de Batthiany T. III. ubi Synodus Budensis de a. 1308 p. 14. 16. Canonicos et alios inferioris ordinis viros, venerabiles viros apellat. His consonant formulae styli p. 62. 72. 79. allatae, item literae Benedicti Papae de a. 1340 pro parte Eclesiae Zagrab“ et venerabilium virorum Capituli ejusdem Eclesiae, pag. 176, aliae item pag. 181. Nuncii sedis Apostolicae“ Reverendo in Christo Patri Archi Episcopo Strigoniensi et venerabilibus ac discretis viris, Vicariis, Officialibusque ejusdem Archiepiscopi etc.

§ 14.

Fuit autem vir ille venerabilis Notarii nostri, Nicolaus Eclesiae Cibiniensis Praepositus, post paulo Vice-Cancellarius Belae IV.

Quae quidem ita cum sint, his ego Notarii nostri verbis quem salutatum affirmem, habeo. Nicolaus est Praepositus Eclesiae Cibiniensis [1]) nobilibus aeque, ut

---

[1]) Cod. Diplom. VII. v. 2. p. 275. et Szvorényi v. c. p. 180.

Rogerius testatur, natalibus ortus, quem cum Notario nostro in juventute, magistris iisdem disciplinae bonarum artium operam navasse, et ut hic primordia gentis, qua editi ambo essent, perscriberet vehementer auctorem fuisse ex prologo operis ejus novimus. Nicolaum hunc deinde Bela IV. anno **1234** Vice-Cancellarium suum renunciavit; Matthiae (hoc enim Notario nostro nomen) dum in vivis esset, familiaritatis, necessitudinisque vinculo, per mortem vero ad Sajonem oppetitam, aequali heroicae quoque fortitudinis gloria in perpetua tempora conjunctissimum.

§ 15.

Biographia auctoris;

Fuit is Belae IV. inde usque a pueritia hujus, ut qui maxime charus, munusque Notarii ejusdem anno, ut diximus **1223** adivit, et per omne laboriosissimum sane, ut ait, seculi hujus spatium, quo Bela IV. Croatiae usque annum **1228**, post deinde Transylvanis praefuit, ita gessit, ut a consiliis ejus semper praecipuus esset. In primis muneris sui auspiciis, honore Praepositi Zagrabiensis auctus, gliscente intra aetatem hanc Pontificum Romanorum in nominandis Eclesiarum Hungariae Praesulibus dominatu, diu non ultra eluctari potuit. Anno tamen **1235** Episcopus Vaciensis [1]) renunciatus Eclesiae huic non longe minus annis quatuor praefuit; a morte namque Roberti Archiepiscopi Strigoniensis, concordi sufragio capituli ejatis, ad sedem hanc postulatus est. Gregorius IX. simulata causa, postulationem minus canonice institutam esse, reipsa, quod in eum sacerdotibus Italis opes Hungariae ligurientibus adversum minus aequo animo esset, tanti auctoritatem mu-

---

[1]) Cod. Dip. T. IV. v. 1. p. 178. Post vulgata per Vagnerum Diplomata terrae Scepusiensis primus eum in seriem Episcoporum Vaciensium Desericius postliminio intulit.

neris impertiri Mathiae cunctabatur. Capitulum itaque socium suum una Praepositum de Scipis Mathiam [2]) de genere Hermanni, cum aliis ad Pontificem delegavit, qui scrupulum ejus submoverent; Bela IV. vero literas ad eum dedit in hanc sententiam „quod dictum Episcopum fidelissimum invenerit, et in omni negotio valde circumspectum et discretum, et praeterea cum multis annis Cancellarius suus fuerit, sciat eundem esse vitae mundae et honestae.“ [3]) Ad quae tandem Pontifex anno 1239 respondit: „Belae Hungariae et Colomanni Regum illustrium et aliorum fidedignorum testimonia de vita et conversatione honesta, literatura et gravitate morum eundem Episcopum apud se reddidisse quam plurimum commendatum.“ Quae quidem laus literati aevo illo admodum rara, postmodum Rogerio alterius de sec. XIII. opusculi, quod de clade tatarica Carmen miserabile inscriptum est, auctori per Innocentium IV. tribuitur. Pallium Matthiae Archiepiscopo Gregorius IX. sexta Martii a. 1240 misit, per Ugrinum Pontificem Colocensem ante aliquanto impositum, quam hoc quoque nominis hungarici lumen ad illum dira acerbissimae cladis nostrae nobilitatum memoria fluvium, editis plurimis heroicae virtutis facinoribus, mortem obiret, rectius: ad societatem sempiternae laudis Duumvirum illorum tertium se adjungeret. [4])

[2]) Vagnerus in Anal. Scepusii; in quibus I. p. 293 ceterorum quoque legationis hujus sociorum nomina exstant.

[3]) Katona Hist. Ecles. Coloc. P. I. p. 283.

[4]) De heroica ejus virtute Thomas Archid. Spal. plura.

§ 16.

eximia rerum patriarum peritia

De plerisque diplomatibus Matthiae exaratis manu historiophilus emicat. Ita enim natura comparatum est,

ut, quod quisque contentius exercet, studium celare, et si maxime velit, non possit. Non igitur solo tantum opere illo de gestis Hungarorum, quod equidem cum auctore „exordium Genealogiae Regum et Nobilium Hungariae" apellari mallem; verum quavis oblata quaesitaque occasione Historiam gentis suae excoluit. In Diplomatibus his illud pro Radus et fratre hujus de Klokocsa filiis jobbagionum s. Regis de Goricza jam Kerchelichius [1]) ut insigne monumentum eruditionis, rebus plenum, eruditissimus ipse jure laudavit. Ad elucubrandum enim Domus Regiae militum primaevamque apud Hungaros liberorum hominum (Szabados Felek) notionem plurimum praestat.

---

[1]) De regnis Dalmatiae cet. notit. praelim. p. 190. 191. verba Diplomatis hujus „qui de filiis Jobagionum s. Regis de Goricza oriundi fuerant cet. tanta donavimus praerogativa libertatis, ut tam ipsi, quam ab eis in perpetuum descendentes de domo et familia nostra de cetero (deinceps) censeantur. — Hospites, quos praedicti liberi homines habuerint — decem denarios debent persolvere annuatim pro marturinis; unde quilibet de praefatis liberis hominibus tertiam partem marturinarum habet; duas vero partes, quae ad jus nostrum pertinebant, Radus et haeredibus dedimus." operae pretium duxi huc adscribere.

§ 17.

ex diplomatibus per eum exaratis

Gratulatur sibi Ignatius C. de Batthiany Legendae majoris de vita s. Gerardi editor [1]), diploma Belae IV.

---

[1]) In libro, quem „S. Gerardi Episcopi Chanadiensis Scripta et Acta hactenus inedita" inscripsit cum eximia auctoris Legendae apologia Albae Carolinae a. 1790 edito. Operis jam rarissimi exemplar meum Josephi e Comitibus Teleky non solum dignitate Regii per Transylvaniam Gubernatoris, sed eximiae quoque eruditionis laude excellentissimi munus est.

se apud Prayum reperisse, ex quo didicerit Civitatem postmodum Cenadinum, Chanadinum dictam, alio nomine Morisenam veteribus fuisse apellatam. Ego vero, non dici potest, quam valde gaudeam, hoc item tantae diploma utilitatis nostri hujus opus esse Notarii Regii. Neque dissimulo confiteri, venisse mihi in mentem cogitare: ipsam adeo Legendam hanc, scientiae civilis et historiarum distinctissimam luminibus, eundem habere auctorem. Demto enim apud Vionem cap. **23**, quod post annum **1361** adjectum est, reliqua pars aetatem Notarii nostri prae se fert. Styli simplicitas et gratia utrobique eadem; cura priscos Hungarorum mores perscribendi par, et haec quidem Legenda de Domus Regiae, Principumque Domus hujus, provinciae item significatione; de consvetudine Belliducem publicis Comitiorum sufragiis legendi; alia porro Episcopos et Abbates ad locum cathedralem, in quo majora festa, junctasque his Curiae dies cum Rege transigerent, convocandi; de promtissima Hungarorum sacra christiana recipiendi voluntate; mutuis inter Eclesiam graecam, latinamque, uti res in principio erat, germanitatis officiis per recentiores scriptores silentio neglectis, perpetuo denique apud gentem hospitalem conviviorum usu, plura et scitu perutilia et lectu jucunda continet. Verum de Samuele Aba a Regio illo Notario seorsum sentit. Est igitur alius Legendae hujus auctor, sed pietate in Majores, cura in posteros alter idem ferme Notarius.

§ 18.

conspicua;

Ejusdem denique Notarii opus est Diploma Jobagionibus Castri Zagrabiensis campum Turopolya incolentibus anno **1225** collatum, quod nemo peraeque rerum ad veterem Hungariae statum attinentium vel modicum

curiosus ignorare [1]) ex his vero, quantus in ceteris ejus Diplomatibus, quae adhuc latent, thesaurus reconditus sit, conjicere quisque potest.

---

[1]) Cod. Dip. III. v. 2. p. 451 „ab obligatoria servitute castri Zagrab. eximentes — liberati inferioris officii vinculo gaudeant, et honesta societate servientium Regis — et concessae libertatis Nobilitas in totam successionis posteritatem transfundatur — introducti in participationem regalis domus glorientur de libertatis munere, quod adepti sunt fidelitatis devotione.

§ 19.

summaque commentarii ejus auctoritas.

Atque hunc talem Belae IV. Notarium, etsi hominibus quibusdam vanis, suos qui Majores non in numero principalium personarum per eum habitos injuriam suam interpretabantur, horumque assentatoribus jam olim parum gratum [1]) neque nunc obtrectatoribus [2]) carere cognitum habeam, ecquidem ita recolo, ut quibus eum Belius, Cornidesius, Kerchelicsius, Katonaius et quique solidioris doctrinae viri cumulant, amplissimis laudibus

---

[1]) Ita Chronographus apud Thur. P. II. cap. 9. „cum igitur Codices quidam contineant, quod isti Capitanei septem Pannoniam introierint et Hungaria ex ipsis solis edita sit, ac plantata; unde ergo venit generatio Akus-Bor-Abae aliorumque Nobilium Hungarorum, cum omnes isti non hospites, sed de Scythia descenderunt etc.

[2]) Quorum agmen Schlözerus ducit. Vide Pray Hist. Regum Hung. l. c. superius. Notarium is Belae Regis partem historiae suae ex cantilenis sumsisse gravatur. Quid ita? an non hoc ipsum vetustissimi rerum Romanarum fecerunt scriptores, non solum promtissima virorum celeberrimorum venia, sed laude etiam singulari? (Niebuhr Röm. Gesch. I. Th. p. 268 et seq. tum IV. Th. p. 28 confer etiam eruditissimas Notas ad Valerii M. l. II. c. I. 5. apud Torrenium adjectas) nam de fide Notarii nostri postea videbimus.

non parem modo, sed superiorem censeam. Unus is ex paucis aevi medii scriptoribus est, cujus fidei integritas, admota Diplomatum face, adeo nihil imminuitur, ut potius crescat laude recens, hujusque in dies opulentior quaestu et arrogentiam calumniatorum spernit et invidiam. Quod quidem ego cum de reliqua, tum vero ea praesertim Operis ejus parte intelligo, quae se ad historiam status jurisque publici Hungariae refert. Hac enim quae tradit, et apprime nosse potuit, et vero, ut diu multum Cancellarius Belae IV., etiam percalluit. Itaque praeter praeclaram historici existimationem, classici quoque testis personam gerit. Cujus Operi huic, velut quod sic a viro profectum est, in disciplina juris antiqui Hungariae scientia, usu, auctoritate omnium, quiqui sunt, qui de moribus, legibusque Majorum nostrorum memorias condiderunt, maxime illustri inter ceteros fontes praesentis instituti, jure princeps debetur locus. Mihi quidem, si quod sentio, veterum dicere verbis licet, unus ille est pro centum millibus.

2. *De Magistri Rogerii libello, quem carmen miserabile inscripsit.*

§ 20.

hujusque laudibus.

Cladi a Tataris a. 1241 acceptae coaevus hic Collegii sacerdotum ad Eclesiam Varadiensem socius moestissimam hanc annalium Hungariae partem pragmatice perscripsit; morum, quibus regnum hoc efloruit, detrimenta, velut praecipuas hujus exitii causas adumbrando. Quod quidem ejus judicium Majores nostri legum Comitiis anni 1267 latarum monimentis [1]) ratum, pensumque habuere. De splendido d. Protoregis Comitatu

---

[1]) Confer carmen ejus miser. cum art. 6. 9. 10. Decr. a. 1267 in Syll. Decr. com.

parum est, quod Hartvicus commeminit; argumentum hoc pro summa antiquissimi instituti hujus dignitate Rogerius explicat, constatque ex eo maxime, inter hunc Regum Hungariae, eum item, quo Attila, teste Prisco Rhetore, usus est, Comitatum solam modo intercedere vetustatem.

3. *De Chronico Hungarorum M. Simonis de Kéza.*

§ 21.

qui Pater chronographorum Hungariae dicitur.

Simon de Kéza vixit aetate Ladislai IV., cui chronicon suum muneri dedit, exile illud quidem volumine, sed copia rerum locuples; quod itaque laudatur a cunctis Scriptoribus patriis, a me quidem verissime; quando pars ejus postrema de Conditionariis, Udvarnicis, Jobagionibus Castri, Palatino Regni, concessaque ei Udvarnicis regiis utendi facultate sic tota ex rationibus praesentis instituti est. Quae ut per se utilia sint, tamen vereor, ne si nihil aliud, nisi quod auctor hic plene edisseruit, in parte laudum ejus ponas, hae angusto nimis spatio concludantur; brevis est enim, cursimque tractat plurima. Atque in his est etiam data per eum Jobbagionum castri notio, quae uti appellationem hanc sensu latissimo sumtam non aequat, ita ex mente auctoris, pro filiis Jobagionum, accepta sic numeros omnes implet, ut ex hac intelligas maxime, quanti cetera quoque ejus habenda sint. Mihi itaque ille non tam per ea, quae liquide docuit, quam quae elaboranda aliis ita reliquit, ut summos argumentorum apices designaret ipse, magnus, imo vero omnibus fere scriptoribus sec. XIII. praeterquam Belae Regis Notario major est; [1]) hac enim cautionis suae diligentia id praestat,

[1]) Nos editione ejus per Podhradczkíum virum veterum literarum hujusmodi sane quam diligentissimum a. 1833 adcurata utimur.

ut quum argumenta, quae commodum indicavimus, peragi, nisi Augustos, quos d. Stephanus in formanda Monarchia hungarica secutus est, fontes igitur exteros consulas, non possint; in ancipiti hoc laboris genere, si ad eum et quem ei adjungo, Thomam Archi-Diaconum Spalatensem synchronum, bonumque auctorem inprimis, respectes, egredi fines veri non queas.

4. *De syntagmate chronicorum M. Joannis de Thurocz commentariisque aliis aevi medii.*

§ 22.

per summos apices

Syntagma chronicorum Thuroczii primum omnium, quae in hoc literarum genere apud nos condita sunt monumentorum typis procusum, pervulgatumque haud mediocris existimationis suae partem, circa medium seculi 18. cedere Notario Belae Regis, partem Simoni de Kéza debuit, quorum opera tum demum se ex tenebris emerserunt. Nunc jam id etiam in explorato est, chronographos veteres, quos idem bona historiarum Hungariae fortuna compilavit, aetate quoque Simone de Kéza inferiores esse. A vita forensi tantum non penitus abstinent. Quae itaque de chronographis medii aevi ubique gentium querela est, [1]) ad hos item pertinet: sola propemodum Regum per hos illustrari nomina; parum vero utilitatis esse, quod ex syntagmate hoc in historiam avitorum institutorum, conversionisque rerum civilium redundet; parum inquam: ne credas nihil eos ab ista parte praestitisse. Quisquis enim ille sit, a quo Thuroczius cap. 50. part. 2. chronici sui sumserat, huic ea per Majores nostros adhibita fides est, ut et Sigismundus

---

[1]) Vide opus: Des assemblees nationales en France. T. 1. p. 212.

Rex priscum ductandi exercitus morem instaurari dum vellet, eum testem in Regesto suo (Propositiones hodie dicimus) ad Ordines regni allegaret [2]) et vero isti, quatenus in vota ejus concesserunt, non plane nullam Chronographi hujus habuisse rationem videantur. Est itaque Thuroczius (atque idem de chronico Budensi [3]) intelligi velim) mihi item pro fonte, sed quem parum uberem pluribusque locis etiam minus limpidum esse ultro agnosco. Sententias enim habet inepto inanique impetu plures [4]) et familiari scriptorum aevi sui vitio pro populi parte populum, pro Magnatibus Communitatis nomen usurpando [5]) ancipitem vocabulorum hujusmodi apud veteres sensum rationemque etiam obscuriorem reddit.

---

[2]) Tomo I. suplem. ad vestigia comit. p. 392. Recole etiam Prol. Decr. II. Regis ejusdem § 4.

[3]) Itidem per Podhraczkium nostrum edito.

[4]) P. I. cap. X. Comunitas — errantemque Rectorem eum corripere, ac pariter et Capitaneos dum vellet, deponere posset. P. II. cap. IX. aliae vero generationes — acceperunt sibi locum et descensum ad eorum beneplacitum cet.

[5]) P. II. cap. 47.

§ 23.

quaedam.

Scriptores ceteros (neque enim omnium inire numerum propositum mihi est) apud Belium, Schwandtnerum C. Ignatium Bathianyium, Kovachichium, Engelium, aliosque reperias: Quid de Bonfinio? oratorie hic et magis adcomodate ad suum ingenium, quam ad rei veritatem scripsisse arguitur. Neque id ego dici de plurima operis ejus parte recusem; extrema tamen Mathiae I. tempora primaque Uladislai II. ea cum accuratione executus est, hactenus auctor ut sit classicus, ipsique Istvánfio historiam seculi hujus retexenti, quantum quidem ad professum commentariorum horum finem, utilitate antecellat.

b) De fontibus domesticis, qui Diplomatici vocantur

§ 24.

Diplomata rite edita

Literae solemnes, id vero est: ad characteres internos externosque lege aut usu coaevo praescriptos exactae, quae ad memoriam rei gestae, jurisque inde enati exarantur, generatim, neque enim ad vivum reseco, **Diplomata** audiunt. Sunt haec plurimi ad institutum praesens momenti, seu titulo professo de negotiis ad rem publicam attinentibus agant uti: leges scriptae, jus consvetudinarium regni **Hungariae Stephani Verbőczii** coucinnatum opera, [1]) **Pacta publica, Tabulae** pacis cet. seu aliud agendo ad aliquam simul publici, aut privati juris morumque et consvetudinum avitarum partem illustrandam comparata sint; in quibus classicae de a. **1190** literae b. **Petri Quinque Ecclesiensis** praecipuum adhuc locum obtinent. [2]) Diplomata nempe faciem, historia imaginem rerum exhibet, quae quibuscunque artis picta coloribus, imo vero tum maxime, nisi vultus illius lineamenta repraesentet, fabula est. De his pro diversissima eorum specie disserere aliorum est negotium; quasdam tamen non tam monendi, quam in medium consulendi partes nobis quoque argumentum praesentis operis imponit.

---

[1]) Ad haec pertinent Literae Mathaei Bani totius Slav. de anno 1270 apud Kercselics notit. prael. de regnis Dalm. ect. p. 201. Cod. Dip. V. 1. p. 87. Regestum Sigismundi Regis apud Kovacsicsium; Literaeque Vajvodarum apud Transylvanos plures, de quibus suis locis.

[2]) Apud Koller hist. Ep. Quinque Eccl. T. I. p. 293.

§ 25.

plurimi ad historiam usus sunt.

Ex Diplomatibus alia juridicam vim probandi habent; alia non item, conditionique huic neque Regum exemtae Literae sunt; ad historiam tamen status publici par est utriusque generis literarum auctoritas, modo ne fides earum suspecta sit; res enim in facto positas continent, sic vero rationis consuetudinum et vitae vitalis quasi formam quamdam exhibent, ex quibus vices reipublicae tutissime colliguntur.

§ 26.

Jure itaque laudantur, qui his colligendis operam impenderunt.

Praeter eos, quorum industriae tabulas legum collectas, congestasque in Corpus Juris debemus, laude simili Hevenesius, Kaprinaius, Cornides, Pray, Katona, Vagner, Bárdosyus, Fejérius [1]) et qui a fiducia popularium singularique in detegendis praecipui pretii opibus hujusmodi fortuna sua primus nominari debebat, Martinus Georgius Kovachichius [2]) ceteris praecellunt.

---

[1]) Laudes editi per Fejérium Cod. Dipl. Hung. vide sis in Neues Archiv für Geschichte ad a. 1829, p. 653. Hunc nos literis C. D. praefixis citamus, eundem tamen significant loci quoque testimoniorum, in quibus soli numeri tomorum, et paginarum visuntur, cum cura selecti; neque enim codex hic mendis vacat; sed nempe non omni genti habere Perzios concessum est.

[2]) Ex his coaluit opus ejus praecipuae notae, praefixo titulo: Vestigia Comitiorum apud Hungaros a. 1790 editum et Tomis III. suplementorum auctum, quod in vest. Com. p. 81 T. I. supl. p. 61 celato nomine laudatus ab insigni jurisperitia, muneribusque publicis vir (hunc Nicolaum Skerlecz fuisse et Kovachichius p. 55, 56 Notionis Comitatuum declarat, et aliunde satis constat) eruditissimis Notis illustravit.

Est tamen pars longe amplissima messis ei etiamnum obnoxia fato, ut seu obstinatia, seu ignavia possessorum insectis illam exedi, quam in publica conferri horrea malit.

§ 27.

Diplomata

Prima rei diplomaticae apud Hungaros aetas, parsque juventae huic propior plurima ambiguitatis venia opus habet. Causa hujus proxima verborum inopia qua pressi Notarii, non paucis vocabulis (uti apud nos Jobagio, Comes, Descensus), quorum sententia hodie certa fixaque est, tamquam mediis et communibus ad plures, interdum etiam pugnantes secum notiones resque abutebantur. Horum itaque significationis diverticula explorata ei esse oportet, qui ad edisserendam, in qua eorum usus est, aliquam veterum institutorum partem accingitur. Neque ab insolentibus verbis peregrinisque loquendi formulis abstinent, quae nunquam, aut longo post tempore jure civitatis donatae sunt. [1]) Plures denique communi scriptorum aetatis hujus vitio genus dicendi sequuntur mysticum, tropicisque figuris offertum, quin tamen vel in hoc sibi constent. Stylum itaque, ne in Diplomatibus quidem eadem subnotatis manu semper aequalem reperias. Quod enim hodie quoque obtinet, ut formulam (minutam vulgus dicit) Mandatorum ordinariorum regni Judicum, ad hos Cancellariamque Regis minorem; [2]) Mandati vero novi cum gratia

---

[1]) De his Styli aevi medii vitiis vide: Savignium Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter. I. p. 402 et locos ibi citatos. Boehmerus, Hontheimius, Estorus praecisam ministerialium notionem, ob multiplicem vocis hujus acceptionem desperant. Confer Comment. per Univ. Bonnensem coronat: „Die Ministerialen von Aug. Freiherrn von Fürth, p. 49, 488 seq."

[2]) Haec penes Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenentem est.

ad Cancellariam quoque majorem is ipse, qui his opus habet, per se apparatam adferat, non tam existimo, quam video passim in quibusque Diplomatum speciebus ita olim usu venisse, ut Cancellarii plerique vicem suam, ad hunc modum, aliis fungendam haud illubenter permitterent. Quid plura? Artem cogita nullis certis descriptam regulis, de qua satis erit id unum dicere: praeceptoribus Diplomatices literas sec. XI et XII eas maxime probari, quae minimam artis et palaestrae speciem prae se ferunt.

§ 28.

in Hungaria de sec. XI. XII. pauca,

Majores nostri accepta post subactas Pannonias praedia, pro simplicitate morum ejus temporis, armis, non literis servanda; quae vero dono dedissent, tulissentque, solemni in eorum possessionem missione, pactique santimonia satis tuta arbitrati cum sint, diu nulla fere Diplomatum cura tenebantur. Divus Stephanus in Legenda sua (opus erat ejusdem argumenti, atque illud apud Anglos, quod tardius, nescio an hujus Regis imitatione apparatum, nunc quoque nomine Doomsdeybook [1]) exstat) terras omnes, et quae ex primaeva tenebantur occupatione, (descensu) et vero quas ipse dono dedisset, descripsit universas; [2]) possessorum ta-

---

[1]) Anno 1783 jussu parlamenti procusum typis, peractum a. 1081 vide Hume „History of. England vol. I. chap. 4 §. 15."

[2]) De hac cum Clenodiis regni Albae deposita vide lit. Lud. II. ad Capit. Albense a. 1349 „quatenus in Legenda s. Regis Stephani hoc, in quantis locis in regno nostro Nobiles, Jobagiones et populi castri Craco vocati residentiam facere debent, et in quali libertate existunt, requirere debeatis" et responsum Capituli Legendam eam Carolum Regem Patrem ejus ex sacello Ecl. interiore ad se recepisse C. Dipl. III. v. 1. p. 108. Legendam aliam pro biographia ejus sumtam vide sis IX. 1. 787.

men horum singulos singula accepisse diplomata, nec auctor prodidit quisquam, nec literarum probari testimonio potest; regestum vero Varadiense alia omnia perhibet. Ex hoc namque patet: Reges quoque posteros multa quidem Diplomatum, plurima Praeconum, Pristaldorumque ope expedivisse. Horum primus Bela Rex hujus nominis tertius Cancellariorum ad Aulam Regiam munus perpetuum, memoriamque rerum, se coram gestarum esse per Diplomata adminiculatiorem voluit. Non tamen deinceps etiam vel hae relatae semper in scriptum sunt [1]); plures namque Regum donationes non solemnibus eorum, sed Palatinorum, supremorumque Comitum, quibus exequendae voluntatis suae negotium dederant, literis tardius editis, plurima Auditorii (Curiae Regalis) judicia Pristaldis explicita oretenus, ex horum demum relatione cognoscuntur Collegio sacerdotum ad Eclesiam aliquam facta et literis per hos consignata; nam quorum actuum memoriae ad modum hunc consultum non est, per obitum Pristaldorum intermortua sunt pleraque.

---

[1]) Martinus Comes, dum (apud Bern. Pecz) a. 1137 monasterium de Chatar praedio per Regem sibi donato auget, non ad literas, sed testes donationis se refert, quibus „dati sunt nummi in recordationem." — Andreas III. causam capituli Budensis, quam civibus castri ejusdem intendere coram se voluerat, Lodomerio Archiepiscopo decidendam oretenus comisit a. 1295. LL. EE. T. II. p. 500. Detricus comes de Zolum et de Scepus significat (in suppl. ad anal. Scep. p. 378), quod Rex (Bela IV.) ore suo ei praecepit, ut Leonardo in Szepes provisionem in terra faceret.

§ 29.

plurima post medium sec. XIII. edita sunt,

Commoda itaque et necessitatem Diplomatum Hungari quam maxime experientia magistra docti sunt. Id non dubium est, per violentas praesertim, quae cladem

a Tataris acceptam sequutae sunt, bonorum occupationes, summamque in penuria testium, quorum partem magnam clades ea, majorem fere pestis malum hausit, probandi coram judicibus legitimi juris molestiam monitos plerosque, non minorum tantum facultatum, sed valentiores quoque Nobiles solicitudinem de juribus suis etiam, quae non Regum donatione, sed ex prima occupatione accepissent, Diplomatum Regiorum praesidio firmandis suscepisse.

§ 30.

proba et improba.

Neque tamen vel tum res diplomatica, licet jam paullo elaboratior sagaciorque, ex naevis, quos supra indicavimus, eluctata novorum quin imo accessione intricatior; judicium vero de fide literarum multo etiam magis arduum redditum est, quod ex necessitate diplomatum fraus quaestuosissimum ausa nefas, ut alibi, apud nos quoque plures fabricandis falsis literis instituerat officinas. [1]) Ex quo judicari potest: nullum in examinandis veteribus chartis rigorem supervacaneum; ad figendum vero sensum eorum, aures eruditas usuque et longiori exercitatione subactum, hujusque generis studiis penitus innutritum necessarium esse ingenium.

---

[1]) Confer cum his, quae Katona Hist. Crit. T. IV. p. 547 notat. Fraus haec ne Mathiae quidem eradicari temporibus potuit. Vide stylum Curiae ejus apud Kovachich n. 50 p. 486. num. 62. p. 494.

§ 31.

Vis et potestas Usus tam in re diplomatica, qvam omni praesentis instituti parte tanta est,

Ancipitem diplomatum sensum Usus interpretatur, qui, ut recte Cicero, praecepta magistrorum superat

omnium. Vis et potestas hujus in tribunalibus maxima est; in Commentariis his nihilo minor, praesertim ubi de consuetudine aliqua Majorum, novo propiorique ad aetatem nostram instituto permutata agitur. Itaque regulae instar accipe sis: literas quidem axiomata juris veteris quae continent, pondere hoc, non numero aestimari; alioqui nihil esse vitandum magis, quam ut ne fortuito diplomatis unius tantundem deferas indicio, quantum nisi consentientibus plurium diplomatum indiciis ejusmodi, historiaeque, deferi nequit. Nicolaus Skerleczius provinciae Zagrabiensis, dum viveret, Supremus Comes, idemque eruditissimarum ad vestigia Comitiorum Kovachichii notarum auctor, dignus sane, qui Scaligeris atavis editum se ferret, adolescensque Facciolatum eloquentiae magistrum haberet, hac maxime cautione ad laudes profecit suas; parum tamen vel ille ab erroris periculo abfuit, dum ab lege hac discedendo, perigraphen literarum de a. **1232** quae ita habet „Servientes Regis de Zala terram Vizmeth Bartholomaeo Episcopo Veszpremiensi attribuunt contra Ochuz Banum per contumaciam jure convictum“ eo accipi sensu concederet, tamquam pateret ex his: forum Judicum Nobilium jam ante id temporis floruisse. [1]) Cui quidem conjecturae et plenus literarum illarum tenor, qui concessam servientibus illis specialem hanc licentiam in exitu plane irritam fuisse testatur [2]) et vero leges coaevae, quae causas hujusmodi vel per ipsos Comites parochiales cognosci vetabant, et plurima, ut infra patebit, Ordinis judiciarii sec. XIII. monimenta ore uno reclamant. Atque haec nos de Diplomatibus generatim, alii quidam de legibus scriptis paullo secus, ita namque

---

[1]) Supl. ad vest. Comit. T. 1. p. 146.

[2]) Fejérius literas has, quarum epitomen mancam Skerleczius viderat, e Coll. Heven. C. D. 3. v. 2. p. 314. dedit integras, nobis ea maxime parte memorabiles, qua multos per potentiores inique opprimi et jus suum persequi, propter distantiam judicum, nequaquam posse adfirmant.

summunt, ut his saltim plus confidere se posse arbitrentur. Quorum quidem opinionem hanc nos plurimorum errorum matrem dicimus; illi quid de ea teneant, deinceps ipsi secum constituent, si perpenderint uberius, leges quasdam nunquam, alias multo demum tardius quam latae sint, et rursus alias ea solum parte, qua usus, perpetuus earum interpres, arbiter, censor concessit, ad vigorem pervenisse.

§ 32.

ut Magistrorum omnium praecepta

Habet igitur diploma quodque paullo vetustius deliberationem, nec qui verba ejus, idem mox rem etiam tenet. Quis ignorat sententiam **Prayi** [1]) quanti, qualisque in rebus hungaricis viri, qui ut erat de moribus aliarum per **Europam** gentium minus sollicitus, cum parum nosset prisco **Germanorum** instituto, exemploque **Pontificis Maximi** [2]) **Ulfum** pseudo presbyterum attonso capite adustaque stigmate fronte mulctari praecipientis, id deinde apud **Hungaros** quoque in usum venisse, ut qui auctore judice, falsi convincerentur, infamem notam hujusmodi referrent, ita lapsus est, ut locum **Diplomatis Belae Ducis Slavoniae** [3]) quo calumniae reus

---

1) In notit. praev. hist. Reg. Hung. pag. LXXIII.

2) Rem omnem fusius Thomas Arch. Hist. Salon. c. XVI. narrat.

3) Est hoc de anno 1268 (C. D. XI. p. 407.) ,,Demetrio et aliis super requisitione ipsius tertiae partis perpetuum silentium imponentes, ut convictis in calumnia manifestis, et Demetrio uni ex eisdem qui assari debebat, pro hujusmodi litis refricatione, ad petitionem aliquorum Baronum nostrorum parcentes, partem capitis sui abradi fecimus in signum oprobrii et memoriam ultionis.“ Aliae Laurentii de Hedervára Palatini de eodem anno (VII. v. 5. p. 35.) sequentia habent ,,Ipsum Adam tamquam calumniatorem assari fecimus, cum patre vero ad instantiam adversariorum misericordiam fecimus.“

quidam assandus innuitur, ad literam accipiendo hanc saevitiem in moribus Majorum nostrorum maxime reprehendendam statueret [4]).

[4]) Rem ipsam legemque de calumniatoribus eorumque poena ex aliis Belae IV. Regis litteris intelligas, secundum quas Actores „exhibuerunt privilegium Domini Regis, quod evidentissime demonstrābat, ipsum Ponich super nota seu vitio multiplicationis calumniae per definitionem Domini Regis, et Baronum suorum, qui tunc praesentes aderant, sententiam finaliter et omnino convictos exstitisse; per fora igitur et civitates proclamari praecipitur, ut ubicunque idem inveniri posset, ad praesentiam Domini Regis vocaretur“ pro imprimendo sibi charactere, qui juxta approbatam regni consuetudinem, manifestis calumniantibus infligi et imprimi consuevit. Vide Cod. D. T. IV. v. 3. p. 386. VII. vol. 5. p. 351.

§ 33.

superet,

Martinus Georgius Kovachichius paulo ulterius progressus [1]), eoque duce Fesslerus confectoribus quoque falsarum literarum, et qui legi de moneta per neminem alium, quam regem feriunda injuriam facerent, rogum struxerunt. Cui quidem horum funeri ipse adeo Fejerius meus, dici enim id sibi, qua est humanitate per amicum patietur, operam dedit. Tanta etiamnum de frugifero fructuosoque diplomatum usu praecipienda, seu ut in re praesente, pridem per alios animadversa recolligenda sunt. Diu namque est, cum celeberrimus Transylvanorum Praesul ad cap. 51. lib. 1. Decretorum Colomanni de fure capto sine concrematione ignis tenendo notavit, de inustione stigmatis in eo sermonem

[1]) In praefatione ad formulas solennes styli, pag. VIII.

esse, quae enim adustio rectius dicitur, eam apud aevi hujus scriptores concremationem audivisse [2]). Et reapse secundum mysticum aevi medii stylum, uti furem cum concrematione ignis triduum teneri, ita falsi damnatos assari, vivereque postea etiam haud paulo meliori, quam Acilium Valerii Maximi [3]) conditione potuisse, vixisseque omnino eos etiam Hungariae Reges bene salvos, quorum Notarii, ut crimen laesae majestatis indicarent, monstrum verborum „pro interfectione Majestatis nostrae" posuerunt.

---

[2]) Haec ille prorsus ex sensu literarum Detrici Curialis comitis de minori comitatu Poson (VIII. v. 1. p. 83.) de a. 1301, quibus Udvarnici quidam „ob deductam ibi manifestam falsariam, clavibus castri faciei eorum inustis" extorres aguntur. Actusque ille diserte crematio dicitur, alibi assatio. Quae dici de hoc non domesticorum modo, sed plurimorum apud alias quoque gentes Scriptorum aevi medii vitio possent, celeberrimus Gvizotus in suo Cours d'hist. mod. II. p. 236. 237. occupavit.

[3]) L. 1. c. VIII. n. 12.

§ 34.

arrogantiamque eorum, qui pridem desita in praesentem juris et obligationum normam erigunt,

Aberrationes virorum clarissimorum notavimus, non quo crederemus eos auctoritate nominis sui existimationi Majorum nostrorum magnopere offecisse. Etsi enim vel maxime verum id esset, quod concedi nequit, fuisse omnino aliquid hujusmodi in moribus eorum; tamen vitium hoc temporum non magis verti vitio Hungaris posset, quam priscis Germaniae populis, apud quos homines malos assandi consuetudinem et multo caeptam prius, et seculo demum 14. desitam Grimmius testis est. Attingendae nobis eae videbantur, ut sub exemplo virorum, quorum industria studiisque tot alia evigilata sunt veterum literarum quaesita, clarum fieret, quantum homi-

nes umbratiles, aut repentina tumultuariaque doctrina, in explicandis primaevis consuetudinibus, institutisque, praesertim si arrogantia, livor, aut assentatio adrepsit, a vero aberrare potuerint, aberrentque hodie etiam saepissime. Sed hos facile cognoscas modica poenu diplomatica homines; ad conficiendos enim, quod unum student, famosos libellos sola sibi malignitas sufficit. Est genus aliud Scriptorum, meliores illi quidem animo, sed qui dum ad usum diplomatum praejudicatas adferunt opiniones suas, non minori fere in vitio sunt. In his id minime ferendum, quod particulas quasdam veteribus decerptas literis, nulla neque usus, neque subsequentium legum cura, in perpetuae legis vim elevant et ex hac quid in praesens usque recte, ordineque aut praepostere actum, constitutumque sit, pro modulo suo metiuntur; parum gnari: non minus arbitrium esse, si privatus obsoleta desitaque, quam si nova et non antea usu cognita pro lege habenda contendas. [1])

---

[1]) Leges et consvetudines, non quae fuerunt aliquando, sed quae usu nunc ipsum vigent, normam actionum constituunt. Atque haec brevissima via est ad cognoscendum, quid inter Comentaria haec, et Institutiones juris Hungarici differat. In his tit. 82. 1. et art. 26. 1715 cardinales leges sunt in causis, quae ex defectu, ut loquimur, enasci solent. Quis contra has aliquid eorum obvertat, quae de primaeva terrarum descensualium indole tradere ad institutum praesens pertinet? nemo sane, nisi cui mens laeva sit. Caput Juris consvetudinarii de necessitate consensus Regii (I. tit. 65.) sanctum est; licet ex Capite proxime praecedenti clarum sit: rem se ante Lud. I. tempora secus habuisse.

§ 35.

eorum item, qui vetustissima quaeque ex ingenio recentis aetatis aestimant, errorem redarguat.

Diversi ab his, sed non eapropter etiam a recto absunt propius, qui nihil de eo soliciti, quantum inter

aetates populi non minus, quam hominis cujusque, ac diversa illarum ingenia distet, hac vetustissima quaeque, qua recentissima appenduntur, pensant trutina, ita prorsus, tamquam ad praesentem status publici, aut Institutorum Hungariae rationem, cultumque non gradibus ventum esset. Quod quam fugiendum sit, Montesquieum [1]) et post eum dicere plurimos audias, qui si verba sua praestitissent, in plurima Commentariorum horum parte nobis liceret esse brevioribus. Notas profecto his adjicere multo pauciores oporteret, [2]) si quaedam docenda solum, non vero plura, quae scriptores hoc lapsi errore pro veris tradiderunt, traduntque, non dedocenda essent. Haec de Diplomatibus domesticis generatim; jam in specie:

---

[1]) Transporter dans ces siècles recoulés tous les idées du siècle, ou on viet, c'est des sources de l'errant celle, qui est la plus féconde. De l'esp. des lois l. 30. chap. 14.

[2]) Testimonia hujusmodi continuae saepe orationi per Katonaium nostrum interpolata laudat Garampius ab ingenio, scientia, copia celeberrimus. Ego, quod Pütterus, quis hoc Germaniae literatae sidus non noscat? fecit, mihi item officii instar esse ratus „cunctis et singulis in argumentis, quantum potui, non adivi modo et consului, sed et allegavi fontes, nec allegavi solum, sed et ipsa eorum verba apposui, gnarus probe commoditatis, qua, qui statim ante oculos sunt, leguntur, periculi, quo secus negliguntur, fontes."

1. De Regesto Eclesiae Varadiensis.

§ 36.

Synchronum hoc est operi Notarii Belae Regis,

Aequale temporis, auctoritate vero et utilitate proximum est operi Notarii Belae Regis Regestum Eclesiae Varadiensis, cura Georgii Martinusii servatum, editumque anno 1550 Claudiopoli, quod jam Kitonicsio laudatum, Mathias Belius, adjectis notis Tomka Szászkii,

anno **1735** sub prelum revocavit. Libellus hic vere aureus, lumen, lux, oculi mei causas forenses continet intra annos **1207—1235** [1]) ob summam reverentiam loci, in quo S. Ladislaus, delicium quondam gentis suae, sepulchro conditus jacebat, non ex vicinis modo, ut Kollário videtur, sed remotissimis regni partibus, ad Eclesiam Varadiensem per varios missas [2]) judices, ut examine ferri candentis aut sacramento ad sepulchrum illud nuncupando dirimerentur. His praeterea mixtos plurimos manumissionis, multos divisionis, venditionisque praediorum et alius generis actus habet, pro securitate juris consignatos literis; in summa: ad ordinem judiciorum, administrationisque publicae rei formam, qualis hac aetate viguit, cognoscendam plurimum commodat. Nostra itaque collectanea haec aetate antiquiora, varietate materiarum uberiora sunt, quam scita Curiae Regum in Gallia de annis **1254—1273**, quae „**Olim**“ inscripta, eruditorum manibus teruntur.

---

[1]) Id unum doleas seriem annorum in editionibus regesti hujus non observari; initium causas exhibet de a. 1219; aliae de a. 1216, 1217, 1221, 1235 hinc illincque se emergunt; antiquissimae Cepano (1207) Potho (1209) Palatino gestae sunt.

[2]) Ex provincia Posoniensi insulaque Csaloköz (Scuth) n. 258. Comaromiensi vicoque Ekel n. 20. Jaurinensi, in quo Kis et öreg Néma num. 19. Baranyensi 93. Castriferrei 364.

§ 37.

et ad explicandas styli Diplomatum vices,

Praedium in Regesto hoc summitur, ex primaeva acceptione vocis, pro portione terrarum bello captarum allodio, capite item ditionis haereditariae, villis, oppidisque obsitae, aut latifundio agroque nondum habi-

tato. [1]) Vocabulum idem sec. XVI., Verböczio teste, agrum significat, in quo antea homines degebant, ab his ita jam inopem, ut et aedificiis et colonis careat, quasi praedae expositum. [2]) Ex quorum comparatione satis opinor, intelligitur, quantum usus tempusque imperium, non in res modo, verum ipsas adeo voces habeat. Apellationis Nobilium, velut, quae more in Curia veterum Imperatorum, Pontificumque Romanorum, diu solis tantum summatibus aut ab his in magnas genitis opes tribuebatur, pro prisca hac parsimonia, nullum, uti jam alibi diximus; frequens Comitum, frequentissimum liberorum, liberorum hominum, terras suas e prima occupatione, jure haereditatis, jure patronatus tenentium; Jobagionumque naturalium, qui scilicet Jobagiones S. Regis dici solent; Jobagionum a generatione (quos aevi sequentis diplomata naturaliter Servientes regios vocant, et puros ac naturales regni Nobiles) ac demum Jobagionum de Castrensibus exemtorum cet. isthic occurrit vestigium. [3])

---

[1]) Num. 202. „de villa Loch praedio Martini, 298 de villa Vosian praedio Simonis, item de villa Numen praedio Sebus cet. num. 92. 100. 103. 108. 202. de praedio campestri 345. Praedia vocantur etiam bona Eclesiarum num. 203 et 274." invenit in domo — de villa Dusnik praedio monasterii S. Joannis Bapt. et statuit quemdam de villa Yzthari praedio Michaelis."

[2]) Operis trip. P. II. tit. 24.

[3]) Epithetum nobilis, si cui alteri, Crachino certe amplissimo Kupuloniorum genere nato congruebat; tamen et hunc regestum hoc num. 379. Jobagionem de genere Cupulon apellat. Sane, dum Geyza II. literas suas (Cod. Dipl. II. p. 129) „multotum regni nobilium, quorum praesentia adfuit: scilicet Bani Beli, Joannis Episcopi, Antimii Episcopi, Gereonis regiae Curiae curam gerentis, Joanus Comitis, Apa Comitis, Zasich Comitis, Gabrielis Dapiferi, Caiphae Magistri Pincernarum, Bogislai regiae Camerae praesidentis testimonio firmatas" scriberet, appellatio Nobilium nondum in alios vulgata liberos fuit. Sed de his plura suis locis.

§ 38.

adumbrandamque veterem judiciorum formam et administrationis publicae rationem,

Suprema judiciaria auctoritas penes Regem; qui cum principibus eam viris per se, aut per missos regios istic exercet. Magistratus praecipui: Palatinus et Judex Curiae Regiae; quorum iste Regio adhaeret lateri; ille, cum saepe ad Curiam Regis, saepissime, passimque extra hanc, nec uno loco, sed, ut ita dicam, ubique est. Regiae missionis honor, provinciaque loco Palatini jus dicendi plerumque Comitibus Castrorum defertur, velut qui ordinarios illos Regni Judices gradu dignationis proximi sequuntur. Propria horum jurisdictio, in pervisione exercitus castri, etiam ad Jobagiones castri naturales; in causis contentiosis ad populum castri inferiorem pertinuit. Atque in hac muneris parte longe amplissima Vice Comitis opera utebantur. Nihil tamen vetabat, quin hujus quoque generis hominum causas Duumviri illi Ordinarii Judices regni, nemine alio medio, deciderent. Eadem teste Regesto hoc Tribunalium Dominorum (sedes Dominales hodie dicimus) conditio. Nisi namque speciali Regum privilegio secus cautum esset, supremi per regnum Judices hi, auctoritate ordinaria, neque hi tantum, sed Comites quoque parochiales jurisdictionem in colonos inquilinosque privatorum, contra, quam apud gentes Jure alligatas feudali obtinebat, exercuere. Arbitrorum plurimus hac aetate usus. Ex his arbitros parochianitas; provinciales Palatini Assessores, quos hic jam ipse delegit, jam per comprovinciales delectos ad judicium adhibuit, bonosque homines in regesto hoc plurimos reperias. Bilochi Regis istic, pro munere officii sui, jam cum Praefectis villae, jam cum Comite aut Curiali Comite Castri de furtis et latrociniis quaestiones instituunt. Erat et Curiali Comiti Reginae, Comitibus praeterea Thavernicorum, Venatorum et Praeconum Regiorum

suum cuique forum, per quod pro re nata, examen quoque ferri candentis decernebatur. Principem, vulgo, majorem, ducem, exercitus (Hadnagy), Praefectum Castri (Várnagy) Centuriones, Majorem Praeconio, (Magistratus provinciae fuerant Comite inferiores) ex hoc inprimis Regesto novimus. Cujus indicio territorium Castri cujusque pro Comitatu accepti in tres, pluresque pro amplitudine centuriatus (Districtus, processus hodierno loquendi usu) descriptum; his qui praefuerant et census Castrensium in rationes redigere, et vero, in causis Castrensium minoribus, Judicum obire munus tenebantur. Hospites denique suis paruerant villicis, generatim liberi; liberi ex hac vel illa gente; saepissime debitores liberorum denariorum compellati.

§ 39.

plurimum utilitatis praestat.

Est igitur Cimeliarchium, cujus supremas lineas dedimus, verus propriusque historiae status Jurisque publici Hungariae fons ex ipso rerum tractandarum usu scaturiens, et hic quidem tam largus, ut decies regestum hoc si legas, adhuc tamen sit, quod repetita lectione referri in adversaria mereatur. Redibimus huc saepius, de eo plene persuasi, neque eos, qui omnem meliorem generis nostri partem nullo non tempore nobilem (nemes) dictam arbitrantur; neque illos, qui judicium ferri candentis ad nobiles nihil attinuisse vulgarunt, vulgaturos haec fuisse, regestum hoc si contentius lectitassent. Quod jam ad illos item scriptores pertinet, qui tantae huic judicum multitudini, judices etiam servientium (Szolga Biró) statim in principio rerum hungaricarum adjicere properant. Obtrectatores denique Bullae aureae Andreae II. (hoc decreto ejus de a. 1222 nomen) dum jura nobilium vi ab hoc extorta clamitant; illi item, qui aliqua de feudis adspersi auditiuncula, hanc pro complexu omnis apud Hungaros juris publici privatique vendi-

tant, hoc imprudentes agunt, ut palam faciant, de regesto hoc non constare sibi; ex hoc enim alia omnia didicissent, quae percensere non est hujus loci.

2. De Corpore Juris Hungarici.

§ 40.

Pars hujus praecipua leges sunt, publicis Comitiis conditae;

In re pervulgata multus esse nolim; tantum moneo: „Decretis, constitutionibus et articulis Regum inclyti regni Hungariae, ab anno Domini **1035** ad annum post sesquimilesimum octogesimum tertium, publicis Comitiis editis" ita Nicolaus Telegdius et Zacharias Mosoczius summi viri collectanea sua anno **1584** procusa typis apellarunt, Martinum Sz. Iványium, dum haec anno **1696** quartum prelo committerentur, Corporis Juris Hungarici praefixisse titulum. Hoc itaque solis initio legibus scriptis continebatur, iis videlicet, de quarum tabulis Duumviris illis innotuit. At enim harum, quae paulo fuerant vetustiores, pars eos maxima latuit, eratque sane diu, cum nulla neque aliorum opera ad has fieret accessio. Singulari Martini Georgii Kovachichii industriae illa servata videtur fortuna, ut quum totum se reserandis diplomaticis historiae Hungarorum politicae fontibus daret, id demum consequeretur, plurima ut erueret Regum Decreta antiquissima. Quae per eum diversis vulgata temporibus, filius non dissimilis patri, libro, quem syllogen Decretorum Comitialium Inclyti regni Hungariae inscripsit, complexus est. [1]) Leges hae, luci redditae tardius, auctoritatem fori non habent; ad historiam tamen status Jurisque publici Hungariae faciunt tantum, ut ab his demum detectis ea efloresceret laetius.

---

[1]) Edit. Pest. a. 1818.

§ 41.

ac Decretum tripartitum Verböczianum.

Auspiciis Uladislai II. elucubratum, Ordinumque regni ac Regis illius probatum consensione. Quod anno 1517 privatis auctoris Stephani Verböczii, aliorum deinde impendiis iterum iterumque excusum anno 1628 Corpori Juris adjectum est. In laudando hoc domestici Juris compendio plures praestanti ingenio viri operam posuerunt. Horum omnium judicio is auctor, et gestis Magistratibus et eximia juris peritia laudeque forensi clarus celebratur. Jure id quidem optimo; sed enim hoc ipsum, et quam multa praeterea in testimonium amplissimae ejus eruditionis, integerrimaeque in concinnando opere hoc fidei verissime dici contra ardeliones quosdam possint, tum demum cognosces, si doctrinae ejus capita, ad leges et antiquorum sententias diplomatum perpenderis. Ad quod Institutum praesens et materiam praebet amplam et facultatem.

3. De codice Juris Budensium et Thavernicali

§ 42.

quorum ille auctoritate fori inferior, huic ad usum Instituti praesentis antecellit.

Urbis Budensis, quae olim jura et statuta fuerint, Michnaius et Lichnerus docent; edito nuper Codice horum ab a. 1244—1421, adjectisque, ut Belii et Tomka Szászkii ad Lyceum Poson. successores agnoscas, eruditissimis notis [1]) Harum summa est: urbes Hungariae, et quae per Germaniam tardius efloruerant, Jura nonnulla communia, sed hungaricas inde a primordiis suis propria plura, eam vero in his consequendis conditionem

---

[1]) Buda Városának Törvény Könyve 1244—1421. Pos. 1845.

habuisse singularem, ut, quae cuperent, ipsae proponerent Regibus, et ab horum liberalitate sibi donata referrent passim omnia; hanc adeo, si quae a sententia Magistratus liberis Civium suorum sufragiis delecti, ad exterae urbis alicujus Primores, quam Thavernicorum Regalium Magistrum, aut Praesentiam Regiam provocare mallent, extraordinariam, nec tam molestam sibi, quam supremae per regnum judiciariae potestati adversam facultatem. Planeque ita res habet, de qua inferius. Codex hic et aetate et ubertate materiarum Codici Juris Thavernicalis, cujus articuli per Joannem Thuz de Lak, Magistrum Thavernicorum Regalium Sigismundi Regis collecti feruntur, et ad solum forensem usum spectant, multum antecedit, sed illius norma viget hodieque, hujus fructus longe amplissimus ad Historiam Juris publici pertinet.

II.

de fontibus exteris

a) historicis.

1. De Prisco Rhetore.

§ 43.

qui Hunnorum rectius Chunorum,

Quo inter domesticos Notarius Belae Regis, eo mihi inter exteros loco Priscus Rhetor est, principe scilicet, Ammianoque Marcellino et Agathia, et Theophilacto Simocatta et aliis gentis suae luminibus superiore. De Attila hic, Hunnorumque scribit moribus: memini equidem. Horum, Hungarorumque historiam conjungendi consvetudinem diu est, quod scriptores quoque probae notae abruperunt; non nescio; nihil tamen muto. Etsi namque non ille sim, qui telam historiae Hungarorum

ab rebus hunnicis exordiendam magnopere contendam; multum tamen hac super re et aequo animo cogitanti mihi, nihil tam videtur extra dubietatem positum, quam Hunnos Hungarosque eadem propagatos stirpe, communibus item moribus, consuetudinibusque vixisse, per Priscum, Jornandemque descriptis. Post conditam Monarchiam, infusamque Hungariae peregrinitatem, plura exterorum ad nos derivata aut importata sunt scita, sensim avitis permixta consuetudinibus. Secerni hae ab illis rite nequeunt, nisi ad caput fontis, hucque redeas, qua purus adhuc sua tantum, non rivorum etiam mole volvitur. Ad maxima igitur Belii in historiam Hungariae merita, maxima eo labore facta est accessio, quo Priscum Rhetorem Caroli Cantoclari opera ex graeco in latinum conversum, praefixo titulo: Attilae missis acceptisque legationibus illustris, divulgando, fontis hujus aditum quam facillimum reddidit. [1])

---

[1]) Laudarunt Priscum omnes omnium aetatum eruditissimi viri; nemo magis, quam celeberrimus Gvizotus, qui eum Tacito anteponit, et in suo Cours d'hist. mod. IV. in gallicum conversum edidit cum praefatione, ex qua sola rite assequaris, quid verbis „L'idée fundamentale de la liberté dans l'Europe moderne, loi vient de ses conquérants," Cours d'hist. mod. II. p. 230 significare propositum animo habuerit.

2. *De Leone sapiente et Constantino Porphyrogeneto scriptoribus augustis.*

§ 44.

qui Hungarorum mores describunt,

Quae de communibus Hunnorum Hungarorumque moribus nunc admodum delibavi, Leo sapiens classico testimonio confirmat; si praesertim Tacticorum ejus caput 18 per Franciscum Adamum Kollár latine redditum cum Ammiano Marcellino conferatur; eadem enim habet

omnia verbis deducta suis; contra, quam Regino fecerat, qui ut de moribus Hungarorum accuratissime conscriberet, locum Justini de Parthis totum dedit. Constantinus Porphyrogenetus quaedam etiam de forma reipublicae hungaricae, qualis haec sub Ducibus fuit, in libello adfert, quem de administrando imperio filii gratia conscripsit, non modo non adversantia (qui decumanus opinionis nonnullorum error est) Notario Belae Regis, verum prorsus ad praemuniendam hujus auctoritatem comparata. Neque tamen nihil inter Leonem sapientem et Constantinum, qua res hungaricas attigerunt, ad fidem interest. Cominus et per se se comperta, imo vero oculis visa suis refert ille, non itaque tam historiographum quam testem agit, nec eget interprete; hic plurima ex auditu, acceptaque ab aliis habet, quorum nihil quidem infra verum, sed parum est, quod ad literam summi pro vero possit.

3. *De Hartvico genere comitum ab Ortenburg edito, Episcopo Ratisbonensi*

§ 45.

Stephani Protoregis Hagiographo.

Frater hic fuit Ulrici Comitis ab Ortenburg, qui cum uxore Sophia, Belae I. Regis Hungariae filia partem simul Carantaniae Hungaricae adeptus Ducis Carinthinorum nomen sibi adjecit. Episcopus renunciatus, quod ab eo Colomannus Rex Hungariae petebat, ut B. Stephani Protoregis vitam perscriberet, tam promte, quam accurate praestitit libello singulari; conditaeque simul auspiciis d. Regis illius sacrae et profanae reipublicae Hungaricae initia eximie percoluit [1]).

---

[1]) Opus ejus Jos. Podhradczky a. 1836 edidit utilissimis auctum notis.

4. De Ottone Frisingensi Episcopo

§ 46.

parteque annalium ejus, quae est de Hungaris.

De Lamberto Schaffnaburgensi, Dittmaro Hermannoque contracto, qui Hungarica quoque memorant, suo tempore; nunc de Ottone, filio d. Leopoldi Marchionis Austriae, eodemque Frisingensi deinde Episcopo. Hic nondum luctum ex illata per Geysam II. Austriis clade acceptum eluxit, imo vero dolore hujus tum urebatur maxime, dum in Annalibus suis de moribus Hungarorum ita scriberet, tanquam qui Schlözero antevertere, hocque prior illud acerbissime dictum Manlii „Teque feris dignam tantum Germania matrem“ Hungaris iratus impingere voluerit; tamen vel sic animo a nobis maxime alienum impensissime laudo, tam commode se habent, quae de systemate militari Hungarorum frequentissimisque congregationibus reipublicae causa, scire posteros, muto a literis seculo 12 voluit. Verba ejus inferius dabimus, hic namque in eo tantum sumus, ut ne auctores praecipuos, quorum industria horum Commentariorum fundus est, inornatos taceamus [1]).

---

[1]) Ottonis Frisingensis Episcopi de gestis Friderici primi Aenobarbi Caes. Aug. libri duo. Edit. Argentin. de a. 1515.

5. De Calimacho, Dlugosso et scriptoribus aliis exteris,

§ 47.

qui res etiam hungaricas aevi sui percerpserunt.

Calimachus, Aeneas sylvius, idem qui postea sumto Pii II. nomine Pontifex maximus, Dlugossus, et Duumviri Itali: Vincentius Gvidotus et Antonius Baro Burgio, nos

prae reliquis scriptoribus exteris adjuvant. Horum postremus Comitia, quae anno **1525** in campis **Rákosiensibus** caepta **Hatvaninum** translata sunt, literis suis complexus et operis summa utilitate et exemplo profuit, quo in scribendis Comitiorum diariis praeivit. [1]) **Gvidotus** utriusque tam sacrae, quam profanae reip. in **Hungaria** aevo **Ludovici II.** statum non minori solertia, quam eruditione repraesentat perinsigni. [2])

---

[1]) Epistola scripta italice ad Jacobum Sadoletum, quam in latinum conversam Kovachichius in Vest. Com. p. 558 et seque. dedit.

[2]) Gevay Urkunden zur Geschichte von Ungarn im letzten Drittel des Jahres 1526. Wien, 1845.

b) De fontibus diplomaticis externis.

§ 48.

Ad cognoscendum

Hansitius, si nihil aliud, quam solas modo literas **Episcoporum Bavariae** ad **Joannem IX. Pontificem Maximum**, duodecimo, ut **Katonaius** computat, principatus **Arpadi** anno exaratas vulgasset, tamen erat ille mihi cum cura memorandus, quod hac ejus industria novum de priscis ritibus **Hungarorum** exstat documentum meae de illorum **Hunnorumque** moribus apprime consentaneum sententiae; nunc vero hoc res loco sunt, ut et initia propagatae ad eos religionis christianae, et ipsi adeo primaevi ditionis eorum termini, et subsequae horum statusque reipublicae universae apud nos vicissitudines clarius ex literis **Pontificum Maximorum** et diplomatibus noscantur, quae singulari ejusdem **Hansitii**, **Baronii Rajnaldique**, **Muratorii**, **Dogielii**, **Dobneri**, **Pertzii** et **Peziorum**, aliorumque diligentia collecta, jurisque publici facta sunt.

§ 49.

primaevum utriusque reipublicae Hungaricae tam sacrae quam profanae statum

Magnus itaque ex his ad praesentis quoque operis rationes proventus est; quod tamen ad institutorum Monarchiae Hungaricae primordia: vere videor posse contendere: scriptores patrios in repraesentanda primaeva hujus imagine eos maximo cum fructu elaboravisse, qui Petri de Réva expergiti monito, Diplomata domestica cum Capitularibus Regum Francorum contulerunt. Quod dum Ignatius Comes de Batthyán facit, omni jam et ipse adseveratione adfirmat, non ovum esse ovo similius, quam primas Hungarorum Francorumque leges. Idem hoc Kollárius videt, cui qua veterem habendorum in Hungaria Comitiorum modum ex institutis Francorum adoptatum perhibet, his ratione animoque lustratis, hactenus et ipse assentior, neque mirari satis possum, qui studium hoc scita hungarica cum illis Francorum comparandi, tam utile et tantis commendatum testimoniis, apud nostros refrixerit, hocque ex eo maxime tempore, quo neminem latet, illum in Capitularibus Regum Francorum repositum omnis rerum divinarum, humanarumque scientiae aevi intermedii fontem divo Stephano apprime cognitum; scholas Parisinam et Bononiensem jam sec. XII. frequentatas Hungaris; studium denique juridicum Veszprimii ad similitudinem Parisini conditum, inclinatisque rebus ejus, per Ladislaum IV. (ut eximium Regis fama sua majoris munificentiae genus attendas) instauratum, locupletatumque fuisse. Itaque multos etiam nunc monita d. Protoregis ad filium in scriptoribus Byzantinis quaerere, alios primum Regni Magistratum (Palatini munus) pro nescio quo Curopolatis apud Graecos simulacro habere patimur, et qua leges S. Stephani Diplomatibus quibusdam indicatae deficiunt, injuriam temporum, non nostram quoque illas inter scita Augustorum,

quos ille in ordinanda Monarchia hungarica imitatum se diserte ait, vestigandi moram accusamus.

§ 50.

valde quam opportunis.

Capitularia Regum Francorum Baluzius collegit Chateaubriandio, Savignio, Gvizotoque jure celebratus. Ex quibus hic Commentariorum „Essais sur l'histoire de France“ auctor celeberrimus eam ad Capitularia quoque Caroli Magni interpretanda attulit judicii profundissimi solertiam, ut parte hac laboris, aliud quasi agendo, majori ferme historiae Hungarorum, qvam Francorum dissertaverit commodo; nam quae de vetustis Anglorum scitis adjecit: horum, hungaricorumque affinitatis, in cursu nostri hujusce operis non uno, sed pluribus locis exstantissima videbimus monimenta.

De adminiculis Operis

§ 51.

domesticis.

Mihi Niebuhrii in tradendis antiquitatibus humanis vel inprimis placet fides, qui classica rerum romanarum disquisitione sua aeternae cultum providentiae multo etiam magis eruditus, sic omnia ad similitudinem veteris disciplinae descripta [1]) per se auctoris probi officia praestat; ut palam testificetur, eo se cunctis, quorum adjumento in aliqua negotii sui parte profecisset, adstrictum

[1]) Römische Geschichte von B. G. Niebuhr, IV. Th. vol. 1. pag. 117 et 118 cet. Sunt haec legibus historiae per Cic. de orat. l. II. c. 62 rogatis, sed quibus ipse deinde in Epist. ad L. Luccaeum Q. F. obrogavit, prolixiora; quia nempe majora sunt, ac nostro quidem huic instituto accomodatissima.

animo, nihil ut tam vellet, quam non modo sententiae, sed cujusque adeo dicti, quod ab alio sumsisset, referre posse auctorem. Plane meus hic sensus est; qui ut erga Niebuhrium ex re praesenti, ita in alios inde satis, opinor, patet, quod praecipuos, quibuscum mihi usus est, Scriptores non hic primum indicare debeo. Ex his tenet me Kollárius, sed Batthianyius, Kovachichius, Skerlecziusque possident, non utique mancipio et nexu, sed ut sapere ipse etiam per me, et gerere negotium meo remigio, dareque vela in altius possim.

§ 52.

Haec diversae sunt aetatis; ex seculo superiori plurima,

Vetustiora pleraque apud Schvandtnerum, Kavachichium, et in Bibliotheca Juris consultorum Hungariae Ignatii Stephani Horváth, Collectaneis denique literariis habes, quae in Hungaria, Transylvaniaque edita partim interciderunt, partim florent hodieque.

§ 53.

quaedam vero nostri etiam aevi;

Aetas nostra tulit ea quidem auctores multos optimae notae, quorum decus Antonium C. Cziráky [1]) committere non possum, quin propalam summoque cum honore nominem; sed horum pars maxima studiis se dedit, quae sunt de genere politices universo. [2]) Itaque

[1]) Cum aliis eruditissimis operibus, tum vero classica Disquisitione sua de modo consequendi summum imperium in Hungaria Budae 1820 de jure publ. hung. eximie meritum.

[2]) Bene auctor Commentarii „Aus den Denkwürdigkeiten der Hel. Kottanerin, Leipzig, 1846.“ eruditissimus in Praef. precatur „dass die Ungarn über die Mühen des Tages und über ihren dem socialen Fortschritte zugewendeten nächsten Bestrebungen die Wich-

vel in operibus, quae de aliqua avitorum Hungariae institutorum parte, intra superiores hos annos viginti in lucem prodiverunt, aetatem videas, sub ipsa quodammodo rerum civilium conversionis orbita collocatam. Nihil aevi hujus scriptorum quorumdam verecundia accidere ad animum gratius potest. Majorum enim omnia religione quadam colunt, optant tamen enixissime, ut Hungaria semper ea quidem inter aequales pulcherrima, sed hodieque ad priscum Conditorum suorum genium Bellonae Deae induta formam, Minervae deinceps esset similior, et si mortalibus divinare licet, pulchrior. Longe diversi ab his sunt, qui insolens quoddam rerum domesticarum fastidium in speciem sapientiae operibus jactitant suis, tanquam si ne ad consulta quidem, nisi per inconsulta procedi, ac ad instituta nova, salutaria licet, naturaeque rerum maxime consentanea, pravo tantum omnis veteris cultus contemptu posset aditus comparari.

tigkeit ernster historischer Studien, die für den Augenblick ganz in den Hintergrund gestellt werden, nicht zu lange aus den Augen verlieren, und dass die grosse Wahrheit, eine segenreiche Zukunft lasse sich nur auf dem Boden einer vollständig gekannten und richtig erkannten Vergangenheit aufführen, auch bei ihnen zur lebendigsten Ueberzeugung werden möge."

§ 54.

sed subsidiariae ad historiam Hungariae politicam scientiae etiamnum in arvo sunt.

Quod igitur pridem exspectamus, ut praeter auctores per clarissimum adnumeratos Kelemenium, existant tandem, qui subsidiarias ad historiam politicam Hungariae scientias percolant uberius, vereor, ne animis alio avocatis, exspectandum nobis sit diutius. Interea, quod viri sapientes, de propriis historiographi partibus a munere curandi, ut apta ad rem exequendam subsidia suppetant, distinguendis, praecipiunt, laudamus nos quidem, sed sequimur id, quod ut gratiae minus, sic laboris

plurimum habet. Historiam namque professi, per intervalla Diplomaticam, [1]) mox Philologiam, mox aliam, ut necessitas jubet, in usum nostrum perpolire scientiam subsidiariam pergimus.

[1]) Propylaea rei dipl. apud Hungaros clar. Schwartnerus opere: „Introductio in rem dipl. aevi intermedii" Schwartnerum praelectionibus Stephani Horváth notisque aliunde sumtis amplificatum Pergerus in suo: „Bévezetés a diplomaticába" dedit. Neutrum laude eruditionis diligentiaeque frustrari velim; sed diplomaticam etiamnum desiderari dico, ex qua criticen intelligam Curiae Lud. Regis literas quasdam (IX. v. 3. p. 648) „a principio suae inceptionis, usque ad finem, stylo et cursu regni consvetudini contrarias, imo penitus modo extraneo et abusivo scriptas" pronunciantis.

§ 55.

De adminiculis externis

Grimmius, praeclarissimo, quod anno **1828** edidit [1]) opere, tantam priscis Germanorum consuetudinibus adfudit lucem, ut, C. F. Eichhornio teste, plurima sint, quae in historia juris populi hujus opinionum errore inveterata mutari deinceps oportuerit. [2]) Eximie Grimmius de gente sua; lucis vero illius ad vetustissimas quasdam in Hungaria leges reflexione, de his simul haud mediocriter meruit; quae namque cum hospitibus germanis isthuc commigraverint consvetudines, non jam conjecturis colligi, sed certis judicari testimoniis potest. Recenti auctori antiquissimum jungo, Conringio, Püttero, laudatissimis Germaniae viris, celeberrimoque laudatum Gvisoto [3]) **Hincmarum** apud Rhemenses Archi-

[1]) Deutsche Rechtsalterthümer von Jacob Grimm. Göttingen. Vitam hujus fratrisque legas in Revue britannique Nr. 12, 1845. et Nr. 3. 1846 p. 273.

[2]) Deutsche Staats- u. Rechtsgesch. 1834. I. T. p. 36—37.

[3]) Cours d'hist. mod. 2. p. 339 — 367.

episcopum, qui ordninem Palatii Caroli M. sibi apprime cognitum descripsit, deditque plura Regis illius doctrinae politicae capita, quae deinde d. Stephanus imitanda sumsit. De utroque plura deinceps in commentariis his, ad quae scriptores hi, praestantissima item Hüllmanni, [4]) Hallami, [5]) Eichhorni, [6]) Meyeri [7]) et Savignii [8]) de institutis legibusque aevi medii opera tanto mihi, vere dicam, qvanto Grimmius Möserusque gratissimo Savignio [9]) suo, majorique poene fuerunt adjumento.

---

[4]) Gesch. des Ursprungs der Stände in Deutschl. Berlin 1830.

[5]) Geschichtliche Darstellung des Zustandes von Europa im Mittelalter, von H. Hallam, Esq., germ. redditum per B. I. F. ab Halem edit. Lips. 1820.

[6]) Opus supra (2) laudatum.

[7]) Esprit, origine et progrès des Instit. jud. par J. D. Meyer. Paris, 1823.

[8]) Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter. Heidelberg 1834.

[9]) Ibid. vol. 1. p. 115—191.

De ansa modoque operis.

§ 56.

Ansam ad scribenda commentaria haec, privatae haeredii,

Ea provinciae Posoniensis interamnensi parte, quae a fluvio Csalló hungaris Csallóköz, germanis ab antiquo Sküth vel Skith (Scytharum apud Theophanem Ostrokocsiumque nomen est) jam Schütt, [1]) jam Schitt

---

[1]) In Reg. Varad. n. 225 Shut scribitur, quod cave cum Chut confundas, erroremque erres eruditissimi alioquin Pray, qui Cumanos in Shut, Csallóköz, provincia Posoniensi collocat, quos in Chut provinciaque Nitriensi Bela IV. collocarat. Conf. C. D. V. 1. p. 216.

dicitur, gente editus, quae Buzadum, seculo XII. inclinante, Comitem latum [2]) inter Majores suos numerat, et praedium, cui a filio hujus Belud, nomen Belud-Karcha, Beludháza, idem, quod Belaháza adhaesit, etiamnum obtinet, jam adolescens compereram, haeredio illi hinc populum, illinc jobagiones castri olim confines, continuumque cognominum duodecim villarum Karcha tractum (Karcha szél vulgo) primis Hungariae temporibus inter possessores variae divisum fuisse conditionis. Ab Andrea II. Joannes Pontifex Strigoniensis, longe maximi nominis, villas Pinke Karcsa et Morocz Karcsa terris castri Posoniensis exemtas dono accepit; inde jam nobiles quoque jobbagiones eclesiae illius, hoc locorum ambitu continentur. Inter accolas regionis hujus variae olim de finibus lites amicis partim compositae pactis, partim judice auctore decisae, quarum exitum nosse ex privatis aviti juris mei rationibus fuit.

---

[2]) Idem notat, quod de latus, et de latus se apud Innoc. A. Grimm. de Casis literatis, seu nostro loquendi more perpetuum ad latus Regis, causasque, in Auditorio ejus quae tractabantur, Praestaldum.

§ 57.

publicaeque muneris rationes, et veri ac aequi dabat

Conterminus locis his est vicus Nyék, cujus primos possessores unius, uti dici amat, sessionis Nobiles Schierius, quod genuinam notionem Procerum Jobagionum castri exploratam non habuit, Stephani II. Regis Primates; Prayus errore non minori Jobagiones s. Emerici compellavit. Ultra hunc Várkony antiquissimum [1]) Varchunorum; Magyar paulo remotius, Mo-

---

[1]) Memoriam loci literae continent Lad. IV. Cod. Dipl. V. v. 2. p. 193.

gororum in veteribus literis memoriam servat; sicut Guta Karcha [2]) exoletum Guta-Magyarorum. Ad occidentem solem proximus vico huic districtus de Gelle (Gelle vidék) et series septem florentissimorum hodieque pagorum (vulgo Patony szél) imminet, qui a prisca terrarum castri Posoniensis conditione in praesens quoque parum absunt. Oppidum de Vajka, Danubio adpositum, inde usque a primordiis eclesiae Strigoniensis perpetua liberorum ejus sedes est, caputque nunc ipsum provinciae distinctae, cujus populus supremum Moderatorem, Palatinum Archiepiscopi Strigoniensis, ceterosque Magistratus proprios, et jura per divos Hungariae Reges Eclesiae illi collata constantissimo octingentorum et, quod ultra est, annorum usu tenet omnia. Quae cum antea mihi non incognita fuerint; tamen postquam anno **1810** Notarius Comitatus Posoniensis renunciatus, emensis muneris hujus gradibus, Ordinum ejus provinciae sufragiis Vice-Comitis adivissem munus, et haec et vero priscam Comitis castri Posoniensis auctoritatem cognovi clarius, et, ne singula persequar, antiquissimis Székelyiorum ad Moravam in Székelyfalva, Székelyboldog aszony falva (utroque enim modo Hungaris olim, nam hodie Slavis Szekula dicitur) Speculatorum item ultra Tyrnaviam Sedibus detectis, parvam quamdam, ut intra unius fines Comitatus, sed exstantissimam reperi veteris per Hungariam systematis politici effigiem. Medio tempore Comitia anni **1825** concita sunt. His pro perpetua, quam gratissimus commemoro, Ordinum illorum in me voluntate cum adessem, et postea, dum injunctas mihi art. VIII. legum tunc rogatarum partes fungerer,

---

[2]) Hodie Kulcsár-Karcsa. Ad lacus jacet haud dum penitus siccatos, uti Guta ad Danubium minorem; Gutor, coevus perinde initiis Hungariae locus, ad capitalem ejusdem fluvii ramum. Ex quibus ferme assequor, Guda Macarios Mosis Chorenensis, eosdem illos esse Magyaros, qui Notario Belae Regis Dontői, id vero est ostium Tanais majoris accolentes vocantur.

auctoribus, qui de originibus, vicissitudinibusque avitorum patriae institutorum memorias prodiderunt, ita usus sum, ut, quibus adhuc negotiorum tantum intervalla, deinceps partem quoque temporis negotiis his destinati, velut praecipuis ad haec perficienda adjutoribus darem; nihilque mihi tam gratulor, quam sic deinde etiam aetatem omnem degere potuisse, ut ab hoc rerum veterum hungaricarum studio nunquam penitus avocarer. Itaque postea etiam, atque honorificentissimo, excellentis viri, quave jam fruitur, fama sui ad immortalem gratiam rerum per se in commoda publica gestarum comparata, nunquam non victuri, Georgii Mailáthii nunc Judicis Curiae Regiae, tunc Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenentis in me studio, ad Curiam Regiam Officii hujus, post paullum singulari benignitate serenissimi C. R. Principis, qui nuper adhuc Prorex Amorque Hungarorum, jam funus summum perpetuumque desiderium eorum est, Officii Palatini Protonotarius nominatus, per divum denique Franciscum Regem ad Cancellariam R. H. Aulicam a Consiliis jussus eram, colui studium hoc, quantum per reliquas muneris partes liceret, hoc magis, quod plura in eo essent, quae uti res nostrae adhuc sunt, ad praesentem quoque usum suppeditarent. Sic adsvetus labor aliam ex alia voluptatem et saepe, nec enim diffiteor, dulcem doloris aberrationem habuit; propositis tamen ante oculos clarorum virorum exemplis incitabatur maxime; quod iterum iterumque cavendum existimavi, ne quantae iis gloriae est, res hungaricas longa pressas nocte ad diluculum adduxisse, tanto nobis dedecori sit non elaborare, ut cum institutis Majorum justae simul eorum laudes in luce ampliori collocentur, quidve in recensu formarum status publici Europae aevi intermedii, de hac vel in primis sentire Civitate deceat, accuratiori vernaculorum generis nostri morum, institutorumque inter se et cum exteris comparatione magis reddatur perspicuum.

§ 58.

studium.

Quod dum, uti par est, adnitor, non mihi dissimulo, multa me videri dicere nova, quaedam etiam excogitare; cum diu, multumque cogitata omnia, sed nempe omnia perantiqua, partim id genus sunt, ut per Notarium Belae Regis, Verbőczium, alios, accurate perscripta, his errore aut arrogantia quorumdam etiam in vitiis ponantur. Ecquidem ita mihi sponte suscepti laboris hujus decursum facilem, exitum non poenitendum opto, uti praeter veri aequive studium, causas alias in Commentariis his adornandis procul habeo; tamen vel sic, plane, quid agam, scio. Assequutus id nemo adhuc est, ut scriberet placentia omnibus; Katonaium ipsum pro Boeoto taxant alii; alii, cum quibus ego sentio, eundem tamquam Historiographorum Hungariae Titanem venerantur. [1]) Horum certe, qui politica attigerunt, esse tam felici licuit nulli, ut non parum popularis aliquibus, aliis parum optimas, idemque copiosus nonnullis, quibusdam inops, jejunus, infansque videretur; cujus denique vitia non multis; haud paucis, quos de genere Mamerci, quisquis ille apud Martialem sit, extra Italiam quoque propagatos reperias, etiam virtutes displicerent. Sed tanti est: non laudare tantum scriptores probae notae, sed horum in recto tuendo etiam aemulari fidem, quove ex his nonnulli in causa aliena Romanorum, hoc nos in propria erga Majores tam bonos, crede mihi, quam fortes viros justo, pio, debitoque perfungi officio. Abunde est epiniciorum, quibus veteres, novique Scriptores Martem praedicant hungaricum; jam

„Larem corona nostrum decorari volo"

---

[1]) Spittlero quoque summa inter literatos auctoritate viro Entwurf der Gesch. d. Europ. Staaten, T. II. p. 251 jure laudatissimum. Vitam ejus Fejérius gratus discipulus dedit in Praef. Codicis Dip. VII. 3.

et quam nemo privatus magis, quam d. Franciscus Rex, hoc quoque nomine Optimus desiderabat, negotium publica omnium, qui in aliquo numero sunt, Scriptorum confessione perarduum, Status publici Hungariae aevi intermedii adumbrare conabor Historiam. [2])

---

[2]) Hujus conscribendae negotium d. Rex ille Prayo mandavit, qui profectum hinc opus suum: Historiam Regum Hungariae inscripsit, sequentia praefatus ,,Historiam Hungariae, quam statisticam vocant,. parabam scribere, cum mihi vel invito alia sub manu exiit; observavi in ipso operis decursu, quam multa nobis in hac Actorum publicorum paucitate, ad hanc rite formandam adhuc desint.'' Haec Prayus; quo in eodem plane, in quo habitabat, literarum genere plus audere cum excusatione, et sine periculo suspicionis arrogantiae itidem soli tantum summae in Majores pietati liceat. Liceat vero: quando haec Gregorii Berzeviczy ,,quos Hungari habemus historicos, non Regni, sed Regum Hungariae historiam scripsere; successiones, lites, bella cet. Sed quis fuerit regni status internus, quae prosperitatis, vel miseriae populi causae, quae diversarum incolarum classium invicem relatio, quis existentiae nationalis et constitutionis patriae habitus? id vix commemorant'' magnam partem eodem nunc ipsum stant loco. Nobis autem videndum est, ne non satis sit id, quod celeberrimus Belius pro suo in Patriam effusissimo studio queritur. ,,Soli Hungari nosmet ipsos amamus negligere, magno, si fatendum, quod res est rerum hungaricarum et melioris famae dispendio.'' Katona in Praef. T. I. Hist. Cr.

§ 59.

Modus in iis conficiendis, qui minimum artis haberet

Commentaria Opus inscripsi, verecundae mediocritatis consilio, ad quod vitae meae curriculum elaboratum est. Non artis, non palestrae gloria mihi quaeritur; in rebus et usu versor; illam igitur, et quam splendidae hypotheses, theoriae, systemata, et aliae hujus generis parum res continent ingenii excellentis laudem, concedens

aliis, ipse sola veritatis ex incorruptis literarum monimentis erutae [1]) jucundissima ducor voluptate; [2]) neque enim non jucundissimum per se est: scribere de gente, quae se (Listii Pontificis Veszpremiensis, et ab anno 1567—1571 Cancellarii Regii censoria haec ad Bonfinium nota est), severitate, praemio, et honore attineri maxime, tantum abest, ut celasset aliquando, ut trito potius profiteretnr proverbio suo. [3]) Meque jam totum ut noscas, is sum, cui hortus adeo non tam ille placet dispositus instructusque magnifice, qui sibi ipse jussus quodammodo adstupeat; quam alter hic, sua quasi sponte natus, eductusque, a natura ut minimum qui recedat. Nihil itaque aliud? clivos hic illicque, et latos prospectus habeat, et prateola, et quamdam veluti Marianam

---

[1]) Quam bene Cicero l. de rep. ,,vinci ipsa rerum publicarum natura saepe rationem'' tam vere Gvizotus ,,Aucune idée générale ne peut avoir de valeur réelle, si elle n'est sortie du sein des faits, si elle ne s'en nourrit constamment à mesure qu'elle grandit. Item ,,Rien ne fausse plus l'histoire que la Logique, quand l'esprit humain s'est arrêté sur une idée, il en tire toutes les conséquences possibles; lui fait produire tout ce qu'en effet elle pourroit produire et puis se la représente dans l'histoire, avec tout ce cortège. Il n'en arrive point ainsi; les èvénemens ne sont pas si promptes dans leurs déductions, que l'esprit humain.'' Et rursus: ,,L'esprit humain est comme la volonté humaine, toujours pressé d'agir, impatient des obstacles, avide de liberté et de conclusion; il oublie volontiers les faits qui le pressent et le gênent; mais en les oubliant il ne les détruit pas, et ils subsistent pour le convaincre un jour d'erreur et le condamner.''

[2]) ,,Wer Verschwundenes wieder in's Dasein zurückruft, geniesst die Seeligkeit des Schaffens'' testatur sibi Niebuhrius; facileque patior Tullium de eo sollicitum, ne parum sit semel ad memoriam consignasse, quod septum undique et vestitum vepribus ac dumetis sepulchrum Archimedis popularibus hujus Syracusanis ipse detexerit.

[3]) Script. min. Kovach. T. I. p. 337.

quercum, et platanum Socratis, quarum umbram sapientissimi Graeciae, Romaeque veteris viri de optimo statu rei publicae, huicque proposita beata civium vita disserentes sequebantur. His ego, ne vel hoc reticeam, auctoribus (nam recentiores plerique in diversum abeunt) non origines modo, civilesque rerum nostrarum conversiones, harumque causas, verum, qua licuerit, Architectos etiam fabrosque indicato, qui in condenda, aut reconcinnanda, qua labefacta est, excolendaque Civitate hungarica elaborarunt. Neque enim de Roma vetere, quam Hungaria verius est dicere „ob hanc causam praestare nostrae Civitatis statum ceteris Civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus, atque institutis suis; nostra autem resp. non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta seculis et aetatibus.“ [4]) Juxta cum illis mihi item de rerum publicarum natura Historiam, qualis haec per se est, non qualem Compilatores in sui quisque Systematis usum effinxerunt, Historiam nimirum Matrem illam veritatis, non hanc gerulam infantiae omnium opinionum ancillam consulenti, vita populorum proinde ac singulorum hominum virtute, neque ea tantum, uti sapientissime Aristoteles monet, [5]) quam fortitudinem dicimus, sed hac maxime continetur, quae in justitia, temperantiaque sita est, sine quibus nec Concordia existere, nedum publica cogitari prosperitas potest.

---

[4]) Cic. de Rep. II. 1.

[5]) Arist. Politicorum Libri superst. edit. Francof. ad Viadrum a. 1809 lib. VII.

§ 60.

maxime accomodus visus est.

Scripsi latine hungarus, non prisco gentis nostrae vitio: incuria idiomatis patrii; licet hoc, ut in Oratio-

nibus Schedelii mei vides, et foecunditate, et elegantia graecum aequet; nec quo esset aliquid in Sermone latino, pro hac praesertim, quae mihi ejus obtigit, tenui facultate, seu ad intelligentiam accomodatius, seu ad animos in legendo retinendos aptius; verum quod literarum monumenta, quae, ut in re magnam partem nova, pugnacisque generis, praetermitti nequibant, latina; ipse vero alacris animo sim, ut Hungaria aevi intermedii, quaeve historiarum hujus, ad eam simul de optimo Civitatis statu doctrinam opes sint, longo seculorum labore et experientia comparatae, horum aliquanto Commentariorum indicio, iis etiam, qui vernaculam nostram nondum callent, qvamprimum innotescat.

LIBER PRIMUS.

DE ABORIGINIBUS

POPULORUM GENERIS HUNGARICI;

speciatim:

HUNNORUM (RECTIUS CHUNORUM)

VARCHUNORUMQUE MORIBUS.

Ut in corporibus magnae dissimilitudines sunt (alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem) sic in animis existunt majores etiam varietates.

Cic. de Officiis l. I. cap. XXX. 8.

De Aboriginibus populorum generis hungarici.

§ 1.

Magyari, Simoni de Kéza et aliis vetustissimis Scriptoribus patriis Mogori,

Aborigines nostri, quos antiquissimi auctores graeci generico Scytharum nomine comprehendunt, [1]) iidem, qui Parthorum Majores, [2]) sibi Magyari et pro

---

[1]) Strabo rer. geogr. edit. Amstelo. de a. 1707 l. XI. p. 774. Idem l. VII. p. 454. et l. XI. p. 831. recte observat, non quidem Scytharum nomen apud Homerum occurrere; sed nempe hos esse, quos ille Hippemolgos, mulctores equorum nimirum, Galactophagos, id est: vescentes lacte, et Abios, qui sunt in vehiculis habitantes, compendio sic effert:

. . . . . mulctores claros respexit equorum (Jupiter)
lactivoros, Abiosque, hominum gens justior illis
nulla alia est . . .

Etiam illud bene Strabo l. VII. p. 462. „Hos postquam cum variis hominibus res ipsis esse coepit, ex iis luxuriam et cauponum artes didicisse; quae quamquam videntur ad exuendam ferociam ferre; tamen mores corrumpunt, inque locum dictae jam simplicitatis varietatem sufficiunt.“

[2]) Just. hist. l. 41. c. 1. Parthi Scytharum exules fuerunt. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur; nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur. Plura de Scythis Magyarorum Aboriginibus Otrokocsyus, Desericius, Prayus, Petrus et Stephanus Horváthii, Fejérius cet.

prisca dialecti varietate, [3]) **Magori, Mogeri, Mogori** [4]) dicti.

---

[3]) Steph. Horváth Rajzolatok § 74. seq. conf. etiam Kollár Amoen. Hist. cet. vol. I. p. 45.

[4]) Quod de villa Magyar in Csalloköz nunquam non Magar scripta adfertur: non est in eo; literas ante me habeo, in quibus Magyar Comitatus Posonien. Sec. XIII. XIV. constanter Mogor; Megyer in Csalloköz Comaromiensi Moger scribitur.

§ 2.

Ogori, Huguri, Agareni, Ugrique exteris vocantur.

Theophilacto Simocattae Scriptori optimae notae Ogori [1]) **appellantur; Huguri Menandro;** [2]) **Auctori synaxarii veteris, quod ad acathistum hymnum in Eclesia**

---

[1]) „Fuit Ogor gens tum numero, tum armorum exercitatione validissima. Haec in Oriente ad fluvium Til accolit, quem Turcae nigrum apellare solent. Ejus vetustissimi principes Vár et Cheunni vocabantur; a quibus etiam nonnullae illarum gentium adeptae sunt apellationem ut Vár et Chunni nominarentur" Stritter Turcicor. c. IV. § 31.

[2]) Ibid. c. II. § 16. Zemarchus autem per arenosa paludis iter faciens attigit rippas non solum fluminis Heich, sed etiam Deich (Geich, Jaik jam Ural) et rursus per alias paludes Atilam (Til, Atel, Rha, Volga, etiam Tanais, Don Major) inde ad Huguros; id est enim: Mazaros Const. Porphir. ita namque hic de adm. imp. c. XXVIII. „sciendum est a principio ad Atel et Geich (Jaik) flumina habitasse, iisque conterminos fuisse illos, qui Mazari atque Uzi cognominantur." Tantis fides Notarii Belae Regis de Dentu Moger: Don tői Magyar (Magyaris Volgam accolentibus) testimoniis nititur; tantumque vicissim ad fidem horum ipse per appositum Don tői (vernaculam loquendi formulam in Sártő, Zsitvató, Marczaltő, Csölösztő recordare) addit momentum; patet enim ex hoc etiam epitheto (Dontőiensium) Ogoros (Mogoros) plurium esse aborigines gentium, communemque harum omnium significare stirpem.

graecorum legitur, [3]) in Annalibus item majoribus [4]) minoribusque monachorum S. Galli, et apud alios vetustissimos quosdam Scriptores [5]) Agareni. Vocem per hos productam corripiunt Slavi, pro asperitate linguae, et qui Ogori, Hugurique Grajis sumus, his Nestorique Russo Ugri et Uhri vocamur.

---

[3]) Nicephorum Callistum plerique putant, vide Appen. ad Corp. hist. Bizant. p. 77 et seq. Et secundum hunc etiam Const. Porphir. qui l. I. Tactic. pro Cutriguris (Varchunis, Avaribus) Agarenos posuit.

[4]) In monum. Germ. hist. T. I.

[5]) Rerum alem. Script. aliquot Francof. 1730 Hepidami Caenobii S. Galli Annales breves ad a. 889, 893, 899, 900 cet. Ita Cedrenus T. II. p. 501. „Thomas manum militum validam coegit tum ipse, tum ab Agarenis accipit, non ex nostris modo vicinis collectam, sed etiam ex remotioribus: Iberis, Zichis, Cabaris." Idem igitur Agarenorum, qui Ogororum nominis ambitus.

§ 3.

Hunugari apud Jornandem, quod Hunnos Ogorosque significat.

Hunugari Jornandis, [1]) Hunnugri Ludovico Tuberoni, non mea solum, sed hujus quoque sententia Hun-

---

[1]) „Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium, quos tantorum virorum formidavit audacia." Jorn. de rebus Get. Jam Strabo urbem Tanaim fluvio cognominem (maximum barbarorum secundum Panticapaeum emporium L. VII. p. 477.) comercii hujus sedem fuisse notavit l. X. p. 755, 757. instauratam deinde per Chazaros. Coll. rer. Russicar. Mülleri T. II. p. 73. Quos Jornandes Hunugaros, Strabo Scythas „sed quorum singuli populi etiam sua nomina habent" apellat supra ostia Tanais (Don tő) carnibus et lacte viventes, difficilesque accessu, quia multitudine ac viribus praepotentes (l. XI. p. 754.)

nos et Ugros (rectius Ogoros) significant in unam auspicatissime copulatos vocem, [2]) quam usus quoque probavit; latinis enim Hungari apellamur; nomine hoc ipsam simul, de qua itidem Theophilactus Simocatta explicatissimum testimonium praebet, utriusque cognationem gentis indicante.

occluserunt itinera regionum." Verba Strabonis dedi propria, consona itidem Notario Belae Regis, cujus Don tői Magyari pellibus Zobolorum et aliarum ferarum vestiti carnes (c. I. VII.) et pisces et lac et mel manducabant, servarique ea memori paulisper mente velim reliqua etiam parte, reposcenda mox, dum de perpetua hac finium cura Hunnorum, Hungarorumque dicere adgrediar.

[2]) Schwandtneri Script. rer. hung. T. II. p. 119.

§ 4.

Iidem

Hunnicum hos genus, gentesque Procopius Caesariensis hunnicas vocat, quod in plures abiverunt generationes, quas in Nomades, et Euthalitas dividit, hosque Hunnos albos ad extremam Persidis oram, fixas jam inde antiquitus sedes obtinuisse; nigros alios ad sinus Caucasi cum plaustris et pecude, qua pascua invitabant, errasse; illorum, quod nunquam nisi una cum Medis in Romanam irruperant ditionem, gratum; horum, velut perpetuorum hostium nomen infestum Imperio illi fuisse refert. Atque hi sunt, de quibus Agathias (intra a. 553—559) haec ad memoriam prodidit [2]) „Hunni quoad genus olim quidem incoluerunt Meotidis paludis eas partes, quae sunt ad subsolanum ventum, erantque fluvio Tanai magis septemtrionales, sicut etiam aliae barbarae nationes, quaecunque intra Imaum montem per Asiam loca habebant; hi autem omnes comuniter Scy-

[1]) Libro I. belli Persici c. III. VI. et VII.

[2]) Hist. de regno Justin. l. V.

thae et Hunni vocabantur; secundum propriam autem gentem pars quidem eorum Kotrigori, (Cuturguri Procopio) pars Utigori (huic Uturguri) alii vero Ultizori et alii Burgundi, et alii, ut illis patrium erat, et consuetum."

§ 5.

etiam Turcae Scriptoribus Byzantinis nuncupantur,

Ogori Theophilacti Simocattae, Abulgazio Madsarii sunt; [1]) Mosi Chorensi Guda Makari [2]) quod cum Don tői Magyaris Notarii Belae Regis convenit. Et his et vero illi communis stirpis propagini, quae proximam Persidi regionem tenebat, apud Scriptores Byzantinos etiam Turcis nomen; [3]) genericum utique, et maxime populo invisum, qui vulgo etiamnum ita appellatur, quoniam ipsi Osmannos se dici, haberique malunt. At vero inter Majores orum, nostrosque, si vel nominis communionem hanc, et vernaculum in praesens quoque complurium vocabulorum utrobique usum consideres, [4]) consue-

---

[1]) Chanus Ochus ei (Kipzak) tradidit notabilem exercitum, ut bellum inferret Urussis, Vlachis, Madsariis et Baskiris, qui habitant ad fluvios Tin, Atel, et Jaik. Hist. gen. de Tartares, traduite du Manuscript par D. A. Leyde a. 1726.

[2]) Hae autem gentes plurimae Sarmatiam alteram incolunt: Chaziri, Hunni, Guda Makari. Recolige, quae ad § 57. Not. praev. subjunximus.

[3]) „Sunt autem Hunni habitantes in oriente Persarum vicini, quos multi usitatiori vocabulo Turcas nuncupant." Theoph. Simoc. l. I. c. 8. „Turcorum gens Unnica fuit" Cedrenus. Irritatus Imperator Turcas Istrum accolentes, qui et Ungri vocantur cet. Zonaras. Et quae plurima ex Constant. Porph. paulo post citabimus

[4]) Cornides in Geneal. Regum Hung. sec. XI. p. 206. locupletissimam comunium Hungaris, Turcisque (Osmannis) vocabulorum penum struxit, auctam deinceps industria Steph. Horváth Cust. Bibl. ad Mus. nat. In his est etiam Kalauz (dux itineris), de quo paulo post.

tudo perantiqua, neque nihil est seu usus seu necessitudinis, qua Finni quoque veteres Magyaros attigerint. Sed de hoc utcunque existimes, non laboro; ea enim instituti praesentis ratio est, ut, quae ultra memorias rerum per populos generis nostri ab sec. IV. post Christum natum gestarum sita sunt, percoli, et quam late Japheti, vel, ut quidam volunt, Chami progenies haec propagaverit sese, vestigari non exposcat; de moribus vero Hunnorum (rectius Chunorum) quaedam quamprimum delibari etiam urgeat.

§ 6.

inter quos Magyari, Hunnique probatissimum genus stirpis sunt.

Quod enim perpetua ad haec, constantique Antenatorum traditione accepimus, seque, Hunnosque ejusdem sobolem stirpis esse; [1]) hoc non aliunde magis, quam ex comparatione vultus consvetudinum, vitaeque vitalis populi utriusque cognoscas. [2]) Est autem haec jam per se

---

[1]) Simon de Kéza l. 1. c. 1. § 3. Thur. Par. II. c. 1. nam Belae Regis Notarius c. V. VII. XII. XXIII. ipsum Almum Atilae fuisse progeniem constanter asseverat; confer etiam c. XIV. XIX. XX. XXXVIII. et XLVI.

[2]) Consentientem habeo celeberr. Savignium o. c. Tom. I. pag. 187. de tribubus Germanorum. Quid de argumento hujus generis Robertsonius (The History of the reign of the Emp. Charles V.) moneat, probe recordor; et de moribus Germanorum Taciti Cluvero penitus adstipulor; habeo tamen mihi persvasissimum: non Robertsonium a Bocharto magis, quam eos a Robertsonio dissidere, qui dum ultra ea, quae fide exterorum testimoniorum adhuc diximus, mores quoque Hunnorum, Hungarorumque plane cohaerere viderint, perpetuae huic Majorum de cognatione gentis utriusque traditioni obtrectare pergant. Memorem praeterea mones: ad Spitlerum ut respectem, caveamque, ne laudes sat per se properi cultus, quae Majoribus nostris sec. XII. XII. jure debentur, pro horum Parentibus occupem. Ego vero studium veritatis professus, nec hanc, nec illam aetatem, impendio alterius, laudandam existimo.

utilis, ad scopum vero praesentis operis sane quam maxime frugifera; quod hoc potissimum adjumento primum domesticumque Juris hungarici principium, in nativis moribus repositum quod est, elucubrari, eorumque refelli commentum possit, qui traditione illa studium primordia rerum hungaricarum splendidiora reddendi involutum cavillantur. At enim sunt haec per se magnifica satis, neque ullo plagii genere opus habent, ut splendore suo scribentem obruant, et modestissimum quemque reddant solicitum, ne dum a conjecturis, opinionibusque vanis ad veritatem revocare rationem nititur, in panaegyrim incumbere viris praenimis doctis videatur. Mihi autem propositum est res Hunnorum, Varchunorumque summatim et ea solum parte, qua ad primaevorum institutorum gentis nostrae origines retegendas, eademque opera affirmandam et veteris traditionis illius fidem et Sententiae celeberrimi Hallamii auctoritatem [3]) pertinent, attingere.

---

[3]) O. c. vol. 1. p. 21.

De moribus Hunnorum.

§ 7.

Propria eorum consiliandi ratio

Pars horum, seu per Saporem Regem Persarum, inter quem et Valentem Imperatorem perpetuum fere bellum ardebat, subornata, seu qua alia incognita causa, facta a reliquis examinis instar secessione, circa annum septuagesimum quartum supra tercentesimum semet Europae infuderunt. Alanis, qui ultra citraque paludem Maeotida degebant, armorum felicitate superiores, cum ita hac usi essent, ut fortissimos quosque et bello aptos proficisci secum juberent, prosperos rerum in posterum quoque successus habuere. Cunctis enim populis, in quos

versus Daciam tendentes inciderunt, aut debellatis, aut in fidem receptis suam, brevi biennii spatio omni eo potiti regionum tractu sunt, qui a Tanai ad Istrum, Tibiscumque porrigitur. His mox tum scriptor obtigit Ammianus Marcellinus, homo quidem graecis imbutus moribus, et ab Hunnis haud modicum abhorrens, nec livoris expers; sed ex quo ad praesentis instituti rationem quod attinet, satis certo constat: „Hunnos nullo tunc communi imperio, severitateque, ut ait, regali adstrictos, Duces Primoresque plures, per se libere delectos, recoluisse; sprevisse domos, velut ab usu communi discreta sepulchra, Nomadumque consuetudine, tecta peregre etiam nisi invitos, non subivisse. Refugisse stivam, et bellicis laboribus intentos, conjugibus liberisque in plaustris relictis, ipsos equis diu noctuque velut affixos haesisse. Et deliberatione super rebus proposita seriis, hoc habitu omnes in commune consultasse.“ [1])

---

[1]) Libri XXXI. cap. II.

§ 8.

diversa

Maximum haec Comitiatum (communis colloquium consilii, Congregationem Comunitatis apud scriptores patrios) significant; nam quod Strabo [1]) Possidonium testem apellando, de Parthis dicit „duplex iis fuisse concilium: unum cognatorum, alterum sapientum, et magnorum, ac ex utroque (simul coacto, generaliter congregato) Reges (hoc Ducum etiam Praefectorumque apud scriptores Romanos nomen) [2]) deligi consuevisse“ non de Parthis solum, sed Hunnis quoque et plerisque generis nostri populis omnibus tenet.

---

[1]) Strabo rer. geogr. l. XI. p. 515.

[2]) De hoc inferius apud Varchunos uberius.

§ 9.

Atila quoque Duce perstitit.

Inter Duces Hunnorum Atila (Etel dicimus Hungari) belli pacisque potentissimus cum esset, jamque Regum etiam sociorum, aut in clientelam receptorum concilium agitaret [1]), hanc tamen tantae potestatis facultatem ea constanter sapientia temperavit, ut salva tribubus negotia communi cognatorum concilio determinandi facultate, de rebus, quas permeditato geri consilio interfuit, quantum quidem hae tractari cum multitudine natura sua renuebant, solis tantum Primoribus Ducibusque tribuum, magni apud has nominis et existimationis, [2]) consciis [3]) decerneret; de aliis tunc demum, dum communitatem audivisset [4]) statueret.

---

[1]) Hyeron. Rubei Historiarum Ravenn. edit. Venetae 1589 l. II. ad a. 451. seq. Illi tamen (Atilae) haud ita diu post animus denuo rediit, evocatisque ad colloquium apud Curtem, quam hodie Budam vocamus, barbaris regibus, hortatus est vehementer Italiae provinciam, ut agredi Secum vellent, cui cum multis de causis essent assensi cet.

[2]) Priscus „contra infinitam Scytharum multitudinem, et Duces magni apud eos nominis et exstimationis" cap. 2. § 2. Non ad Alanos enim solos, sed hos Hunnosque pertinent haec Ammiani Marc. „Servitus quid sit ignorant, omnes generoso semine procreati, Judicesque etiamnum eligunt diuturno bellandi usu spectatos."

[3]) Priscus ibidem „Itaque non multo post consilium Procerum de his, quae Atila statuerat, habuit."

[4]) Quae hujus fuerit auctoritas, itidem Priscus per verba indicat: „Atilas literas ad Imperatorem (Theodosium juniorem) scripsit quantum ad tributa, ut eorum proximae descriptionis gratia legati de his secum acturi ad se venirent, ne si cunctarentur, Scythae, ad bellum prorumperent, nec enim jam, etiamsi velit, in sua potestate esse, Scytharum multitudinem diutius continere."

§ 10.

De perpetuo Atilae Comitatu

Et inter Atilam quidem, ac Primores gentis ea intercedebat necessitudo, horum ut aliquos semper coram adesse oporteret. „Cum enim (verba sunt Prisci) decretam sibi ejus una custodiam corporis haberent, per vices, unus quisque eorum, praescriptis diebus, cum armis circa Atilam excubare tenebantur.“ [1]) Idem hoc tercentis post annis (tantum enim et paulo amplius temporis inter Atilae Hunnorumque et Alanorum et Francorum ejus aetatem, ac Seculum Caroli Magni interfluxit) de Ordine Palatii hujus Hincmarus; de Alfredo autem (Rege Anglo Saxonum) Florentius Vigorniensis prodidit, quando Ministros hujus Nobiles, qui in cultu regio commorabantur, exacto ad Aulam Regiam mense uno semet invicem excepisse testatur. [2]) Quod ecquidem non eo dico, quo aliena scrutari, aut pugnam iis facere vellem, qui cum plura alia, tum morem hunc ab Hunnis ad Francos; ab his deinde ad alios pervenisse existimanti mihi [3]) forte refragari in laude eruditionis ducerent; id unum specto, ut ne qui deinceps perpetuum Primorum gentis ad aulam Arpadi afluxum et refluxum apud Notarium Belae Regis; magnum ad haec et splendidum Regum Hungariae belli, pacisque tempore Comitatum apud Hartvicum, Ottonem Frisingensem, Rogerium, ce-

---

[1]) Cap. I. § 3. Idem Cap. II. § 8. Ad ejus (Atilae) tentorium iter dreximus, quod barbarorum multitudine, qui in orbem excubias agebant, erat circumdatum; § 17. „Atilae Custodibus et barbaris, qui eum adsectabantur, eram notus.“

[2]) Du Cange Henschelii p. 415.

[3]) De Conviviis Atilae jam Barthius Adversar. l. VI. p. 15. „plerosque Magnatum ritus, hodie usu per Europam in conviviis frequentes, barbarorum illis non valde absimiles, forte et abinde oriundos.“ Quid de moribus hunnicis in Europam propagatis celeberr. Gvizotus? alibi notavi.

teros viderint, ad peregrina referant instituta consvetudinem, quae Majorum generis nostri propria, [4]) uti apud hos multo obtinuit prius, ita apud horum posteros, quam uspiam alibi, observabatur perseverantius.

---

[4]) Primus moris hujus similitudinem quamdam Justinianus demum Imp. in Aulam induxisse Byzantinam videtur. ,,Olim namque (ita Procop. Caes. in Hist. arcana edit. Lugd. a. 1623, p. 134.) minime multi, rarenterque Regiam frequentarunt; sed post caeptam horum (Justiniani et Theodorae) dominationem, cum Magistratus, tum reliqui omnes assidue in palatio tempus traxerunt."

§ 11.

ac lege, quam in acie

Quam in acie instruenda tenuerit legem, in Campis Catalaunicis vides. In medio Atila cum robore gentis suae; similitudinem cornuum multiplices efficiebant populi et diversae, quas ditioni subdiderat, nationes. Hunc Jornandis locum dignum Sigonius censuit, quem enotaret; neque est alter, cui plus momenti ad causam quoque praesentem insit; primum enim exemplum repraesentat legis, quam Salus ipsa, ut aeternitati generis nostri contra tot bellorum discrimina, casusque fortunae consuleret, suggessisse Aboriginibus videtur per omnem horum deinde progeniem, uti cernis, deincepsque cernes amplius, ac per Hungaros quidem usque ad suprema Regum stirpis virilis Arpadianae tempora sic constanter observatae, ut ex perpetua lege hac populi, quos seu armis subegissent, seu petentes in horum admisissent societatem, praegredi eos in praelium euntes, primique excipere hostem tenerentur. [1]).

---

[1]) Antiquissimum legis hujus vestigium verba quoque Ammiani Marcellini sequentia innuunt: ,,Hunnorum gens ad usque Alanos pervenit; pervasis Alanorum regionibus, quos Tanaitas consuetudo nominavit, interfectisque multis ac spoliatis, reliquos sibi concordandi fide pacta junxerunt."

§ 12.

castrisque instruendis tenuit.

Indidem et ex Vegetio (l. II. c. 10.) intelligas: morem apud Hunnos obtinuisse, ut castris currus plaustraque in munimentum circumponerent. Qui omnibus de eadem populis stirpe comunis, apud Hungaros quidem etiam seculo tertio decimo, Thoma Archidiacono Spalatensi synchrono locupletissimoque teste, perstitit. [1])

[1]) Hist. Salonit. cap. XXXVII. „Circumponentes currus et clypeos undique, quasi pro munimento Castrorum."

§ 13.

Primores Hunnorum bello captos, ditiores qui erant, retinuerunt, inter plures deinde partiendos.

Inveteravit apud Hunnos, ut praecipui ab Rege (Duce) Principes, captivos ditiores sibi seponerent, quos deinde inter plures partirentur. Ita Priscus c. o. cap. II. § 14, cujus verba haec [1]) quanti sint, inde maxime intelligitur, quod sine his ratio, cur articulus 13. accuratissime confecti Diplomatis Albertini [2]) et 15. 1458 [3]), singulari plane

[1]) Et alibi „itaque placuit, pro uno quoque captivo Romano, his, qui eum bello ceperant, octo aureos dari." Idem.

[2]) „Dum in exercitibus et pugnis Ungaros aliquos de hostibus captivare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipsi Ungari hujusmodi captivos et lucrum (exceptis notabilibus personis vel capitaneis ipsorum exercituum inimicorum Regiae Majestati in captivos pertinentes, quos nos ab ipsis captivantibus, pro donis condignis recipere valeamus) pro se retinendi vel vendendi aut Ecclesiis, perpetuo servitutis jugo, tradendi et donandi habeant facultatem."

[3]) In Syll. Decr. Com. „tunc ipsi Hungari hujusmodi captivos et lucra, exceptis notabilibus personis vel capitaneis inimi-

exemplo, ad solos restricti sint Hungaros, rite assignari non queat; leges vero has cum illo Prisci loco, et Diplomate Belae IV. [4]) si contendas, clarissimum sit: hanc bello captos retinendi facultatem per populos generis nostri, Majoresque nostros usu perpetuo exercitam iterata legum quoque harum constitutione Hungaris solis ita esse adfirmatam, ut usurpare hanc tribunis militibusque, alius qui essent generis, non liceret.

corum Regiam Majestatem decentibus, quos et Majestas Regia a detentoribus pro condignis bonis transferre valeat, pro se retinendi cet.“

[4]) Jam Bela IV. cum duos Barones Servianos per Michaelem de genere Chak bello contra Urosium gesto captos et particulam dominicae crucis redimere vellet, in literis suis ita habet „quam particulam dominicae crucis, cum ab eodem Michaele fidele nostro, et captivos suos in pecunia redimere voluissemus; dare recusavit; nisi per Donationem vel concambium possessionis redimere possemus ab eodem.“ Cod. Dipl. T. IV. vel 3. p. 490. et V. v. 1. p. 238.

§ 14.

Notio libertatis apud Hunnos in adnexa obligationi militandi vectigalium tributorumque immunitate sita fuit.

Bello tamen captis, fidem industriamque si aprobassent, armorum copia libera; id vero disertis etiam cautum legibus, ut „si res in hostico praeclare gessissent, omnia, quae sic acquirerent, una cum libertate propria sibi vindicarent.“ Legum earundem constitutione, „quiqui apud eos degebant, tolerato bellorum labore, sine ulla solicitudine vitam peragebant; unus quisque nempe bonis, quae ei fortuna indulsit, ita fruebatur, nemo ut illi qua demum cunque in re ne minima quidem nogotium exhiberet, aut molestus esset“ [1]) Tributum pen-

[1]) Prisc. l. c. cap. II. § 14, ex quo haec ad verbum.

dere, servumque esse idem, et Atila teste, synonimum habebatur. [2]) Hanc dominii speciem aetas sequior allodialem libertatem dixit; agri vero et possessiones hujusmodi Francis sec. VI. jam salicae apellantur. Progenitores Majorum nostrorum terras ex prima occupatione acceptas descensuales [3]) in vernaculo: szállás vocabant; cui quoniam ea plane, quae terrae salicae apud Francos [4]) inest notio; hoc ipsum diserte observandum hic erat, ne quis de indubia proprietate nostra litem nobis intendat, aut quia vocabula: **Dominium ex jure Quiritium, allodium, arimannia, terra salica** usu nobis incognita; eam item bonorum indolem, quae vocabulis his alibi gentium significabatur, ignotam fuisse putet.

---

[2]) Atila apud Priscum cap. I. § 4. Theodosium, ait, tradita a Patre nobilitate excidisse, quod tributum sibi pendendo, suus servus esset effectus. De Persis, more suo, immunibus a tributo vide Herodot. l. 3. 97.

[3]) Simon de Kéza cap. I. § 12. isti quidem Capitanei loca descensumque sibi elegerunt, similiter et generationes aliae. Chron. Bud. p. 44. acceperunt sibi loca et descensum. p. 48. Dux Geycha montem Kisczen pro descensu aeterno contulisse comprobatur cet.

[4]) Nam de etymo vocis salicae nondum exploratum est. Salicam terram Montesquieu vocat (Esprit des Lois l. 18. c. 22.) domui, aut loco habitationis adjacentem. Nihil verius; sed enim neque vernaculo nostro szállás quidquam congruentius, aut aptius quod ex szálni (descendere) derivatum, in antiquissimis diplomatibus nostris terra descensualis dicitur, terramque ex prima occupatione acceptam, praedium, haereditatem, proprium, id ipsum nempe, quod Francorum terra salica significat. Confer etiam legum Lombar. Rothar. art. 136. „de illis vero pastoribus, qui ad liberos homines serviunt, et de sala propria exeunt;" verba item Chron. Bud. p. 210. „pro cujus nece Myze Palatinus una dierum ad descensum (Szállás) praedicti Arbucz veniendo" cet.

§ 15.

De onere praestandi ex moribus Hunnorum per homines conditionis obnoxiae commeatus

Qui communis colloquii, aut alius publici negotii causa, vel Atilae jussu, in loco aliquo versabantur, his incolae, finitimique tributariae conditionis qui essent, commeatus copiam subministrare tenebantur; tam altas radices Hungarorum consuetudo habet, quae (nec enim diffiteor) plurimis vicis hujusmodi, locisque suburbanis, onere descensus (ita enim in legibus, diplomatibusque nostris commeatus apellatur) opressis exitium tulit, [1]) plurimisque licet legibus vetita, seculi demum quarti decimi initio excisa, non evulsa est.

---

[1]) Ita C. D. VIII. v. 7. p. 129. „possessiones praedictae Eclesiae fuissent propter regni convenam (sic) desolatae cet.“

§ 16.

memorabilis Prisci locus, et Kalauziorum notio.

Quae Priscus hanc in rem cap. II. § 11. dedit, ita habent: „alio iter vertimus, scythis exterorum deductoribus, nos id facere jubentibus; congerebatur vero nobis ex vicis commeatus; pro frumento cenchrum, pro vino medum, sic enim locorum incolae vocant.“ Non de Hunnis hic, quos omnis tributi immunitatem habuisse commodum vidimus, verum de veteribus Pannoniarum Moesiaeque incolis bello subactis, sermonem esse jam quisque, opinor, intelligit. Suis igitur ineptiis plaudunt, qui nec cenchrum, nec medum hungaricum esse vocabulum obtendendo, linguam Hunnorum (pro his enim tributariam illam incolarum classem accipiunt) ab hungarica diversam fuisse argutantur. Priscus Scythas exterorum deductores, quo Hunni nomine in vernaculo

appellaverint, si dixisset; nae ille rem nobis gratam admodum, id namque praestiturus erat, ut non mihi solum indubium, verum omnibus testatissimum esset: quemadmodum institutum hoc populis generis nostri commune, sic prorsus antiquissimum nomen Kalauz, [1]) quo viae duces hodieque vocamus, usu jam apud Hunnos viguisse. Ex quo deinde vernaculum nostrum kalézolni (circum circare) et caleses barbarum, quod remne inanimam, an jumentum, sin hominem, et si ita: quem terrae filium, ad adjuvandum iter singificet? in glossariis inter auctores tantum linguae hungaricae minus peritos certari [2]) potest.

---

[1]) Vide illud apud Kresznerics in ejus magyar Szotár. Generationis Kalez memoriam literae C. D. VII. v. 5. pag. 103. conservant. Ex verbis vero Matthiae Corvini ad Galeotum (apud hunc ipsum cap. 28) „currus et ductores, pecuniaeque et commeatus sibi dabantur" patet, avitam hanc peregrinis Kalauzios adsignandi consuetudinem, seculo etiam XV. apud Hungaros floruisse.

[2]) Vide vocem Calesis in Gloss. du Fresnii digest. per Henschelium a. 1841. aliam item „Calinus minor."

§ 17.

Atilae in alienigenas,

Onesegius, qui secundum Atilam plurimum apud Hunnos opibus et auctoritate [1]) pollebat, fraterque hujus Scotta praecipui Atilae bello et pace consultores; secretorum praeterea, scriniorumque arbitri omnes, utpote: Orestes, duo Constantii, atque Rusticii (Belii utor verbis) *αλλο φυλοι* exstitere, professi palam: potiorem se ducere apud Atilam servitutem, quam apud Romanos ingentes opes. [2]) Laudat haec Belius: ego vero ad-

---

[1]) Prisc. l. c. cap. 2. § 13.

[2]) Ibid. § 16.

scripsi, ut primum noscas auctorem consilii, quod Arpadus, ceteri deinde Duces ac vel maxime d. Stephanus sequutus est, qui in Hunt Paznano et ipse Onesegium habuit suum, et vero hoc Majorum suorum, imo universi generis nostri in alienigenas, bonos viros, studium etiam filio suo enixissime commendavit.

§ 18.

legatosque exterorum studium.

Hujus item laudis Atilae Priscus testis est, dum legatos Romanos equis et ferarum pellibus, quibus Scytharum Reges ad ornatum uterentur, per eum jam solum, jam etiam per Scythas Principes, ejus voluntate, muneribus hujusmodi ornatos refert. Neque est, quod dubites, Atilam vicissim novas et saepe vanas occasiones legatorum mittendorum excogitasse, et ad suos necessarios, quos liberalitate complecti volebat, has legationes detulisse; quando utrumque eodem apud Hungaros more agebatur.

§ 19.

Juris administrandi cura.

In quibusque tamen muneris sui partibus praecipuam et ceteris negotiis omnibus, etiam quae externae securitatis reipublicae rationes contingerent, potiorem [1]) juris inter suos dicendi curam habuit, facilique omnibus, ad tribunal suum aditu, causas jam solus, jam cum Primoribus cognovit.

---

[1]) Priscus l. c. cap. II. § 17. Atila egressus habitatione gravis vultu cum Onesegio sedit pro aedibus. Hic eum multi, quibus erant lites, adierunt et ejus judicium exceperunt. Deinde domum repetiit et barbararum gentium legatos, qui ad se venerunt, admisit.

§ 20.

De religione Hunnorum.

Ammianus Marcellinus Hunnos, quos alibi [1]) Chunos scribit, nullius religionis vel superstitionis reverentia aliquando districtos asserit, prorsus ad eum modum, uti fratres Praedicatores aetate Belae IV. ad exquirendas per Asiam Hungarorum sedes missi de his asseverant. [2]) Idem tamen de Alanis disserendo, dum hos Hunnis per omnia suppares, verum victu mitiores et cultu refert, admittit ultro: [3]) Alanis Hunnisque communem eam consuetudinem fuisse, ut gladium barbarico ritu humi figerent nudum „earumque Martem regionum, quas circum circant" (proprie hoc quidem; sed usitatius: obtinent, degunt, habitant suum igitur: ut originem appellationis Magyarok Istene cognoscas) Praesulem, verecundius colerent, non simulacris aliquibus vel templis; communi enim cum Persis opinione, [4]) omnia Deo suo debere esse patentia ac libera credebant, sed illa religionis reverentia, qua deinde repertum Martis gladium Prisco teste prosequebantur. Fuerant denique ex his plures, quos ubi primum in Daciam advenere, Theotimi Pontificis Tomitanorum et Scytharum opera sacris Christianis initiatos, ex Sozomeno et d. Hyeronimo novimus.

---

1) Lib. 31. cap. 8. § 4.

2) Vide relationem eorum apud Desericium.

3) Cap. 2. § 11.

4) Cicero de LL. l. II. c. 10.

§ 21.

De victu, cultuque

Priscum cetera etiam, quae in societate legatorum Theodosii ad aulam Atilae versatus experientia comperit, edisserentem si audias, tute cognosces ea Ammiani de

rudiore Hunnorum cultu plane sic esse comparata, veluti si hunc ex moribus, quibus vilissima exercitus varii portio „et jam sine nomine turba“ utebatur, aestimandum duxisset; e diverso enim Priscus, quemadmodum Atilam in omni cultus externi genere nobilissima simplicitate insignem, ita reliquos ad aulam ejus multo luxu, et ipsos adeo equorum fraenos gemmis lapidibusque pretiosis exornatos adfirmat. [1])

---

[1]) Cap. II. § 19. et alibi „hic vero praeseferebat Scytham, qui opibus circumfluebat; erat enim bene et eleganter vestitus, capite in rotundum raso.“ Cetera Procopius Caes. persequitur in Hist. arc. p. 31. „Factiosi mento et alis intonsis, quas Persarum more prolixe lubebat promittere, sinciput capillitio ad tempora usque nudarunt, coma ad occipitium permissa, ut Massagetae solent, nulla lege difluere; quare et hunc habitum hunnicum apellavere; omnes sibi curarunt vestes arte laboratas. — Humeralia, tibialia, et pleraque calceamentorum genera, Hunnorum ad ritus, nomenque usurparunt.“

§ 22.

generatim.

Ex classico hoc constat teste: Hunnos intra sua conclusos (cum non parva vernaculae incuria, vanaque alienae lingvae adfectatione) non tam hunnicum, quam Gothorum aut etiam Ausoniorum idioma coluisse, eos scilicet: quibus cum Romanis frequentius erat commercium. Sublatis epulis joculatores, morionesque, ac inprimis eos admissos, praecipuaque auditos voluptate, qui versus in laudes victoriarum, bellicarumque Atilae virtutum per se apparatos recitarunt. [1]) De coena

---

[1]) Cap. II. §. 14, 20. Et vere et eleganter de his Montesquieu in suis Consider. sur les causes de la grandeur des Rom. „du reste, on ne peut gvères louer sur la bravoure le chef d'une nation, ou les enfens entroient en fureur, au récit des beaux faits

eorum funebri Belius ad Juvenci Caelii Calani Atilam disseruit. [2])

d'armes de leurs péres, et ou les péres versoient des l'armes, parce qu'ils ne pouvoient pas imiter leurs enfens."

[2]) De vernaculo ritus hujus nomine inferius. Ritus ipse pluribus antiquissimis communis erat gentibus et Athenis quidem morem hunc jam a Cecrope permansisse scribit Cicero de LL. l. II. c. 25.

§ 23.

De bellicis laudibus eorum

Nihil neque Ammianus decerpit, ut qui potius Hunnos Primatum suorum ductu, quidquid incidisset, perrupisse; praelium cuneatim, variisque vocibus sonantibus torvum [1]) inivisse; ad pernicitatem leves [2]) et repentinos, dum de industria dispergebantur, non pilandis inimicis castris, sed inferendae vastissimae, quoad ejus fieri posset caedi incubuisse; eo vero omnium acerrimos fuisse bellatores scribit, quod procul missilibus telis, cominus ferro sine sui respectu conflixerint. [3]) Pro-

[1]) Idem Romanis mos apud Gellium l. 1. c. 11. Caesarem de bello civ. c. XXIX. 92. Idem Gallis apud Liv. l. V. c. 37. Quae de feritate Hunnorum quidam habent, itidem ex Strabonis sententia hac (l. VII. p. 463) aestimanda sunt: „Jam Ephorus IV. Historiar. libro cum aliorum Scytharum, tum Sarmatarum non unum esse institutum ait, neque alii quidam de crudelitate eorum verba faciunt, quod sciunt animos rerum atrocium et terribilium narratione percelli; cum tamen in alteram partem, neque, quod dicatur, desit, neque exempla."

[2]) Strabo rer. geogr. l. VII. p. 480. peculiare hoc omnibus Scythicis et Sarmaticis est gentibus, quod equos castrant, ut eo habeant eos ad ferendum mansvetiores; sunt enim parvi, verum acres admodum et contumaces.

[3]) Confer. cum his locum Zosimi Hist. l. IV. qui Hunnos stataria pugna minus valuisse, sed partim circum equitando, partim

pugnacula Hunnis nulla; Hunnivár enim flumina erant, quae sola sibi arcis instar esse, munimenta cetera pectore suo contineri, in alienae quodammodo ignaviae obtrectationem ferebant. [4])

---

excurrendo, partim opportune recedendo et ex equis jaculando immensam passim edidise caedem perhibet, tamquam illa Socratis apud Platonem in dialogo, cui Lacheti nomen dedit, verba ,,Scythae dicuntur non minus fugiendo, quam insequendo pugnare" et quod ad haec Laches reddidit ,,equites sane illorum sic dimicant" interpretari et consuetudinem eam autoribus assignare suis vellet.

[4]) Jornandes l. 8. cap. 52. ,,quas Danubii fluenta praetermeant, quae (fluenta) lingva sua Hunnivár appellant."

§ 24.

vitiisque

Hunnos Ammianus cap. II. l. 31. adeo permutabiles et irasci faciles testatur, ut eodem aliquoties die a sociis nullo irritante saepe desciscant, iidemque propitientur nemine leniente. Cedo; nam has eorum intemperias queritur etiam Priscus; [1]) discordias ad haec et crebra ad hostes transfugia notat. Graves itaque Praefectis poenas dederunt, et transfugae quidem reddi se qui patiebantur, crucis damnati suplicio; erant enim alii, qui perire apud alienos gladio, quam redire ad suos mallent. [2])

---

[1]) In Bericho viro e Scythiae (Hunniae) primoribus multorum vicorum ibi domino c. II. § 22.

[2]) Priscus: Romani vero multos ex profugis, qui dedi reluctabantur trucidarunt, inter quos et Praefectum Scytharum Regii generis, qui militare sub Atila renuerunt et Romanis se adjunxerunt.

§ 25.

In summa: res hunnicae

De Hunnis mihi sermo est. Quod cogitate moneo quosque, mea haec qui legerint. Omnia enim, quae adhuc dixi, ita communia Majoribus Hungarorum sunt, ut si quis alterum me nefors Plauti velle Amphitruonem repraesentare objiciat, non ille de re male, sed de opera mea pueriliter existimet. Intelligentes rerum harum, puto fore, ut aliud laboris hujus statuant pretium; visa nempe hac morum gentis utriusque similitudine, perpetuaque et constanti, quae mox uberius illustrabitur, omnium partium usus, cultusque vitae Hunnorum Hungarorumque consensione, ipsi quoque facilius in gratiam redeant cum Chronographis patriis, qui rerum hungaricarum velut citeriorum notitia, fidesque non perinde ac hunnicarum longinqua cum sit, has, illasque nullo separatas intervallo conjungunt; id vero illis libenter etiam concedant: quae de prisca Rectoris Comunitatis apud gentem utramque, ne Francos veteres Sismondii memorem, [1]) auctoritate adhibitaque erga vexillum Ducis reverentia promunt, tam certa ea esse, quam quae ab iis de antiquissima Hunnorum, Hungarorumque cruentum gladium, quoties bellum ingrueret, circumferendi consuetudine [2]) et speculatores in omnes

---

[1]) Apud Francos sec. VI. Magistratum hunc Sismondius Hist. des Français T. I. p. 340. in Majore Domus videt ex Mord Dom (juge du meurtre, juge à mort) derivato, additque. „Cet office de grand-juge etoit délors pour les Francs une institution ancienne“ Ibid p. 405. „dont la nomination appartenoit au peuple et non point au roi.“ — Un grand juge fut élu cet.

[2]) Vide Istvánffy ad a. 1534. Pericopen Const. exercit. trium Nat. in Transyl. Kovachich script. min. Pray Hist. Reg. Hung. not. praev. p. XXI. XXIII. Kállay: Értekezés a Székely nemzet eredet. III. Szakasz. § 1.

mundi partes constituendi solertia [3]) accepimus, exploratissima sunt.

[3]) Simon de Kéza L. I. c. 3. p. 5. cet. eadem de hoc Atilae instituto, quae Cleomodes Sphacr. L. II. p. 169. edit. Antverp. de Xerxe tradit; nam de tabellionibus Persarum Herodot. l. VIII. 98. agit.

§ 26.

auspiciis Atilae ad summum evectae fastigium

Atila manu suorum fortis, sua tamen admirabili virtute, consilio, civilitateque etiam fortior [1]) quidquid a Tanai [2]) insulisque Baltici maris, ad littora Adriatici et Hemum intercedit, dominatu suo complexus, ut virtutibus illis, ita felicitate earum quibusque sui aevi Principibus potior, nec cuiquam, qui ab aetate ea in praesens inclaruerunt, secundus.

[1]) Priscus c. II. § 13. vide etiam subnexas Belii notas. Nemo tamen unus, Gibbonio etiam teste, neque Priscum penetravit altius, neque de Atila judicavit rectius, quam Cel. Montesquieu in opere superius laud. c. XIX. ex quo sequentia ,,il suivoit les moeurs de sa nation; qui le portoient a soumettre les Princes, et non pas a les conquérir. Item: Il etoit craint de ses sujets, et il ne paroit pas, qu'il en fut haï ,,plane ad praesens institutum, quia ad communes Hunnorum, Hungarorumque in usu victoriarum, fructuque bellici laboris, ut per omnem Regum stirpis virilis Arpadianae aetatem videbimus mores pertinent.

[2]) Don Simonis de Kéza l. I. c. 1. § 5. et c. 3. §. 5.

§ 27.

post deinde discordia perditae sunt.

Sed res hunnicas intra spatium non plane unius seculi ad hoc gloriae evectas fastigium, ab obitu Atilae

(a. 454) discordia filiorum perdidit, quae itidem non Hunnorum tantum exitii hujus, sed commune omnium generis nostri malorum semper caput erat. Cujus argumento fatali eo quidem, sed manifestissimo apparet: ad nostri hujus stirpem generis, nosque ipsos (nec enim vel longa aetas labem hanc moribus nostris exemit) haec Thucididis pertinere l. II. 97. „nam huic (Scytharum potentiae) non solum gentes, quae sunt in Europa, sed illae etiam, quae sunt in Asia, si gens una cum una gente conferatur, aequari nequeunt; imo vero nulla earum est, quae Scythis universis, si concordes inter se fuerint, resistere valeat. Quin etiam ne in alia quidem solertia et prudentia, quae in rebus ad praesentem vitam necessariis requiritur, ceteris nationibus sunt similes."

§ 28.

Plurimi itaque priscas repetierunt Sedes;

Hunni victi pars in Scythiam minorem recessere, sedibus inter Boristhenem, Chersonesum Tauricam, et paludem Maeotida fixis; pars primitiva ultra paludem eam Tanaimque loca haud multo post repetierunt, more vetustissimo proprioque generi nostro, pro multitudine gentium et tribuum diversis compellati nominibus. Hos Bizantinis generatim Uturguros dictos, postliminio ad numerum, nomenque Magyarorum Dontőiensium reversos asserenti Katonaio [1]) lubens me adjungo; nam de Cuturguris, ex quibus Cumanos progenitos existimat, seorsum sentire licet. Utramque tamen gentem ejusdem propaginem stirpis, linguaque et moribus conjunctissimam fuisse, non est quod ambigas. [2])

[1]) Epitome Chronol. rer. hungar. p. 7, 9.

[2]) Menandro teste, Saldichus Uturguris qui praefuit, Justiniano Imperatori id frequentissimis legationibus nitenti, ut Zabergam Cuturgurorum (Agareni Constantino Porphyrog. fuerant, qui

ırte magis, quam virtute Belisarii superati ultra quoque Bizantino-
ʼum meditari exitium videbantur) Ducem bello lacesseret, sequentia
ʼeddidit: minime sibi pium ac decens fore: omnes suos contribules
ıd internecionem usque delere; per haec, inquiebat, hoc assequemur, ut superessent, qui eadem lingva, atque nos uterentur, ɜadem habitatione, eodem vestitu, atque eadem vivendi ratione; lenique hi quoque sunt nostri consangvinei, quamvis aliis Duciɔus pareant.

§ 29.

ʾartem in Dacia perstitisse, hisque Siculos editos esse Majoribus, traditio est perquam probabilis.

Pro posteris Hunnorum se Siculi quoque in Dacia ʾerunt, nituntur que testimonio Notarii Belae Regis [1]) ¡am per se amplissimo, sed quod paullo inferius, dum de ʼerum hungaricarum per Pannonias initiis sermo fuerit, ɔovo reddetur argumento locupletius. Hi ab ultima origine stirpis omnes liberi, postquam vocabulo huic noɔilium successit apellatio, nobiles sunt omnes. Nomen iis ı vernaculo szőg, vel szeg et hely (extremis scilicet Daciae recessibus) est, in queis post collapsas Hunnoʼum res consederunt, olim finitimis, custudibusque ːimitum regni cunctis commune, sed jam soli huic genti proprium. Siculi nullo in ea solitudine cum exteris commercio juncti, proprium Hunnorum ingenium, quin illud moribus peregrinis demutaretur, conservarunt diutissime; nunc enim hoc uno a ceteris gentibus secernuntur, quod cum humanitate cultuque harum, militaris

---

[1]) Cap. 50. „et omnes Siculi, qui primo erant populi Atilae Regis, obviam pacifice venerunt.“ Simon de Kéza l. 1. cap. 4: Isti enim Saculi, Hunnorum sunt residui. Plura vide apud Anton. Verant. in Script. min. Kovach. t. II. pag. 106—109 et inprimis J. Kállay, qui libro singulari: Historiai értekezés a nemes székely nemzet eredetéröl, hadi és polgári intézeteiröl a régi időkben. Nagy Enyed 1829, de gente hac meritus est egregie.

simul Majorum fortitudo jam Notario Belae Regis, [2]) Mathiae Corvino, [3]) et Leopoldo M. Regibus [4]) laudata plerisque integerrima constat omnibus.

[2]) Not Belae R. c. 51. Sycli et Hungari ictibus sagittarun multos homines interfecerunt.

[3]) Diploma Mathiae Corvini de a. 1447 vide in opere: a nemes székhely nemzetnek Constitutioi és privilegiumai. Pest 1818.

[4]) Hic in Diplomate de a. 1690 quod apud Transylvanos sacrum audit, §. 14. ,,siculi genus, ait, hominum bellicosissimum.'

De Varchunis, vulgo Avaribus.

§ 30.

Hi adjuncta sibi Hunnorum Atilanorum parte

Seculo sexto, alia generis Ogor ad Til Theophilacti, Atilam Menandri, Etul et Don Kezae, pars vulgo Avares, Hunnique, [1]) Theophilacto Var et Chuni, Menandro denique Varchonitae in Pannonias successerunt postremae hujus apellationis, velut vernaculae memoria in pluribus homonymis per Hungariam vicis etiamnun superstite. His Agarenis item apud Constantinum Por-

[1]) ,,Hunni, qui et Avares dicuntur," Aimono Floriacensi de gestis Francorum l. 3. cap. 11. l. 4. cap. 3. cet. ,,Contra Hunnos, qui et Avares" habet Herm. Contr. Populum utrumque unius esse stirpis propaginem, cultuque, si religationem capillorum demas, penitus similem bene Sigonius tradit. Ita enim Diacon l. XVI. ,,Avares habebant retrorsus comas prolixas valde, atque perplexas. Quod ex versu etiam Corippi: Illa colubrimodis Avarum gens dura capillis, horribilis visu, crudisque asperrima bellis" cet. apparet. De nominis Avarum ad Hungaros significandos usu vide Valesii ad Panegyricum Berengarii notam apud Murat. t. II. 393. 394.

phyrogennetam, auctoremque Sinaxarii veteris, de quo supra diximus, nomen. Acerrimi aliquamdiu Byzantinorum hostes, postea Justiniano ad propulsandos Imperii, qua hoc versus Maeotida Pontumque procurit, inimicos operam suam pacti, praelium, uti convenerat, cum quibusdam Hunnorum Atilanorum reliquiis conseruisse feruntur, sed cujus ille fuerit exitus, ut una dies eosdem et hostes et amicos videret, alterique juncti alteris in eandem vulgo Avarum gentem coalescerent. Hanc deinde Albuinus Rex Longobardorum, qui exactis Gothis Pannoniae dominabatur, Gepidarumque liberari vicinia satagebat, ad socianda sibi arma vocavit, decimamque partem quadrupedum, quae essent apud Longobardos, extemplo tradendam et si fortuna subscripserit votis, dimidiam manubiarum partem, totamque Gepidarum regionem iis cedendam pollicitus, [2]) fidem datam re ipsa exolvit.

---

[2]) Ex hist. Menandri Protectoris in Byzant. Hist. Script. edit. Paris. p. 110.

§ 31.

Avariam condiderunt.

Ab Avaribus, qui ex pacto hoc Dacia potiti, post ubi Longobardi per Narsetem in Italiam evocati possessione Pannoniae decessissent, hanc quoque sibi per manus quodammodo traditam acceperunt, omni huic regioni Avariae adhaesit nomen. Teritorium hujus, Slavis Venedis (ad Dravum hi, Savum, Muramque colebant) debellatis, nec multo post Dalmatia quoque mediteranea subacta, prolatum; hac tamen parte seculo VII. adolescente accisum rursus; quod Slavi libertati se asserueerant, Dalmatia vero, secunda Heraclii Imp. voluntate per Chrobatos occupata est. Jacturam hinc acceptam finibus deinde, qua hi occidentem spectabant solem, protensis repararunt. Itaque factum, ut ineunte sec. VIII.

Avaria, et Noricum usque ad fluvium [1]) Anasum, (Enn vulgo) et Pannoniam Danubio Dravoque interjacentem et Daciam utramque comprehenderet.

[1]) Aetate s. Emerani ,,amnis (Anesis) inter jacens inter Hunnorum et Bojoariorum gentem.“ Poeta Saxo ,,Qui medius Bojoarios sejungit et Hunnos“ Eginhardus Cancell. Caroli M. ,,nan fluvius Anasus medius currens inter terminos Hunnorum et Bojoariorum certus limes duorum regnorum habebatur.“

§ 32.

Duces horum Chagani, scriptoribus latinis Reges dicuntur. [1])

Varchuni iisdem, quibus Hunni Atilani vixerunt instititutis. Praeerant iis Bulgarisque veteribus jam ad Volgam sociis, pro numero gentium tribuumque Duces quorum supremus Chaganus (rectius Csák-Kánus) minus frequenter Bajanus vocabatur. Hac, qui fuerant potestate, Reges dicti sunt scriptoribus latinis. Inter quos Eginhardo verba ,,Avares Reges juxta ritum suum habuisse“ tam prospere, quam apte ceciderunt; quando per voces ,,secundum ritum“ seu institutum, consvetudinesque suas, nomini Regio omnem, quam huic Romanorum ira [2]) adspersit, detrahendo invidiam, brevi-

[1]) Paulus Diac. de gestis Longob. l. IV. c. 38. ,,Rex Avarorum, quem sua lingva Cacanum apellant.“ Et rursum ,,Horum Rex, id est Cacanus, cet. Paullo ante c. XII.“ Hunni, qui et Avares dicuntur, bella gravissima cum Francis gesserunt; c. XIII. Cacanus rex Hunnorum pacem fecit. De etymo vocis vide eruditam notam apud Murator. T. II. parte II. p. 245 et seqq.

[2]) Cic. de Leg. l. III. 7. ,,sed quoniam regale Civitatis genus probatum quondam, postea non tam regni quam regiis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis Magistratibus imperabit.“ Eandem Livius l. III. c. 39. sententiam tenet.

ter quidem, sed clare satis significat: auctoritatem horum legibus certis fuisse temperatam. [3]) Quae erant ejusmodi, ut cum Chaganus legatum Mauritii Imperatoris Comentiolum, quod modum in verbis egressus esset, in vincula conjectum morti se se daturum maxime minaretur, Primores gentis adhortatione sua facile impetrarent, ne ultra vincula quidquam in illum tentaret. [4]) Horum, [5]) dum de Hungaria sub Ducibus egerimus, meminisse ex usu fuerit. Illuc spectant haec praeterea ex Annal. Justi Reuberi ad a. 805 „misit Chaganus unum ex optimatibus suis petens sibi honorem antiquum, quem Chaganus apud Hunos habere solebat; cujus precibus Imperator assensum praebuit, et summam totius regni juxta priscum eorum ritum habere praecepit."

[3]) Ad eum modum, uti apud Caes. de bell. gall. l. V. c. XIII 27. Ambiorix sua, ait, esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet in se juris multitudo, quam ipse in multitudinem.

[4]) Apud Theophil. l. c.

[5]) Verborumque celeberrimi Guizoti cours d'hist. mod. I. pag. 262. „il semble, que (la royauté) soit une tête, qui se puisse placer sur une multitude de corps différents, un fruit, qui puisse naître des germes les plus divers" et quae praeter haec alia eadem lectione tradit alter hic Aristoteles aurea monita.

§ 33.

De lege, quam in acie instruenda Varchuni tenebant.

Lex, quam Avares victis per se Slavinis imperasse Fredegarius testatur, [1]) ut quippe hi primi pugnam inire

[1]) Ad a. 623. „Slavi (Vinidi) jam contra Avares cognomento Chunos, et Regem eorum Gaganum caeperunt rebellare. Uvinidi befulci (l. bifulci vel praefulci) Chunis fuerant jam antiquitus; et cum Chuni in exercitu contra gentem quamlibet agrediebant, Chuni pro castris adunato illorum exercitu stabant: Uvinidi vero pugnabant: si vero ad vincendum praevalebant, tunc Chuni praedas

tenerentur, et periclitantibus demum, Hunno Avares subvenirent quo profecta fonte sit, ex dictis liqvido patet. Laudavimus eam tamquam rebus nostris vel inprimis salutarem; reliquum est, ut institutum hoc per Imperatores Byzantinos ab his adoptatum probemus.

---

capiendum adgrediebant: sin autem Uvinidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideo befulci vocabantur a Chunis eo, quod duplici in congressione certaminis vestita praelia facientes ante Chunos praecederent. Greg. Ep. Tur. op. om. Paris. a. 1699. p. 627. Eadem post Fredegarium scribit Aimonus Floriac. in gestis Francorum l. 4. c. 9. Vide etiam Muchar Geschichte der Steiermark, II. p. 20.

§ 34.

per Imperatores quoque Byzantinos deinceps adoptata.

Partes lege hac assignatae scriptoribus Byzantinis partes obsequii dicuntur. Ita Anastasius Bibliothecarius de Justiniano „exurgens autem usque Thessalonicum copiosas multitudines Slavinorum partim bello percepit, partim cum ad se confluerent, in partibus obsequii, cum per Abydum transfretasset, constituit.“ [1]) Loquendi formula haec Romanis occidentalibus usu nunquam cognita, apud orientales non ante seculum sextum, at vero tum ita increbuit, ut apud hos, Hunnosque et Varchunos par illius esset vis et sententia. „Cum vero, ait, Constantinus Porphyrogenneta, Agareni Romanos bello infestare, eorumque ditiones et urbes devastare coeperunt, conati sunt Imperatores (aetate Belizarii posteriores) unum Imperium in exiguas portiones (themata) partiri; themaque orientale quartum, pergit, obsequium appellatur; quod populi, qui de hoc fuerunt the-

---

[1]) In hist. sua Eccles. edita Paris. ad p. 115.

mate, praecedere Imperatorem tenebantur." Haec ille operis de thematibus Imperii auctor. [1])

[1]) Lib. I. Alia hujusmodi Franc. Ad. Kollár ad augendam eximiae eruditionis diligentiaeque gloriam collegit, et in Amoen. Hist. Jurisque p. Hung. Vol. I. p. 52—60 deducta Imperatores Byzantinos ab Hungaris accepisse testatur. Possem hoc ipsum jure optimo adfirmare; sed non agam astute: omnia ea nos jam in moribus Hunnorum, Varchunorumque vidimus. Adeo verum est hos, Hungarosque eadem propagatos stirpe, nec mores tantum, sed horum etiam laudes, quae singulis adscribuntur, comunes esse omnibus.

§ 35.

De cura tuendorum finium Chunis, Varchunisque propria.

Jam de Atila proditum est: eum pacis tempore finibus regundis, scribendisque legibus totum intentum fuisse. Varchunorum vero in illis muniendis solertia vel inimicis laudatur. Qua enim aliqua per eos ditionis facta accessio, prima extemplo aditum, seu Strabonis ut verba ponam, itinera regionum occludendi; proxima de terreis castellis erigendis cura fuit. Et ad Anasum quidem, quum nullae antea essent, eorum factum solertia fertur [1]) ut densissimae ad munimentum fluvii illius sylvae succrescerent, incidendis olim aptae indaginibus et clausuris, [2])

[1]) Hassler Geschichte des österr. Kaiserstaates. Freinshemius vero alter Germaniae literatae Curtius, arte et cura effecisse Hunnos scribit, ut arbustis varie implicantibus frondes, tota eorum regio in sepis modum cingeretur. Indaginem veteres vocabant.

[2]) Parare, fieri facere, incidere, secare indagines propriae sunt vetustissimorum hungaricorum diplomatum loquendi formulae, ex quibus hoc ad ocludenda itinera regionum comparatum munimenti genus cognoscas. Ita Not. Belae Regis cap. 21 et 22. „inito consilio constituerunt, ut meta regni Ducis Arpád

haud scio, an Aboriginibus nostris [3]) prius, quam Miltiadi usitatis. [4])

---

esset in porta Mezesina; tunc incolae terrae, jussu eorum, portas lapideas aedificarunt, et clausuram magnam de arboribus per confinia regni fecerunt. Consentit his Chron. Budense ad a. 1066 p. 127 „post haec autem Chuni e superiori parte Mezes, ruptis indaginibus, irruperunt in Hungariam.“ Usum vocis indaginum similem vide sis isthic p. 247, 248, 329 cet.; in lit. Belae IV. „quamdam sylvam nostram, inter indagines regni nostri et confinia Poloniae“ Suplem. ad anal. Scep. Rex idem circumspectans cunctos infirmiores terrae ingressus, caesis ingentibus sylvis, longas fieri fecit indagines, habet Hist. Salonn. c. 37. Rogerius vero in miser. Carm. cap. 16, 34. multo etiam plura hujusmodi. Vide etiam Albericum apud Leibniczium ad a. 1246 „duo castra contra eos formavit (Bela IV.) ultra sylvas, et nemora in partibus eis fecit indaginari, id est in placita (lege pleisseta) redigi.“

[3]) Recole, quae § 3. (1) ex Strabone citavimus.

[4]) De hoc, et patrata anno 490 ante Christum celeberrima pugna Marathonia. „Deinde postero die,“ habet Corn. Nepos „sub montis radicibus, acie e regione instructa, nova arte, vi summa proelium commisserunt; namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur.“ Ope indaginum hujusmodi Julium Caes. contra Morinos, Menapiosque victorem extitisse ex Comment. ejus de bello gall. l. 3. cap. 17 constat.

§ 36.

De munimentis Varchunorum terreis Ringh lingva Germanorum

Viros esse Civitatem, non moenia, neque naves viris vacuas, nisi jam Nicias apud Thucididem dixisset, Hunnos Varchunosque auctores citaremus. Urbes namque his pariter despicatui erant; sed in struendis aggeribus, qui ut non castella, quamdam nihilominus castel-

lorum repraesentarent speciem, cura Varchunis, si non major, saltim exstantior, quam Chunis fuit. — Atque nescio, an ab hoc iis studio Var chunorum cognomen adhaeserit. De hoc munimentorum genere non alienum videtur, quis Bajtayi Scriptoris rerum patriarum vel inprimis literate periti sententia fuerit, referre. Hic narrationem suam [1]) de Ringhis [2]) ad Campum fluvium et pagum Hunnsheim (Tulnam alii, et quidam Chaumburgum putant) per Carolum M. expugnatis ita continuat: „Fuit autem utrumque munimentum ex rotundis novem sepimentis; horum unum quodque latum erat pedes XX; altum pariter XX; structura fuit, ut esse vallorum solet, ex terra aggesta et palis; distantia unius ab alio, quantum tubae clangor emetiri potest; intercapedines vallorum jungebantur domiciliis ita per vicos dispositis, ut vox commode in omnia diffunderetur. Aditus erant pauci et angusti, ut inimicus arceretur; idonei tamen sive ad erumpendum sive ad manubias inferendas. Extimum denique sepimentum densis, frondosisque arboribus tegebant; ut specie nemoris locus esset insidiis opportunus, clauderetque conatus hostium ignavorum. Aliud, pergit Scriptor idem, his consimile propugnaculum habebant Avares in Jazygum regione; complectebatur illud tractum terrae ingentem, quem admodum vestigia ostendunt; aggerum enim duorum, quae supersunt, extimo continentur Sedes Jazygum hungarorum; Berényium princeps gentis oppidum est in valli umbilico, hodieque agger Cursi Regis (in verna-

---

[1]) Acceptam a monacho Sangallensi coaevo. Rer. gall. et franc. Scrip. T. V. p. 122.

[2]) Annal. Lambert ad a. 796: „Pipinus pervenit ad locum, ubi Reges Avarorum cum Principibus suis sedere consveti erant, quam in nostra lingva Hringe nominant.“ Idem auctori de conversione Bojoariorum Ringh dicitur. In Annal. Fran. Reuber. ad a. 796 „eorumque Regia, quae ut dictum est, Ringus, a Longobardis autem Campus vocatur. Perczius. Monum. Germ. histori. T. I. p. 182. nota 24.“ Ring lingua nostra Circulus, annulus.“

culo Csörsz árka) appellatur. „Suspicamur" addit „totam Pannoniam, ceterasque regiones Avarum hujusmodi propugnaculis fuisse communitas. Eos namque domi, praeter Carolum nemo agressus est; forte quod ita obvallati cum essent, hostibus exteris insuperabiles viderentur. Carolus ipse tantum ad Arabonis ostia pervenit. Ringus demum, in quo Regia Bajani fuit, quamque Caroli filius, ac Duces expugnarunt, non poterat a victoribus alia de causa hoc nomine appellari, quam quod munitionis genus rotundum, reliquis proinde simillimum esset." Hucusque Bajtayus pro more suo tam erudite, quam eleganter. [3])

[3]) In hist. Hung. m. ss. per Horányium in memoriis Hungarorum pro merito laudata. Nos de Ringhis plane ex sensu Bajtayi, dum ad hungarica venerimus, plura; hic tantum adnotamus: magno eos conatu magnas nugas dicere, qui Notkeri praetensi, hegin (hege, hecke vox germanica: sepes viva ait, paullo ante laudatus Perczius Monum. Germ. hist. Script. T. II. p. 748) de textu revulsum, formamque hungaricam hagány indutum, pro vernaculo munimentorum horum apud Varchunos nomine venditant.

§ 37.

Quorum licet plura per Carolum Magnum, filiumque expugnata sint, instituti expugnari consilium non potuit.

Quidquid interim ad numerum expugnatorum per Carolum filiumque munimentorum hujusmodi: parum id ad rem nostram; prudentia castrensis hujus instituti (hoc namque, velim, et non forte Gallorum Nerviorum sepes per Julium Caesarem descriptas [1]) cogites), velut ingenio moribusque populorum generis nostri insita, everti cum operibus illis Varchunorum labore factis non potuit.

[1]) De bello gall. l. II. c. 9.

Et munimenta itaque terrea [2]) non unius, sed plurium villarum praesidio per Majores nostros post occupatas Pannonias plurima erecta, sicque non res tantum, sed nomen etiam vernaculum servatum; et quod nosse te quamprimum velim: inde a principio rerum hungaricarum, indagines in usum belli secare, cespitem ad castra congerere, omnemque illum laborem exequi, quem Thomas Archi-Diaconus Spalatensis per verba [3]) indicat „caeperunt locum munire, vallum effodere, componere aggerem, vimineas crates circumplectere“ cet., proprium apud nos populi castrensis munus fuit.

---

[2]) Exemplum unum pro plurimis praebet c. XXI. op. Belae R. Not. „communi ergo consilio sociorum suorum, congregatione facta civium, fecit Zobolsu fossatum magnum et castrum fortissimum aedificavit ex terra.“

[3]) Vide Hist. Salonit. c. 37. apud Schwandtner. T. III. P. 2. pag. 607.

§ 38.

Bellandi ars Chunis, Varchunisque par;

Et Chuni et Varchuni arte ea prae ceteris populis valuerunt maxime, ut fugiendo, acrius longe se insectantes oppugnarent, dum ex equis in hostem mox versi sagittas immitterent; [1]) sic nempe (verba sunt Agathiae) insectatores ipsi effuso cursu in arcus eorum proruendo, sagittis se induebant, et acriora acceperant vulnera, quod his ipsi ibant obviam. Atque hoc ille itidem hunnicum, vere: quia unius proprium generis nostri, stratagema vocat. [2])

---

[1]) Vide Sigon de occid. imp. L. XX. ad a. 559. Edit. Mediol. pag. 752.

[2]) Agathias l. I. et V. Idem de Narsete „Narses barbarum quoddam et Hunnis magis usitatum stratagema excogitavit; suos enim terga vertere jussit.“

§ 39.

Forma jurisjurandi Varchûnorum et proverbii „more hungarico jurare“ sensus.

Quod mihi sumsi, ut proprium avitarum consuetudinum nostrarum fontem, qua hic per scriptores in alienis negotiis justo magis negotiosos, congestis ex longinquo sarmentis impeditus est, repurgarem, perpetuumque ejus adjuvarem cursum; longioris id quidem laboris, sed quod ad formam jurandi Hungarorum, ne in praesens quidem plene desitam, brevis est. A Menandro Protectore accepimus: Chaganum Avarum, dum adversus Sirmium tenderet, Savumque ponte jungere aggrederetur, Romanis, ne id in noxam suam fieret, sollicitis, ense educto, et in altum sublato, sibi et suis dira quaeque imprecatum, jurasse: ipse ut universaque gens Avarum ad internecionem usque periret; coelum ex alto super ipsos, et ignis Deus, qui in coelo est, rueret; sylvae et montes casu et ruina illos obtererent: Savus fluvius superscaturiens eos submergeret; si opere illo quidquam mali Romanis comminiscerentur. [1]) Tremenda haec: minus tamen horrent, quam verba concepta Decreto Ludovici I. subnexa, ea item, quibus Joannes de Hunyad electus regni Gubernator populo palam; [2]) in literis vero fraternitatis bonaeque amicitiae

[1]) Menander Prot. c. p. 128.

[2]) Apud Petrum de Réva centur V. his verbis: Deus te ita adjuvet; b. virgo Maria tibi ita misercordiam impetret, omnes Sancti sic pro te intercedant; Dei sanctissimum corpus in extremo tuo die ita saluti tuae conducat; terra ossa tua ita suscipiat, et sic die tertia non ejiciat; in universum semen tuum sic non deficiat; in die judicii ita sanctum Dei vultum conspicere valeas; in aeterno inferno ita non sepeliaris, sicut universa in hoc regesto contenta in profectum et utilitatem regni conscripta toto conatu determinata retinebis; nihil in contrarium eorum facies; nec fieri procurabis.

privatim Pongracziis fidem obstrinxit, [3]) non seculo illo, ut Petrus de Réva autumabat [4]) in hunc intensa rigorem, sed mox atque Majores nostri Christo nomen dedissent, ad avitum Hunno-Avarum morem, stylo sacrorum codicum redacta. Ex his quid illud sit in literis Pontificum Maximorum: more hungarico jurare, [5]) satis opinor, intelligitur.

---

[3]) Ibidem.

[4]) Ibidem ad a. 1400. Juramentum simile per viduam ejus Elisabetham Szilagyiam et fratrem Michaelem nuncupatum vide apud Szvorényium o. c. fasc. II. p. 85.

[5]) Vide lit. Nicol. Pontif. de IX. Dec. 1279 ad Ladisl. IV. „Ungarico more jurasti" et rursus „iterum cum obligatione simili, per manum dexteram Regia fide data, Ungarico more similiter et denuo te excomunicatum, et regnum tuum propter hoc justo interdicto fuisse interpositum (haec nempe Rex mala imprecatus est sibi) recognoscens." Confer cum his juramentum, quod ad calcem Corporis Juris in metali reambulatione praestandum inscribitur, atque ita habet: „Et si juramentum hoc per me falsum et dolose esset depositum, haec terra me absorbeat, nec mihi aut haeredibus ac successoribus meis et incolis hujus possessionis meae n. utilis et fructuosa fieri possit, sed pro fructibus et utilitatibus, spinas, tribulos germinet." Ita me cet. Fugit hoc sagacissimi oculos Schwartneri nostri, sicque pag. 278 Introd. suae in rem dipl. sententiam promit, cui etsi maxime velim, subscribere nequeam.

§ 40.

Laudes Varchunorum apud scriptores Byzantinos.

De moribus Varchunorum scriptores, uti in hos aut Slavinos propensiore, vel dicam, minus infesto fuerant animo, varie tradunt. Inter Graecos convenit: fide, probitateque morum Varchunos Slavinis fuisse praestantiores, ingenio vero gentibus scythicis antecelluisse omnibus. Inter Chaganos horum Cursus (Csörsz) rebus

bellicis magnus; animum ejus ex orationibus sapienterque dictis si aestimes, [1]) per scriptores gentis illius celebratis maxime, philosophiam vel nostra hac aetate raram menti suae natura insitam habuit. Is Cursus, dum Bizantinos obsidione per se cinctos acerrima undique fames urgeret, tam obsessis civibus, quam exercitui de commeatu prolixe suppeditavit, nec inducias solum, sed commercium quoque cum suis liberum concessit; servare nempe homines tanti putavit. Inopinatam hanc barbaricam humanitatem ad sua usque tempora propagatam esse Theophilactus scripturarius his testatur verbis suis, posterisque officium delegavit curandi, ut facinus ipsa etiam utilitate exempli clarissimum ab oblivionis injuria, et Princeps, qui tot hominum sibi suisque dira precantium, hominum tamen, salutem commodis suis praetulit, a mortalitate asseratur.

---

[1]) Quanti haec ejus habenda sunt? „novi imperare animo meo cum limites egreditur; novi iram debellare; sed in tempore. Desino Prisco irasci Theodore; ille vicissim ex aequo et bono mihi amicus esto.“ Theophil. l. VI.

§ 41.

Varchunis virtute armorum Caroli M. non magis, quam civili discordia victis

Varchunorum per Europam dominatus diuturnior, quam Hunnorum, neque tamen ultra finem seculi octavi fuit; dum enim Thassiloni Bavariae Duci, gener qui fuit Desiderii ultimi Longobardorum Regis per Carolum M. exauctorati, contra hunc opem suam addicunt, infestaque arma, ne postea quidem, quam inter hunc et Imperatorem res transacta est, ponunt, ansam bello decennali praebent, quod Scriptores coaevi Avaricum et Hunnicum, unumque omnium, quae Carolus gessit, dificillimum perhibent. Quo ad Arabonem superati, simili, quae Hunnos perdidit, civili discordia accedente, per Eri-

cum Ducem et tandem Pipinum anno 796 victi, pars hujus se arbitrio commiserunt, pars ultra Tibiscum profligati sunt.

§ 42.

Pannoniae in ditionem Francorum concesserunt.

Avaribus victis, Pannonias Franci habuere. [1]) Per Praefectos hae regebantur deinceps et Comites, ex institutis Caroli M., usque ad Arnulphi imperatoris tempora. Francos rerum suarum arbitros venerati sunt etiam Marahani continentem Pannoniae oppositum tenentes. Ex quorum Ducibus Swatopluhus liberalitate Regum stirpis Carolingicae, Bohemiae auctus possessione, majora concupivit, bonisque et malis artibus, in utroque enim genere eminuit [2]) id assequutus est, ut conditae per se, invito Arnulpho, magnae Moraviae fines ad Pannoniam quoque extenderentur; quod tamen cis Danubium est, ultra Granum paruit Bulgaris.

---

[1]) Imo vero Istriam quoque et Dalmatiam, non tamen etiam urbes Dalmatiae maritimas. Ita nempe Eginhardus in vita Caroli M. c. XV. ,,Carolus utramque Pannoniam, Histriam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam et junctum cum eo (Nicephoro) foedus, Constantinopolitanum imperatorem habere permisit, acquisivit.''

[2]) Vide Hormayer Archiv für Geschichte cet. VI. Jahrgang. p. 714. 725.

LIBER SECUNDUS.

HUNGARIA SUB DUCIBUS.

Quae contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui; eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque maxime suum.

Cic. de Officiis l. I. cap. XXXI. 9.

De Hungarorum in Europam adventu.

§ 1.

Hungari consilio, auspiciisque Almi profectionem in Europam suscipiunt;

Proprius Scythis belligerandi amor, ex aliis in alias sedes succedendi studio junctus, cui Scriptorum quorundam aut ira, aut ignavia nescio quam perpetuam cedendi necessitatem praetendit, rerum ad haec per Atilam, et reliquam cognati sanguinis multitudinem gestarum memoria, Majores Hungarorum circa a. 884 in Europam duxit. Auctor consilii Almus filius Ugek de progenie Atilae; [1]) Socii pars maxima populi in septem divisi tribus, Ducibus (Capitaneis) totidem delectis, quo sua Almum sic genere opibus, auctoritate praestantem fortuna ferret, sequi parati. [2]) Sed

[1]) Notarius B. R. c. 19, 20, 46.

[2]) „mobilis et ex voluntate parentium constans inter suos Principatus“ Vell. Paterc. II. c. 108. Imperium (apud Livium l. II. c. 59.) cujus vis omnis in consensu obedientium esset.

§ 2.

pars Societatem abrumpit et in Lebedia manere constituit;

Ad Susdaliam et qua olim Sarkel castrum Chazarorum late dominabatur, ad fontes Inguli, Ingulcique

delatis non idem omnibus propositum perstitit. Alteri vix dum relictas repetere Sedes; in plagis alteri per Chazaros conditione militiae oblatis permanere, quam quod Almus svaserat, prosequi iter arduum, regnatasque olim Atilae provincias potiri maluerunt. Plagis iis ad Ingulum et Danaprim sitis Lebediae nomen haesit, a Capitaneo Lebedia (rectius Eleudio), quem initum cum Chazara Principe conjugium, curaque, ut infaustissimo discidio hoc captatam per Contribules suos pereundi licentiam sua sapientia temperaret, isthic aliquam diu detinuit.

§ 3.

ceteri, septem tribuum Cumanorum accessione, aucti circa a. 889 fines Pannoniae Bodrogumque in suam redigunt potestatem.

Ceteri ultra quoque Almum sequi perseverarunt. Et rebus ad Kioviam fortiter gestis, spontanea septem tribuum Cumanorum accessione aucti Vladimiriam, Haliciamque Victores emetiebantur. Hic non diu morati, fide obsidibusque acceptis levant signa, et agmine subactorum Kioviensium, Ruthenorumque et Bissenorum praegrediente, circa a. 889 superant montes Havasios et Pannoniam ingressi fines hujus ad Tibiscum, Bodroghumque Valachis et Slavis habitatos, his armorum vim celeritate obsequii redimentibus, in suam redigunt potestatem. [1])

---

[1]) Katonaius de migratione et adventu Hungarorum in opere, cui tit. ,,Epitome chron. rer. hung. fontibus patriis maxime consentanea dedit; levissima illi, qui gentem nunquam non bellicosam et in externos aut domesticos motus inquietam, avitis in Asia depulsam sedibus, in Lebedia pisciculos aut lacertos captare aut dormire annos ducentos, tum vero expergisci repente et ad occupanda accingi regna volunt.

§ 4.

Diversa eorum, qui in Lebedia remanserunt, fortuna

Qui in Lebedia remanserunt, multum dissimili usi sunt fortuna. Etsi namque una Chazarorum tribus, Kabari, facta a reliquis Secessione eorum se adjunxerat societati, avitamque Hunnorum, Varchunorum, Hungarorumque legem, ex qua hos in proeliis ineundis antecedere tenebantur [1]) amplexi, rebus eorum haud mediocri fore adjumento apparuerant; haud multo post tamen compertum usu fuit, accessione hac non tam robur, quam vim inconsultam nimiae libertatis, qua tribus illa agitabatur, increvisse. Itaque evenit, ut numero licet aucti vel primo Pacinacitarum impetui retundendo impares essent, et cedere coacti, alii versus Persidem reverterentur, ut olim obliterato nomine proprio, Saracenis mixti, in terra Syria cognatos suos infestis armis peterent; alii Eleudium, versus loca Atelkuzu Constantino Porphyrogenneto apellata, consectarentur.

[1]) Constan. Porphyr. de admin. imp. apud Stritter: „Cabari pars fugientes ad Turcos se contulerant; quia vero fortitudine bellica et strenuitate octo aliis gentibus praestabant (?) iisque in proeliis antecellebant, primum in tribubus locum obtinuerunt.“ Nihil ista Commentario egent, ut legem Hungarorum avitam Constantini deformatam commento agnoscas.

§ 5.

ad adstringendum vinculum unionis tribuum profuit.

Hunc ego in adversis fortem, et cum Almum bellico labore, virtutumque suarum felicitate magnum, tum vero Eleudium, consilio, industria, modestiaque non minorem video; quando oblatam sibi, per Chaganum Chazarorum, Principis dignationem clientelamque deprecatus, auctorem actoremque se praecipuum gessit, ut ad

efficiendam arctiorem conjunctionis tot disparatarum tribuum [1]) copulam, communibus gentis universae sufragiis

---

[1]) Simon de Kéza edit. Podhr. l. I. c. 1. § 5. Append. c. 1. §. 1. puram Hungariam generationes centum et octo nec plures habere adfirmat. Idem habet Thur. II. cap. 2. Has e tenebris eruere laudatissimus mihi Steph. Horváthius Bibl. ad Mus. nat. Custos primus adgressus est, et in opella „Magyar ország gyökeres régi nemzetségeiről 1820" sex et decem supra quinquaginta generationum hujusmodi nomina reperisse videtur sibi; sunt enim, qui non idem videant. Podhradczkius in edit. Simonis de Kéza, Horváthii sequutus praecepta (generationes itaque Jobagionum castri ab jure gentilitatis arcendo) quod ad numerum illum reliquum erat, non multo post confecit ita, ut huic non tantum nihil desit; sed vel in praesenti literarum veterum inopia supersit etiam plurimum. Ex quo efficitur: genus, et generationem (veteres, nomen utrumque, ut in literis Belae IV. de genere Jüre C. D. IV. 3. p. 403. sensu synonimo vulgo accipiunt) mente Simonis de Kéza, aut potius Leonis sapientis, qui apud Kollárum num. 14 et 27 expressius Hungaros in cognationes, et tribus multas divisos testatur, multo patere latius. Quod de aliis etiam antiquissimis Niebuhrius gentibus docet. Genus in diplomatibus patriis varie accipitur; significat enim: *a)* non modo familias, quarum capita auctores hi Arpado adequant; sed *b)* cognationes quoque Jobagionum castri, ex quibus Acha, Borchot, Bathal, Beco, Barakon, Cadon, Etruh vulgo Etre, a quo Etre-Karcsa, Mogor, Honova, Kunis, Panabest, Penkine, Vasun, Zalonk et in solo vico Georsoke olim (hodie Dercsika) in insula Csalóköz tredecim generationes mihi ad memoriam sunt; *c)* in Litteris autem Capit. Veszprim. de a. 1269 vocibusque: Pouka, Anian, Crys et Anas, de villa Igol pro se ac universis cognatis suis de genere suo; in aliis (Tud. Gyüjt. 1828) coaevis, Jobagiones, qui venerunt de villa Ilod de genere Augustini; Baroch, Ogmand, Ludan, Theton, Vanka, Voyk cet. in his item literarum capit. Jaur. de a. 1331 (VIII. v. 7. p. 233) verbis; „dicens eosdem de genere seu caterva populorum de villa Kon et ad ipsum conditionaliter pertinere" homines conditionis obnoxiae; in Regesto denique Varadiensi et alibi occurentibus formulis: de genere Episcopi Budlu, de genere Petri cet. nescio cujus

Princeps deligeretur unus, elaboravitque ipse quam impensissime, haec ut proaedria, quantacunque esset, Almo vel Arpado lege deferretur. Sic enim gloriae illorum suffragando aeternitati mandavit suam, non de iis solum, sed de universa gente maxime meritus, cujus in salutem omne hoc et voti et consilii et industriae ejus pretium redundavit.

---

census et fortunae homines; in literis Sigismundi Regis (Kallay o. c. Sect. 3) in verbis: ipsam civitatem seu oppidum ad quinque genealogias seu generationes vestras dividendum, generatim lineas, ramos notat. Affecta igitur, non confecta his quaestio de tribubus Hungarorum est. Guizotus (Cours d'hist. mod. II. p. 210, 399. IV. p. 274, 285, 286) vetustissimas Germanorum tribus in duplicem: alteram nempe domi agentium; alteram foris armorum fortunam prosequentium classem divisas existimat, fertque moleste non etiam domesticis horum scriptoribus idem videri. Ego de illa ita sentio, ut non tam ad germanicas, quam Hunnorum, Hungarorumque referendam tribus censeam; nec sine veri specie, quae clarius sublucebit, dum de Castrensibus, Udvarnokis, ipsisque adeo Libertinis, proprio Hungarorum veterum instituto, in civiles et armigeros divisis egerimus.

§ 6.

Arpadus namque, paulo post summus Dux est electus.

Propositum tam salutare, praesertim si huic conditiones quoque interponendi pacti responderent, difficile factu erat, non probare. His igitur per Eleudium ceterosque Duces: Kundum Tosum patrem Lehel, Oundum, Hubam, Tuhutumque avum Gyulae deliberatis, conventisque inter eos et Almum, nec multo post in sanctissimo, quod unquam celebratum est, Hungarorum concilio, auspiciis Almi concito, ad legis aeternae auctoritatem religionemque elevatis; cum Almus per senectutem se excusaret, Arpadus Princeps electus est. Neque enim dubito his, qui ita prodiderunt aggregare me; quum aliter Con-

stantino Porphyrogenneto Arpadus primus inter suos Princeps dici, Hartvico Geyza pater d. Stephani Dux quartus numerari non potuerit; [1]) Almus denique, quod vel hae, quas percerpsimus, itineris in Europam vices ostendunt, sola tantum fiducia consilii et verecundia nobilitatis animi, generisque ceteris potior, omnisque adhuc tribuum societas speciem magis, quam vim systematis, quod dicimus, confoederatarum civitatum tenuerit.

---

1) Huic consentit etiam Thomas Archi-Diaconus Spalatensis Hist. Salon. cap. 11. „His temporibus Geyza, quartus Dux Ungarorum, christianus effectus, coepit gentem suam ad ritum christianae professionis paulatim attrahere.“

De pacto conditae civitatis hungaricae, delatique Arpado et posteris summi in hac Principatus.

§ 7.

Verba hujus Belae Regis Notarius recitat.

Verba concepta pacti, Belae Regis Notarius literis latinis consignavit, fide sane quam religiosissima. Argumenta, quibus hoc Katonaius, Cornidesiusque, viri honoratissimi evicerunt, exscribere non est otium; rationes tantum adnotabo ex usu rerum petitas, quae ad laudem verissimi hujus illorum judicii pertinent. Unus ille Notarius, velut qui in Regum Hungariae plurium versabatur aula, noverat maxime, quam moleste hi tulerint, nihil de ordine successionis Principum, neque pacto illo, neque legibus posterioribus constitutum esse; nec vero id eum latebat, quanta Hungariae carenti regula ejusmodi,

vel hac causa incommoda evenerint; tamen nec consilii hujus, nec privati erga Reges illos officii rationibus dimoveri se passus est, quin principalem pacti conditionem hanc, iisdem, quibus concepta initio fuit, verbis transummeret. At at anathema peregrinum, paciscentibusque ignotum fuit. De voce concedo: de sententia vocis, pro exclusione a Communitate et proscriptione acceptae, tantum ab est ut admittam, ut poenam hanc Majoribus Hungarorum jam in antiquissimis per Asiam sedibus pro suprema habitam, mox demonstraturum me recipiam. Quo facto clarius apparebit: non Notarium Belae callidum, sed obtrectatores ejus rerum hungaricarum veterum expertes esse funditus.

§ 8.

De primo pacti hujus capite.

Fuit vero hujus caput I. „ut quamdiu vita duraret, tam ipsis, quam etiam posteris suis, semper Ducem haberent de progenie Almi (Arpadi) Ducis.“ In hunc ipsum sensum Notarius ille capite VI. de universa gente „ergo libera, ait, voluntate et communi consensu septem virorum, elegerunt sibi (Hungari) Ducem ac Praeceptorem in filios filiorum suorum usque ad ultimam generationem, Almum et qui de generatione ejus descenderent.“ Lege itaque hac Principatus Arpado, ejusque posteris jure haereditario in perpetua assertus tempora; facultas Principem ex posteris Arpadi eum deligendi, [1]) qui muneri huic par videretur, uti apud Longobardos, Visigothos, Francos [2])

---

[1]) Const. Porphyr: Ante hunc Arpadum Turci Principem alium nullum unquam habuerunt, ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem Princeps Turciae constituitur.

[2]) Vide Baluz. T. I. p. 573. de electione Lotharii anno 811; T. II. pag. 216. de electione Caroli anno 869. Hallam o. c. Vol. 1. pag. 125.

Normannos penes populum mansit. Fuitque haec etiam postea, quam Principibus (hujus enim vocabuli vim dehinc appellatio Ducum Hungariae habuit) Reges successerunt, et maxime, dum Rex nullam penitus sobolem, aut filium minorennem vel plures jam adultos filios reliquit, adeo solicite exercita, ut diu nemo unus gravissimorum virorum esset, qui eam non ferendam; plurimi contra ex his ipsis, qui consuetudinem hanc etiam probandam ducerent. Quod igitur in electione Arpadi evenit, ut haec Patre superstite perageretur, apud Duces Regesque sequentes in providentiae abiit consilium, aliarum quoque per Europam gentium exemplo commendatum. Sic vero sera eorum est sapientia, qui post stabilitum tandem providentia art. 2. 1687 jus primo geniturae et singulare hoc grati erga Leopoldum I. Regem animi Ordinum regni specimen, ad omnem foeminei quoque sexus progeniem ejus (art. 3) extensum, id agere instituerunt, ut jus successionis haereditariae, jam ex primaeva reipublicae hungaricae constitutione, huic nascendi ordini alligatum fuisse obtenderent magis, quam ostenderent.

§ 9.

De altero pacti illius capite

Stipulati praeterea electores ab Arpado et Posteris sunt: „ut quidquid boni per labores eorum acquirere possent, nemo eorum expers fieret.“ Ex hac pacti conditione scriptores nostri constitutionum, quae de Regiis donationibus hodieque vigent, originem petunt. Recte illi quidem hoc; neque tamen omnia dicunt, quae ad vim constitutionis hujus pertinent. Agrum praetereunt ex prima occupatione acceptum, titulumque descensus (szállás) quo idem obvenit, tanti apud Majores nostros habitum, ut Reges ipsi donationem, quam irretractabilem tutissimamque esse vellent, descensus titulo facere se disertis verbis declararent. Quod etsi ita esse uberius deinceps demonstrandum est; tamen ne tam re, quam dictu

novum putes, literas accipe Belae IV. qui Detrico filio Mohol, quod eum in conflictu ad Sajonem mortis eripuit discrimini, insignem relaturus gratiam „quaedam, ait, loca venationis nostrae non ut Donationes a Regia benignitate concessas (quas, subaudi, si benignitas modum excedat, revocari posse, ipse paterque facto testati essent) sed ut descensum haereditarium contulimus jure haereditario et irrevocabiliter possidenda.“ Synonimum his est illud Stephani V. „infundendo in eosdem totum jus Dominii ejusdem terrae, ac si ipsorum descensualis fuisset, a tempore sancti Regis Stephani, seu aliorum progenitorum nostrorum Regum Hungariae illustrium. Adferre plura abstineo; ex literis enim Ladislai IV. verbisque harum: in descensionis titulum juxta morem nobilium Hungarorum jam et hoc prospicere licet, quorsum ea exitura sint, quae deinceps disseremus. Atque nostrum quidem hoc szállás, descensus, in etymo suo cum Francorum sala congruere, [1]) vim juris certe eandem habere, alibi monuimus. Ut enim terrae salicae, itemque Germanorum et Anglo-Saxonum allodia [2]) ita nostrae hae terrae descensuales secus etiam praedia, haereditates, Udvarhely, curiae, vocitatae pleni et absoluti, dominii proprietatisque jure, quod etiam jus Patronatus in veteribus chartis audit, acquisitae sunt; nulli alteri praeter faciendam per dominos earum militiam, oneri adstrictae.

---

[1]) Conringius de Ducibus et Comitib. Imp. germ. thesi XIV. post Marquardum Freherum Salam pro aula sumtam contendit, quae vel sic nihil a nostro Szállás et Udvarhely differt.

[2]) De his vide sis LL. Longob. l. II. tit. 6. § 9. „Si praedium, id est allodium habuerit; meae praedium possessionis haereditariae, hoc est allodium nostrum.“ Sequentia item Gvilielmi Britonis apud du Fresne „praedium dicitur possessio, villa, ager, seu perpetuum allodium; et dicitur allodium haereditas, quam vendere et donare possum.“ Plura item apud Cantiani Barbaror. LL. v. II. p. 104—106.

§ 10.

de tertio,

Tertia pacti illius conditio ita habet: „quod ipsi, qui sua libera voluntate Almum (Arpadum) sibi Dominum elegerunt, et filii eorum nunquam a consilio Ducis et honore regni omnino privarentur.“ Hos d. Stephanus c. VII. libri primi Decretorum suorum, quo hoc ipsum argumentum accuratissime pertractat, Majores et meliores, sapientioresque ac honestissimos seniores vocat. Horum alii per summos, quibus praeficiebantur, Magistratus, Ducum Regumque fiebant, alii nascebantur Consiliarii; quod Optimatum horum filii, aut iis editi parentibus essent, qui exemplo literarum Belae IV. Comitibus de Veglia impertitarum hoc donati jure [1]) sunt. Familias hujusmodi Carolus Robertus, primus fuit, qui apellatione Baronum, per Sigismundum pro majoribus Nobilibus accepta distinxit, ut suo loco videbimus; nunc enim, ne res ante tempus suum properare velle videamur, vel pauca haec adtulisse ad istam pacti primaevi conditionem suffecerit, quae ipsa per se satis clare docet: vim suam ad temperamentum delatae Arpado et successoribus supremae potestatis, verbo: ad cautionem pertinere, ne solus suo ipse Princeps omnia nutu, manuque, quod dicitur,

---

[1]) Hunc Belae Regis Notarii locum ante se habuit, qui Comitum de Veglia privilegium de a. 1263 (C. D. IV. v. 3. p. 109) in haec verba conscripsit: Fridericum et Bartholomaeum Nobiles de Veglia eorumque haeredes et successores universos, universis juribus, gratiis, ac honoribus et solemnium libertatum illustrium Primatum regni Hungariae praerogativis participes et communes instituimus, et fecimus atque in consortium ceterorum et numerum vocamus, locumque eis in medio nostri ministerii, in consilio, conferentiis, insuper eisdem hanc libertatis praerogativam, ut nullus Curiae et regni Judicum aut alii ipsos in persona vel rebus quibuscunque coram judicio suo adstare faciat, demta solum propria Regalis celsitudinis persona.

gubernare possit. Imperium itaque absolutum perinde, atque celeberrimus Pütterus de Germania dixit, gens nostra nunquam novit; quod per singulas usque conditum ex sensu pacti hujus art **31**. a. **1526**, edisserere aetates, ad hujus partes instituti pertinet.

§ 11.

de quarto,

Conventum demum fundamentali pacto hoc: „ut si quis de posteris eorum infidelis fieret contra personam ducalem, et discordiam faceret inter Ducem et cognatos suos; sanguis nocentis funderetur. Mortem verbis his significari nemo non intelligit; hoc tamen Hungari ipsi pridem obliti sumus: poenam hanc, antiquissimo Majorum more, solis tantum criminis adversum salutem Comunitatis publicam patrati reis convictis fuisse constitutam. Ad assequendam igitur conditionis hujus vim, et hoc in memoriam revocare, et ad verba ejus „infidelis fieret contra personam ducalem“ haec simul Hartvici de Geyza Duce „et ad hoc roborandum a singulis sacramentum (fidelitatis) exegit“ recordari oportet. Ex quibus plura sua sponte consequuntur. Ac primum quidem: Conditores pacti hujus, gravissimis exercitos casibus, de necessitate supremae in omnes (publicam Gvizotus appellat) potestatis intime persvasos fuisse. Alterum: honorem auctoritatemque ejus, qui personam potestatis hujus gereret, sacrosanctam servari voluisse, hancque voluntatem suam ea sanxisse poena, ex qua ipsa appareat: conditam per se Civitatem stare incolumem, nisi persona summi Principis incolumi, non posse. Tertium: s. Stephanum, Decr. l. II. c. **35**. non novam de crimine perduellionis legem tulisse, verum casus, per quos in hanc a Majoribus acceptam de fide et fidelitate legem incurreretur, exemplo aliorum Augustorum explicuisse.

§ 12.

de quinto pacti illius capite.

Postrema denique haec conditio est: „ut si quis de posteris Ducis Almi et aliarum personarum principalium juramenti statuta infringere voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum.“ Vocem hanc jam superius notavi, dixique amissionem juris Comunitatis, aetate ea, significasse, et hoc suo per me loco demonstrandum recepi. Tu interea, dum ego datam fidem exolvam, d. Stephani ad filium verba: „si super Comites et Principes cervicem erexeris,“ cet. meditare, [1]) huic pacti fundamentalis conditioni, [2]) si non fallor, plane synonima. Id namque, an Duces etiam hoc alligati potestatis modo, sensu Eginhardi Reges ritu Hungarorum dici potuerint, infra deliberabimus invicem.

[1]) L. I. cap. IV. § 4.

[2]) Invito mihi veniunt in mentem ea Cosmae de genere Pazman apud Thur. T. II. cap. 63. ad Steph. II. Regem, qui omnia absque consilio suorum Principum facere arguebatur, „nos Barones castrum non oppugnabimus; solus pugna; nos autem in Hungariam recedemus, et nobis Regem eligemus.“

Arpadus, Dux I.

De territorio conditae ejus auspiciis Hungariae.

§ 13.

Rebus fortiter non minus, quam feliciter gestis,

Dicturus de Arpado his electo legibus, cruore paciscentium sancitis, [1]) scutoque, uti non Chazaris modo

[1]) Belae R. Not. c. VI. Herodot. l. IV. 70. Pomp. Mela L. II. c. 1. „ne foedera quidem incruenta sunt; sauciant se, qui paciscuntur, exemtumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant.“

sed aliis etiam vetustissimis quibusdam gentibus [2]) solenne fuit, elevato Duce; quod Notarius Belae IV., a stirpe Hungarus, suae in illum pietati dedit, ut numine opeque Dei Optimi Maximi eum in peragendo seculo suo usum traderet, perinde, atque omnia ejus, prolixe probo; est enim Arpadus omnino lux, vita, salus nominis hungarici, verbo: is, qui, volente Deo, novum generi nostro fatum dedit.

---

[2]) Taciti Hist. l. IV. c. 15. „erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brynno, claritate natalium insigni; igitur ipso familiae nomine placuit, impositusque scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratus, dux eligitur" Greg. Thuron l. II. c. 40. de Chlod. „at illi ista audientes, plaudentes tam palmis, quam vocibus, eum clypeo evectum super se Regem constituunt." Similia habet is l. VII. c. 10. de Gundobaldo. Vide plura apud Grimmium o. c. p. 234. et in Appendice p. 942., citatis apud Montfaucon, Cassiodorum et Raumerum locis. De more eodem, per Romanos in electione Gordiani Caesaris, observato testimonia plurima Rittershusius ad Corippum in App. Corp. Hist. Byzant. p. 510 congessit; phrasim „in regem levaverunt" quam idem vetustissimis scriptoribus familiarem fuisse ait, nostratibus diutissime usitatam videas apud Koller Hist. Ep. Quinque Ecl. Dlugossus quoque l. XII. ad a. 1440 haec habet: „Vladislaus Rex deducitur in eorum medium, et in altum manibus Praelatorum et Baronum Hungariae elevatus, ab eis et universo populo, clamore valido, Hungariae Rex pronunciatur et acclamatur."

§ 14.

conditae Hungariae.

Eo auspice militaris Hungarorum fortitudo Leoni sapienti contra Bulgaros; Arnulpho contra Szvatopluchum probata; nec multo post victoria belli, quod cum Gelu fuit, [1]) acquisita Transylvania, et Gladus, qui a

---

[1]) Gelu hunc blacum, incolas Transylvaniae blacos (valachos) et slavos fuisse cap. 24, 25, 26, 27. asserenti Notario Belae Re-

Marusio ad Danubium usque imperitabat, ad Temesim devictus. Pugnatum deinde cum Salano et auxiliaribus Graecis, commissoque ad Alpár acri proelio, regio omnis, quae Tibisco Danubioque obducta versus Polonorum Ruthenorumque fines tenditur, in Hungarorum redacta potestatem. Menumorotus et qui alii Temesim, Alutam, Marusium, Crisium et Tibiscum accolebant, petentes, datis per meliores habitatores terrae in obsides filiis, in fidem recepti. Fecerunt idem Marahani ultra Ipolim et Granum ad Zsitvam, Vagumque, sed animo haud paulo magis invito, nec prius, quam ad Nitriam debellati, spebus suis excidissent. Pannonia Szvatopluchi et huic proximi Carantaniae fines postremi subacti, vel potius, ne a loquendi more veterum chronographorum discedam, recuperati sunt. 2)

gis Nestor antiquissimus apud Russos Scriptor plane consentit. Frustra igitur est Ederus, qui in notis hist. crit. ad libellum Valachorum jus Civitatis in Transylvania reposcentium a. 1791 scriptis pugnam ei dare meditatur.

2) „Per Hunnos reversos" Kéza l. II. c. 1. §. 1. „Jure Atilae" Not. B. R. c. 19. 20. Nec nihil illud significat in Annal. Sangall. maj. Perczii ad a. 892 „Arnulphus contra Moravenses pergebat, et Agarenos, ubi reclusi erant (vide supra l. I. § 41.) dimisit."

§ 15.

territorium.

Territorium igitur Hungariae, auspiciis Arpadi ab Havasiis montibus usque ad Alutam; qua vero meridiem spectat, usque ad portam Vaczil 1) et littora protensum maris, cui Flumen jam urbs, et regiones imminent, in novum fidei Notarii Belae Regis monumentum, erutae

1) Ad Colubram fluvium, eumque ferme locum, quem Vajlovo sive Valjava Serviae supra Belgradum sita occupat. Ita Hellius in tab. geogr. Hung. vet. Vindiciis anon. Belae R. Not. adnexa.

antiquae stratae Hungarorum adjacentes; [2]) juxta Muram Rabamque finibus Carantaniae veteris; [3]) ad sep-

---

[2]) Literas Conradi II. vide apud Bellonum et nominatim de Rubeis p. 503, 504. in quibus a. 1028 exaratis haec sunt: concedimus et perpetuo damus Poponi Patriarchae et Aquilejensi Eclesiae quamdam sylvam in pago Forojulii in Comitatu Variensi Comitis, incipiendo a flumine Lantii, usque ad mare, et sic subtus stratam, quae vulgo dicitur Hungarorum usque ad illum locum, ubi fluvius Flumen nascitur, et ita deorsum est cet. Citat literas has Stephanus item Horváth in Slavinis suis p. 72. ex Muratorio. Alium praeterea indidem locum hujusmodi ,,magna Ungarorum gens a Syria (Servia?) egressa, in quamdam provinciam, quae adjungitur fimbriis Eclesiae Aquilejensis, primitus venit et ibi habitare coepit.'' Et tertium ,,Scythas in Pannoniam egressos, quae Aquilejensis Ecclesiae ditioni jungitur,'' et alia plura, quae B. Hormayro in suo Archiv für Süddeutschland vol. II. p. 276 et seq. de maritimis oris his disserenti non succurrerant.

[3]) Recollige, quae de districtu provinciae Zaladiensis Muraköziensi diximus in Not. praev. § 12. Atque hac parte territorium Hungariae Duce Zolta latissime auctum, accisum deinde, aetate Notarii Belae Regis intra hos admodum limites stetisse videtur. Is Notarius fines Carantanos usque ad Rabam fluvium producit. Quam vere: ex literis cognoscas, quarum unas Leopoldus Marchio de Styra ministeriali suo Rudigero a. 1129.; alias Conradus Archiepiscopus Salisburgensis Canonicis regularibus S. Augustini in Vorau seu Vorove a. 1144 dedit. Illae in Dipl. sacr. Styriae P. II. vulgatae haec habent ,,tradidi praedium quoddam in Hartperch bavaricae metae, decem videlicet et octo mansus sursum versus stratam hungaricam, a rivo Saven dicto, per Lungvicz alterum rivum, ad tertium rivum Lavencze.'' Hae in laudato B. Hormayr opere pagina 251. editae haec continent: ,,Et quia eadem parochia potest ampliari a loco, qui dicitur Poutinove usque ad terminos Hungarorum (hos nunc ipsum rivus Lavencz constituit), et usque ad montem Hartperch.'' His adde literas Ottocari V. Eclesiae Voraviensi a. 1163 collatas, quibus praedium Vorau describit: ,,ab aqua videlicet, quae Vorove dicitur, usque ad aliam aquam, quae Lavencz dicitur. Quidquid inter duas istas aquas continetur —

temtrionem denique Morava ex parte Bohaemorum; qua vero Poloniam attingit, montis Tatur jugis cingebatur.

---

quidquid etiam inter eandem Lavencz et Tucham minorem, item a capite rivuli, qui dicitur Sulzbach, et a capite rivuli, qui dicitur Zelverskevere, a capite etiam, qui dicitur Lengerskevere usque in Hungariam proprietatis habuimus." In cit. Dipl. sac. Styr. Quae loca omnia per Doct. Alb. de Muchar in opere: Geschichte der Steiermark V. II. in Carantania superiori, vetustissimoque Comitatu pannonico Dudlipa numerantur.

De auctoritate Principatus Arpadi.

§ 16.

Fuit haec volente populo,

Ad res hungaricas non gradu, sed perpetuo fere victoriarum cursu ad tantam hanc amplitudinem evehendas, plurimum sane bellica gentis virtus contulit. Hanc ad amussim pervulgatae de Chunis, Varchunisque seu Avaribus traditionis cum aprobassent; non plane nihil apud eos item, qui plus vulgo sapuerant, fama valuit, quae ab hac morum similitudine exibat „adesse Atilae, Hunnorumque posteros, ditionesque Majorum suorum reposcere." [1]) Quod jactatum in vulgo, appellatio Hunniae Avariaeque etiam tum superstes, in speciem juris postliminii secundabat. [2]) Pars tamen gloriae hujus longe

---

[1]) Notar. Belae R. cap. XII. Slavi vero eo, quod audiverant Almum Ducem ex genere Atilae Regis descendisse, cum magno honore et timore serviebant Almo Duci; adulabantur Duci et suis Primatibus, sicut servi ad proprios Dominos. Idem cap. XX. et XXXIII. timebant eos, quia audierant Ducem Arpadum ex progenie Atilae Regis descendisse; tunc omnes Slavi habitatores terrae, cum magno timore et tremore serviebant eis.

[2]) Ita Carolus M. ad uxorem Fastradam „missus dilecti filii nostri Pipini retulit nobis, qualiter illae scarae, quas prius de Ita-

amplissima ad consilium, raramque inter Capita gentis consensionem et denique laudatam Curtio in Scythis rudibus quoque sapientiam pertinet.

lia jussimus pergere, partibus Avariae in Hunnorum confinia residendum, perrexerunt infra fines ipsorum.“ Bene itaque hos Pascua, Romanorum Notarius B. R. vocat. Avarum et Hunnorum nominibus personant etiam literae Ludovici pii de a. 823. C. D. T. I. p. 155. confer et Rajzolatok Steph. Horváth.

§ 17.

meritoque virtutum Arpadi tanta,

Hac duce Primores, dum recte provident, non pactis nuper initis, sed religione et constantia, qua fides horum praestaretur, peragi orsa posse; nihil cavebant magis, quam, ne quid nisi consentiente probanteque Arpado susciperetur. Vicissim, quae ipsi e republica fore censuerunt, fuerant autem ejusmodi plura (et illud quidem de Moravis Nitriensibus, qui nuper aegre admodum debellari poterant, non tamen in servitutem redigendis, sed transferendis alio, donandisque agro consilium, prope divinum erat) haec a volente Arpado tulerunt omnia. [1]) Sic vero alia ex aliis successerunt fidei in Principem vincula, quorum fortissimum propria is virtute, et, aptissimo ad gerendas res magnas telo, amore populi comparavit.

[1]) Not. Bel. R. c. XXXVII. Dux Arpad consilio et petitione suorum Nobilium donavit, accepto juramento infidelium, terras in diversis locis praedictis infidelibus de partibus Nitriensibus ductis, ut ne aliquando infideliores facti, repatriando nocerent sibi fidelibus in confinio Nitriae habitantibus. Sic Nitria hungara facta est.

§ 18.

ut forma civitatis regali generi videretur propior.

Hic igitur, et qui ex posteris ejus electi Duces sunt, Constantino Porphyrogenetae Principes, plerisque scriptoribus latinis Reges audiunt; [1]) et specialiter temporum Toxi Ducis aequalis, nec ineruditus auctor vitae b. Udalrici hunc Toxum; [2]) Ademarus, et ne privatos solum scriptores nominem, Otto Imperator in epistola ad Piligrinum Pataviensem Episcopum, Geyzam, quo parente d. Protorex natus est, Regem apellant; cum his chronographum Thuroczii P. II. cap. XII. et auctorem Chronici Budensis contendas, velim. Horum utrique is Geyza Rex dicitur. Quid? quod S. Stephanus ipse in aureo ad filium libello, dum instituta Majorum moresque, uti his ipse moderatus esset, observandas monet, hos ante regnantes Reges, Reges, puta, sensu Eginhardi vocat, [3]) secundum ritum nempe et consue-

[1]) Longam horum seriem vide sis apud celeberrimum, harumque rerum diligentissimum Cornidesium in Genealog. Regum Hung. sec. XI. illustrata p. 323 et seqq. Et auctor quidem Chronici Hildesheimensis et Analista Saxo ipsum etiam Gyulam juniorem Transylvanum Regem vocant. Exercituum Duces Scriptoribus aevi medii passim Reges dici, bene St. Horváth in Slavinis p. 62. notat. Non itaque errore seu Hermannus, seu Hepidanus (aut potius collector Annalium sangallensium majorum apud celeb. Perczium) seu denique Biographus s. Udalrici c. XII; sed comuni ea aetate loquendi usu, duces ad Ratisbonam male mulctatos Reges apellant. Nemo proinde Annales illos, qui ad a. 902 haec habent „Agarem a Bajoariis ad prandium vocati, ubi rex eorum Chussol occisus est, et alii, quam plurimi cum eo“ reprobaverit; licet hoc ipsum in Annalibus Alemannicis in haec connotatum verba „Ungari in dolo ad convivium a Baugariis vocati Chussal dux eorum, suique sequaces occisi sunt“ magis probet.

[2]) Labbei nova bibl. manus. lib. Paris 1657. T. II. p. 168.

[3]) Superius l. 1. § 26. explicito; non vero, quem Doct. Joannes Pelzius in sua: Hungaria sub Geyza sive Historica de rebus

tudinem Hungarorum; [4]) in his enim vis rei tota et omne momentum situm est. Quin igitur litem, inter amicos systematis Civitatum, aliosque pro Monarchia qui pugnant, etiamnum flagrantem ingrediar, utrius causa partis solidiorem habeat causam, dabo operam, ut ex usu, Institutisque et legibus coaevis, ceu ritu et consuetudine Majorum appareat.

Geyzae ultimi Ducis et primi Regis Hungarorum domi militiaeque gestis commentatione promit, potestati absolutae proximo. Cui Cornides l. c. sequentia reddit: si is omnis habendus sit Rex, qui regia potestate imperavit apud suos, quique Rex ab exteris nuncupatus est, tunc certe non Geyza demum primus Rex Hungariae dicendus erat, sed omnibus s. Stephani Majoribus inde ab Arpado is titulus aeque debebatur. Quippe Regio jure et potestate imperii hungarici clavum tenebat unusquisque eorum. Haec Cornidesius: Quod enim Vindiciis anonymi B. R. Not. subjicitur: aetate Ducum systema foederativum cum capite haereditario obtinuisse, propriam Engelii continet sententiam. St. Horváth in suo: M. O. gyök. regi Nemz. ostendit se facturum, ut intelligeremus: Arpadum bello tantum ducem, pacis tempore nullam plane supremae partem potestatis habuisse, (p. 63.) hoc an per ea quae in Slavinis p. 99. et seqq. adfert, praestiterit, et ex dictis jam et dicendis deinceps pronum erit judicare.

[4]) Ex usu loquendi temporis sui, jureque multo meliori, quam postea Andreas III. Thomasinam matrem (a. 1294) Mathias Corvinus Elisabetham Szilágyiam, scriptores denique plures Sophiam Geyzae II. sororem Reginas dixerint.

De initiis Comitatuum, horumque et Finium Comitibus.

§ 19.

Jam ante adventum Hungarorum castra plura in Pannoniis exstiterunt,

Sunt, qui de exciso saevitia Hungarorum omni fere per Pannonias populo, castris, urbibus, eclesiis eversis

querantur, rudes scilicet rerum Chronographi. Horum tamen commentis ad tantam hanc immanitatem exaggeratis nos, ne omnes potissimum industriae Chunorum, Varchunorumque reliquias hujusmodi per Hungaros integre servatas enumeremus, [1]) castra: Baranya, Bihar, Bodrogh, Castrum ferreum (Vasvár), Gömör, Horom, Nougrad, Nitria, Poson, Posega, Szathmár, Sopron, Ugocsa, Ungvár, Valkó, Veszprém, Zaránd, Zemplén, opponimus, [2]) urbesque aut species urbium, quarum alias divus Protorex Gyzelae suae dotem dedisse fertur; alias, easque munitissimas, Salamon in cautionem fidei suae Henrico Imperatori pactus est, per Hungaros autem, medio conditas tempore, docuit nemo.

[1]) Castra Bana, Bolerád, Blondus, Gentu, Golgoucz, Olpár, Poroszló, Szumtei, Ursova etc. non solum non destructa, sed ut apud Notarium B. R. cap. 37 custodibus ordinatis commissa.

[2]) Contra certum est: De nova patria ne populo, cultoribusque terrae nudetur, non Arpadum magis, quam Capitaneos et hos quidem viris quoque liberaliter institutis digna aemulatione contendisse. „Usubu igitur et Veluk Menumoroto pacem ab Arpado deprecantur.“ Not. B. R. cap. LI. Zuardu et Cadusa, quos subjecerunt, tamquam proprium populum suum incolumes et rerum suarum securos esse jubent ibid. cap. XLV. Episcopi quoque Germaniae Ioanni PP. IX. de perfidia Slavorum conquerentes, illatam Pannoniae vastitatem non tam Hungaris, quam his imputant, tamquam quod Graeci de Varchunis (l. I. § 40) idem ipsi de Hungaris perferre ad posteros testimonium voluissent. Vide sis lit. cor. de anno 899 apud Hansiz. T. 1. Germ. s. p. 176 — 178.

§ 20.

ex quibus aliisque deinceps erectis Comitatus efformati.

Castris his suus singulis miles [1]) et territorium assignatum; populi vero, qui intra fines hujus aut jam

[1]) Not. B. R. cap. XXI. „In eodem loco (qui nunc dicitur Saruvar) infra paludes Thosu pater Lelu congregata multitudine populi

degebat antea, aut recens adductus est, officia descripta. Castrorum hujusmodi numerus prolatis Hungariae terminis auctus, et quod Belae Regis Notarius testatur, Bars, Borsod et Zolyom a Borsio [2]) Commaromium [3]) ab Oluptulma, Chongradinum Etheo, Szabolchium Szabolcho exstructa sunt. Ab his deinde provinciam singulis adjectam Megye, Vármegye dicere sensim invaluit; vulgus enim et qui ab hoc proxime absunt, situm locorum diu postea quoque, more sibi in Asia familiari, a fluminibus vel adjunctis specialibus, quae sub sensum cernendi caderent, designare, et pro nominibus Castrorum Comitatuumque apellationes: Tömösköz, Körösköz, Bodrogköz, Szamosköz, Muraköz, Rábaköz, Csallóköz, ad similitudinem vocis Etelköz (Atelkuzu) adhibere perrexit [4]) cui haec, et vocabula: Duna melléke, Tiszamelléke, Vág, Garam, Érmelléke cet. Orbászság, Bosznaság (pro Comitatu Orbaczensi et regno Bosniae olim), Nyirság item, Szilágyság, Bakonyság cet. in praesens quoque gratissima sunt. Ex quibus apparet: de Comitatibus seu Castris Constantinum Porphyrogenetam populari-

---

fossatam magnam fecit, et castrum munitissimum construxit de terra et acceptis filiis incolarum in obsides castrum militibus plenum dimiserunt. Post vero Zobolsu et Tosu hinc egressi usque ad castrum Zotmár pervenerunt, et castrum per tres dies pugnando obsidentes victoriam adepti sunt, et filios incolarum in obsides acceperunt, et castrum militibus plenum dimiserunt.

[2]) Not. B. R. c. 34. 53.

[3]) Chomari Plinio populi sunt circa Margianam, Ptolomeo circa Bactrianam, qui et Chomarum eorum oppidum nominat. Comara graecis lembum significat.

[4]) Vulgaria haec Comitatuum, Districtuumque nomina occurrunt in literis quoque Regum. Ita Lud. I. (IX. v. 4. p. 567) in Comitatu seu Districtu de Temeskuz; in aliis (IX. v. 1. p. 245) sub districtu Rabakuz cet.

[5]) Const. Porphyrog. de adm. Imp. c. 40. ,,ulteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Temesis est; alterum Tutes; tertium

ter; Notarium Belae Regis literate loqui, ac illum quidem ex ore vulgi, audituque, hunc ex certa literarum explanatione accepta in medium adferre; tamen vel sic convenire inter utrumque: Hungariam in plures provincias pro fluminibus, rectius: castris fuisse jam Arpadi aetate divisam.

Moreses; quartum Krisus; quintum Titza." Cap. 42. „et habitant quidem trans Danubium Turci in terra Moravia, atque etiam ulterius inter Danubium et Savam fluvios" manca solum et quasi inchoata haec est comitatuum cognitio, perfectae harum rerum peritiae scriptoris domestici ac praesertim Notarii Regii neutiquam comparanda.

§ 21.

Notio castrorum Győr et Szolga-Győr,

Secus se res habet cum Geuru et Geur veterum. Hoc enim nomen plurimis olim terreis per Hungariam castellis commune, in vetustissimis literis perfrequens, vulgoque omni notissimum, longa aetas tantum non penitus obliteravit. Quaesivit igitur jam eruditissimus Timon de notione castri Szolga-Győr. Sequitur, ut ei respondeamus. Notarius Belae Regis (Timoni haud dum cognitus) cap. XXI. haec habet: „et dedit ei (Bungernec) castrum, quod dicitur Geuru, et illud castrum filius suus cum suo castro, quod dicitur Borsoud, unum fecit Comitatum." Vox, quae Notario huic, Regestoque Varadiensi, et antiquissimis Scriptoribus aliis Geuru sonat, nobis in vernaculo rotundum annulumque latinorum; haec, quod jam Bajtaius supra occupavit, Germanis Ring significant. Ne itaque credas cum Varchunis Rhingos quoque periisse, unius tibi memoriam in provincia Borsodiensi nunc admodum resuscitavimus; alter ad Arabonem fluvium armis Caroli M. eversus, sed per Hungaros reconcinnatus iterum, nomine Geuru [1]) hodieque floret;

[1]) Regest. Varad. num. XIX. „Nixa de villa Néma impetiit quemdam de alia Néma judice Nicolao Comite de Geuru Pristaldo

tertius in provincia Pestiensi Ducatus nomine; [2]) quartus in Sproniensi [3]) alii alibi [4]) nomine Castrorum Zolgageur, locis intra suum conclusis gyrum dominabantur; quae nolim regii omnia juris fuisse existimes. Szolgageur nomen erat commune omnium, quae per principales personas aliosque valentiores, sibi gentibusque suis [5]) erecta sunt, terreorum castellorum, [6]) capiti dominii, ut hodie loquimur, synonimum.

Gregorio de civitate Geuru. Hanc Chron. Budense p. 124. Gyűr appellat. Őreg et Kis Néma (vide indicem Lipszkyi) jam loca deserta sunt in Comitatu Jaurinensi.

[2]) Steph. V. terras Ducatus de Zolgageur: Toxun, Zoik et Rad, in Comitatu Pestiensi, dedimus monasterio s. Mariae de insula leporúm V. v. 1. p. 49.

[3]) Per Belam IV. Comiti Bertrando anno 1257 donatae villae tres, Chalad dictae, ad castrum Zolgageur in Comitatu Sopron. situm pertinebant. Fuit hoc prope Lövő hodiernum. C. D. IV. v. 2. p. 427. fines horum vicorum describuntur IV. v. 3. p. 306.

[4]) De castro Zolgageur in Comitatu Gömör vide literas Belae IV. C. D. IV. 2. p. 138. De terra Szencse castri Zolgageur in Comitatu Barsiensi Lad. IV. C. D. V. 2. p. 332.

[5]) Nomen „Győrienses“ pro castrensibus gentibus sensu synonimo acceptum habes in literis, quibus Bela IV. possessiones per Colomannum s. Hypolito de monte Zobor collatas enumerat VII. v. 5. p. 89.

[6]) Valent de his ea Strabonis l. V. p. 358. „Hujusmodi est Romae munitio, aliis munitionibus indigens. Ac mihi videntur urbis ejus (nobis vero Hungaris: omnes generis nostri, ut jam apud Hunnos Varchunosque vidimus) Principes de se et posteritate sua ita statuisse: Romanum (nostri item generis) esse: non munitionibus, sed armis, suaque virtute securitatem sibi et opes parare, neque viros muris, sed muros viris defendere. Confer cum his l. 1. § 23.

§ 22.

Comitis item castri.

Gentibus Constantino Porphyrogenetae, vulgoque ut commodum diximus, pro fluminibus distinctis praeter Magnum Principem, alios item praefuisse Magistratus Augustus Scriptor idem testatur, ut novo approbet argumento fidem Notarii Belae Regis, cui Magistratus hi Primates [1]) Rectoresque sonant; quod non privata dominica, sed publica Moderatoris auctoritate provinciae castrorum praefuerant. Ex classico igitur, consentienteque duorum maximi nominis Scriptorum testimonio, Institutum Comitatuum, quod non rationi solum, sed divinae rationi Kollárius jure tribuit, Arpadum auctorem habet. [2])

---

[1]) Ordinaverunt omnes consvetudinarias leges regni, qualiter servirent Duci et Primatibus suis.

[2]) Qui castrum Geuru apud Not. B. R. c. 31. Bungero, Nitriense c. 37. Hubaio; Borsod c. 18. Borsio, Veszprem Usubuquio, Zarand Velukio c. 52. contulit cet.

§ 23.

Comitum finibus praefectorum.

Neque vero sui tantum castris singulis Praefecti, sed quoniam in Instituto hoc id simul spectarunt Hungari, ut castris his et devictas gentes continerent, et adversus hostes in quamdam propugnaculorum speciem uterentur, castra plura ad limites structa, indaginibusque praemunita, unis commissa viris sunt claritudine generis, bellique et pacis artibus inclytis. [1]) Habuit igitur Hun-

---

[1]) Not. B. R. c. 18. „missus est Borsu cum valida manu versus terram Polonorum, qui confinia regni conspiceret, et obstaculis

garia jam Arpado Duce tam Castrorum, quam Confiniorum Comites, quorum hi latinis et qui admodum horum loqui adfectabant, Duces, Marchionesque dicebantur. [2])

confirmaret. Dux vero (Arpad) Borsum in eodem castro Comitem constituit, et totam curam illius partis sibi (ei) condonavit;" c. 37. „Iverunt (Zuard, Huba et Kadusa) usque ad fluvium Morava, et, firmatis obstaculis, constituerunt terminos regni usque ad Boronam et usque ad Sarvar. Et Dux Arpad Hubam fecit Comitem Nitriensem et aliorum castrorum" cet. cet.

[2]) Nomina haec jam in literis, quas d. Stephanus Rex monasterio s. Benedicti in monte Pannoniae a. 1001 impertivit, occurrunt C. D. I. pag. 280; adhibita etiam in sequentibus. Est igitur institutum hoc aetate d. Stephani antiquius; fides vero Notarii Belae Regis harum etiam argumento literarum testatissima.

§ 24.

Quid Gylas et Carchan, Constantini Porphyrogenetae?

Congregatio Communitatis, et usu non infrequenti, ipsa adeo Communitas hungaris in vernaculo Gyüllés apellatur. [1]) Est vero et id ex antiquissimo loquendi more, ut quod in Congregatione decretum esset, per modum metonymiae Congregationem decrevisse dicamus. Congregationum hujusmodi genera, ut vidimus (l. I. § 8) diversa; haec vero omnia prisca morum simplicitate, potissimum rebus judicariis vacabant. Latuit hoc, neque hoc tantum sed plura alia Constantinum Porphyrogenetum; accidit igitur ei, quod Tacito, dum mores Germanorum describeret, accidisse nemo jam eruditorum gentis hujus dubitat, ut rei consuetudinisque vocabulum,

[1]) Romanis Comitia, teste Varrone, a coeundo, id est simul veniendo; Hungaris eadem a congregando (gyűlni) Congregatio, Gyüllés in vernaculo dicuntur. Quod apud illos obtinuisse auctor idem observat, ut Comitia fuerint et litium causa; hoc apud Hungaros item nunquam non usu venit.

pro nomine proprio Magistratus summeret, nostrumque Gyüllés pro Judice quodam superiori acciperet; huic Carchanum, rectius Kár-Kánum apud gentes quasque pro fluminibus, apud Notarium Belae castris, distinctas diversum adjiceret, Gyla suo inferiorem omnino; quod Communitatis prae Rectore (hunc-enim Carchan apud Belae Regis Not. significat) major erat auctoritas. Nihil igitur hac quoque parte luminibus Notarii Constantinus Porphyrogennetus obstruit; praesertim cum viros illustres, qui Charchanorum fungebantur muniis, nominet plures; Gylam neminem.

Antiquissima Hungarorum Instituta, Legesque.

§ 25.

per Notarium Belae Regis indicatae

Venerunt, ita ille, usque ad stagnum, quod dicitur Curtveltou, et manserunt ibi, juxta sylvam Gemelseu, triginta quatuor diebus, et in illo loco ordinaverunt omnes consuetudinarias leges regni, et omnia jura ejus, qualiter servirent Duci et Primatibus suis, vel qualiter judicium facerent, pro quolibet crimine commisso, et locum illum, ubi haec omnia fuerunt ordinata, hungari secundum suum idioma nominaverunt Scerii, eo, quod ibi ordinatum fuerit totum negotium regni. Praeter leges itaque pacti fundamentalis, quaedam de modo quoque regiminis, et administrationis publicae scita sunt. Quae illa? nec Notarius explicuit, nec erui tam longo intervallo speciatim potest. Praestabimus tamen aliud pretii non plane disparis: specimina quaedam consuetudinum dabimus, quae seu ex constitutionibus his, seu Majorum sumtae moribus, perpetuoque consecratae usu, veram exhibent Hungariae sub Ducibus imaginem, veram inquam, nec pictam arte, sed natura effectam; confit enim sua sponte, si, qui adhuc de moribus Hunnorum, Varchu-

norumque delibati per nos sunt rivuli, in unius velut alvei copiam colligantur, cujus speculum eam fide sincerissima repraesentat.

1. De primitiva apud Hungaros libertatis notione.

§ 26.

Axiomate eorum

Verba Chronographi veteris apud Thuroczium: unde in ipsis (Capitaneis, Praefectis) venerari potest nomen dignitatis plus aliis et potentiae; nobilitatis vero aequaliter, [1]) Sententiam legis hujus; formulam axioma juris nostri consvetudinarii antiquissimum exprimit: „non Dominorum quemquam plus, nec Nobilium minus habere de libertate.“ [2])

---

[1]) Thur. P. II. c. 9.

[2]) Verbőcz P. I. tit. 2. Atque haec ea est, quam Cic. „aequalitatem per dignitatis temperatam gradus, ornamentumque Civitatis“ vocat; Tacit. autem per verba laudat, „non frustra Majores cum dignitatem Ordinum dividerent, libertatem in comuni posuisse“ antiquissima apud homines nostros Status civilis conditio, de qua agere pergimus.

§ 27.

expressa,

Primam cito legem hanc; non quod in Conventu ad Zer primum condita, sed quia clarissimo indicio est: Hungaros Scytharum Abiorum esse posteros, qui „libertatis modico et aequali usu principibus humiliores pares fecisse“ apud Curtium laudantur. [1])

---

[1]) Curt. l. II. c. 6. num. 11.

Gentem itaque Hungaros ingenuam et liberam Leo sapiens appellat; Filius: Principibus suis non subjectam; quod nomen etiam Szabados felek per Augustum hunc auctorem pro more suo ex vernaculo nostro sumtum testatur; leges praeterea, Diplomataque alia primorum Regum paullo accuratius scripta, ex quibus et appellationis liberorum amplitudinem, [2]) et vero communem eam intelligas hungaricarum hunnicarumque laudem legum „quod in omnes positae sunt.“ [3])

---

[2]) Speciminis instar S. Steph. l. II. c. 27. „ut nemo eorum, qui libero nomine censentur, facere cuipiam injuriam audeat.“ Priv. ejus Pécsvarad. de a. 1015 „dotavimus terris, populis tam liberis, quam servis; liberis scilicet ducentis militibus.“ Recollige, quae ad § 16. Not. praev. de liberis hominibus de Klokocsa adtulimus. In Priv. Belae III. de anno 1186 (Katona H. c. T. IV. p. 313) „dicentes se esse liberos et militari armatu in exercitum Domini Regis equitantes.“ Sághios literae Cap. Jaur. de anno 1331 (VIII. v. 7. p. 233) testantur „liberos, nullaque macula alterius conditionis affectos“ cet.

[3]) Priscus c. II. § 14.

§ 28.

quae explicatur uberius.

Vis appellationis liberorum apud Hungaros eadem diu, quae honestorum; liberum enim, nisi qui honestus, id vero est: nulli servili conditioni, aut arti illiberali vel censui cujuscunque generis adstrictus esset, vocabant neminem. Sed enim vocis utriusque acceptio haec pluribus, ne quid celetur, antiquissimis gentibus communis; id praestantissimi judicii specimen proprium vetustissimorum Hungarorum fuit, ut axiomate nobilium (nemes) ad Duces, Capita tribuum, Praefectosque ornandos usi, summam dignationis civilis in epitheto becsületes (honestum notat) collocarent. Ex quo deinde sequebatur, ut axiomate illo nobilium a Summatibus, more per omnem

recepto Europam, circa finem sec. XII. in quosque vulgato armigeros, Servientes quoque castrorum Jobbagiones nobiles; nobiles tamen et honestos Jobbagiones non alios dicerent, quam qui a generatione liberi, Jobbagiones naturales, aut in Ordinem horum speciali asserti privilegio essent. Patebunt haec deinceps luculentius. Hic satis sit nosse: primaevos liberos, in Diplomatibus sec. XII. primos, veros, et naturales regni nobiles, [1]) naturales Servientes regios dici.

---

[1]) Exempli causa: Steph. V. dum Martinum de Domonya ex jobbagionatu castri in numerum Regalium Servientium transfert, statuit, ut ipse haeredesque eadem perfruantur libertate (summa nempe) qua primi, veri et naturales nobiles regni gratulantur. Ladisl. IV. Jacobum de Barach numero Nobilium regni agregando, vult, ut eadem ipse et posteri libertate gaudeant qua alii puri, veri, et naturaliter nobiles regni gratulantur. His concepta verbis sunt aliae etiam ejus literae C. D. V. 3. p. 345 vulgatae.

2) *Jura liberorum (primorum, ut deinceps dicebantur, ac naturalium Nobilium regni) communia.*

§ 29.

in dominio pleno rerum suarum

Liberorum quisque et terrarum descensualium et personarum, rerumque bello captarum, aut secus aquisitarum legitime, plenum habuit dominium, non lege aliqua scripta, sed moribus ab ultima stirpis origine derivatis. [1]) Captos itaque bello, cujuscunque dignitatis, ne

---

[1]) Lib. I. § 14.

magno quidem Principi, nisi convento remittere pretio tenebantur. [2])

[2]) Ibid. § 13. Atque ab hac lege, ceu capite plurimae deinde manarunt donationes Regum, uti loco citato Michaeli de genere Chak, qui duos Barones Servianos; Dionysio item filio Dionysii Magistro Agazonum, qui nominatissimum militem Hertynigum filium Frid. Domini de Pethovia; Seraphino de Akalich parvo Servienti Nicolai C. de Zolom unum Cumanum nobilem in acie captum ad Regem adducenti, sic aliis plurimis merito suo collatae.

§ 30.

et immunitate vectigalium cujuscunque nominis consistebant.

Quae et ex notione honestatis explicita paullo ante sequitur suapte, et usu apud Hunnos, Hungarosque perpetuo obtinuit, tamquam praecipua apud utrosque summi boni portio, aut potius ipsum, judicio eorum, summum vitae degendae bonum.

3. *His adnexum munus militandi.*

§ 31.

Liberi non ipsi tantum per se obibant;

Quidam duplicia in proeliis arma gestarant: humeris quidem ferebant hastas; arcum vero manibus tenebant; universi frameis, loricis, arcubus, hastis armabantur. [1]) Atque hic ille est, cujus Liutprandus quoque

[1]) Leo sap. Tact. XVIII. n. 10. apud Kollár. Novit haec, uti omnia Kollári Ederus; an igitur hic, dum in Dissert. de init. Saxon. in Transyl. Hungaros arma haec, seculis post, a Germanis accepisse scriberet; legem historiae expleverit, facile est ad judican-

summa auctoritate scriptor Sec. X. apud Muratorium meminit, Armorum hungaricorum honor.

dum. Nobis vero et ex his et vero cap. XXV. Notarii Belae Regis „habitatores terrae illius viliores homines essent totius mundi, quia alia arma non haberent, nisi arcum et sagittas,“ et denique historia casuum monast. s. Galli, contra ipsum laudatissimum Spittlerum, certum sit: eos ab omni, ut ea erant tempora, armorum genere fuisse paratissimos.

§ 32.

sed per homines quoque suos

Et Parthi, quod Justinus, [1]) et Hungari, quod Regino tradit, [2]) servos quoque suos tam equitare, quam sagittare magna docuerunt industria, quod exercitum non ut aliae gentes liberorum, sed magnam partem servorum habuerunt. Non igitur satis retro auctores respiciunt, qui plebeos seculo demum quarto decimo accingi apud Hungaros armis coepisse tradunt. Nec verba recordantur Antonii Verantii purpurati apud nos Scriptoris sec. XVI. sequentia: „plebeorum nostrorum virtus, vetere jam Majorum nostrorum indulgentia atque usu, non solet esse invidiosa.“ [3]) Atque ab his ego majorem in modum peto, dici sibi per me, sine arrogantia, existiment: hoc potius in Historiis vetustissimorum Hungarorum esse singulare, et ad eximiam, quam Thucidides Majoribus horum ante alias nationes tribuit, prudentiae laudem comparatum, quod morem illum suum constanter retinuerint, nec retinuerint tantum, sed, nullius per Europam gentis alterius exemplo, auspice d. Stephano in Systema redegerint fixum, ex quo et Castrenses, et

[1]) Libri XLI. c. 2. 3.

[2]) Inter Joan. Pistor. Script. rer. Germ. V. I. p. 90.

[3]) Kovachich Script. min. rer. hung. t. II. p. 155. plane ex more Romano Liv. l. IV. 3. „dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium Romanum.“

Udvarnici, et privatorum Libertini in duplicem: armigerorum alteram, alteram rusticorum classem dividebantur. Quod hic indicatum suis locis demonstrare horum Commentariorum institutum est.

4. *Vetustissimae Hungarorum de delictis Sanctiones.*

§ 33.

humanae sunt.

Eorum, quae adhuc disseruimus, plane simile, et si dicere, quae sentias, argumenti praesentis natura patitur, non inglorium Historiae Hungarorum de delictis item et eorum poenis caput est. Atqui hos in plane barbaris Caucasi accolis numerant Scriptores aliqui. Commodum admones de Caucaso, et barbaris, quibus olim habitabatur. Non locum, non nomen refugio, quando jam Strabo (XI. c. v. p. 790) admiratur maxime „esse in iis alios, quibus usus sit: neminem eorum, qui gravissimum in se admiserint scelus, interficere, sed tantum cum liberis extra suos fines ejicere.“ In his igitur aliis tu mecum, si lubet, Majores Hungarorum deinceps numeraveris, ut quorum hanc esse humanitatis laudem propriam ex hoc genere supremae poenae intelligas, quod obsoleto, et ferme penitus obliterato nomine: amissionis humanitatis, [1]) et registrationis et missionis in causas desperatas; notiori vero: proscriptionis et mediae capitis diminu-

---

[1]) Ulad. Decr. V. art. 1. § 5. 6. Juris consvet. Verb. P. II. tit. 30. § 3. ac inprimis a. 1298 art. 5. § 7. qui notionem amissionis humanitatis legibus his memoratae ita explicat: „possessionibus omnibus ipso facto privati, ita quod haeredes eorum legitima parte haereditatis denudati, inter nobiles non debeant computari, et ab actibus nobilium atque ab aditu eorundem exclusi maneant, ab omnibus actibus legitimis alieni.“

tionis [2]) significatur. Neque tamen nullum extremi quoque apud posteros suplicii vestigium; sed perduelles hoc feriebantur, et qui ad exercitum vocati venire aut profugi repetere castra detrectassent; nam ceteros plerosque etiam si adversum remp. fecissent, suo illo percusserunt anathemate. Gradus hujus varii, quod alii omnibus nudati bonis, equestrique moti ordine ac uxorum, liberorumque prohibiti consortio pedites oberrare permittebantur; proscribebantur alii una cum liberis; in communem denique alii redigebantur servitutem. Haec ad vindicanda scelera, et crimina maxima in totius patrata Communitatis perniciem. Homicidium apud Hungaros aeque ac alios per Asiam populos certo luebatur armentorum numero, [3]) qui auctore judice (Bíro nobis in vernaculo) irrogatus, originem proprio vocabulo nostro Birság dedit. [4]) Mulctam hoc, et redemptionem, compositionemque

---

[2]) Chronog. Thur. I. c. 10. II. c. 19. 63. 64. C. D. VIII. v. 1. p. 83 cet.

[3]) Humeius citatis Homeri; e sacris vero Codicibus Exodi capite 21. 29. 30. hanc redimendi homicidii consvetudinem pluribus vetustis gentibus communem fuisse probat. De Romanis Cic. de rep. II. 9. „multaeque dictione ovium et boum (Romulus) non vi et supliciis coercebat.“

[4]) Bonum virum Kelemenium meum, qui Inst. juris priv. hung. l. III. p. 292. de etymo vocis birsagium conjecturam Kollári in libello „de usu perp. pot. legisl. cet. p. 66, quod quamdam eruditionis adspersam habeat speciem, sententiae Szegedii, eam ex hungarico birság Tyroc. sui P. II. p. 517. recte, vereque derivantis ante habuerit. Hungarus ipse, qui potuit, peregrino adagio: Bursa oculos claudit, dicite birsagium, plus tribuere, quam Sigism. Decr. VI. art. 7. § 1. et consono per reliquam Europam vocabuli birsagium, plane ex etymo ejus hungarico, pro judiciis, adhibiti usui? Quid Kollári bursa commune cum Birschaft ad similitudinem vocis germanicae detorto habet? Atqui ita Barbara regina, consors Sigis. Imp. et Regis in literis suis (vide has apud Podhr. in hujus Buda Pest p. 90) compellat bírság hungaricum. Technicum hoc apud alias gentes vocabulum (quod apud Baluzium plane

homicidii, apud nos, usu vulgari seculo quoque sexto decimo notabat, praeeunte Bela IV. [5]) nisi fallor, ad quamvis mulctae speciem translatum. Delictis aliis, ut in suo vitio quisque plectatur, talionem judicabant. [6])

non, apud Du Cangeium in Constit. demum Imperii de officio Palatini reperias) seculis ante vulgare apud Hungaros fuit ad eum modum, uti hoc moniales Vásárhelyienses in lit. mss. utuntur a. 1551, quibus officia incolarum loci hujus describunt: ,,törvénye pedig eképen vagyon: mikor valamelly ember mást ölend, tehát, ha négy forintot a' birónak adand, avagy házában a' birónak bévetendi; tehát sem a' biró, sem az ispány azt meg nem foghatja; de pőrősével lesz dolga; továbbá, ha ki mást megsebesíttend és verend, a' birónak pedig egy fél sem panaszland, semmi birságon sem marad; ha pedig valamelly fél panaszland, az bűnös fél, két forinton és negyven pénzen marad.“ Nos igitur sententiam Szegedii tunc dimittemus, dum quis ante aetatem Hunnorum vocem birsagium per Europam viguisse docuerit.

[5]) In priv. Ecl. Strig. de a. 1239 ,,et X. marcas pro birságio solvat.“

[6]) Regest. Varad. num. 234. 259.

5. *Lex Hungarorum de hominibus et jumentis vagis.*

§ 34.

Decretorum S. Lad. l. III. cap. 2. 13. 20. accuratius descripta.

His ejus scitis multo antiquior est; ut quae legis Hungarorum nomine jam in literis Geyzae I. indicatur: de profugis hominibus aut jumentis, quomodo detinendis, aut reddendis, vel si herus deesset, in potestatem Regis, Ducis, Comitis, aut Primatis per homines horum (Jókergecs nominabantur) redigendis, [1]) quae jam

[1]) Cod. Dipl. T. I. p. 438.

consenescens legibus his d. Ladislai novo firmata est praesidio.

6. *De praecipuo Magni Principis Officio.*

§ 35.

Primas, novissimasque in bello partes habuit,

Exercitus Ducis, ut praecedat reliquas copias, hasque regredientes sequatur, mos adhuc fuit consvetudine, [1]) deinceps inde ab aetate Arpadi constitutione quoque publica in omne aprobatus aevum, quo securitatis externae cura Duci, **Regi** deinde commissa, jactumque perpetuae hujus apud nos legis fundamentum est, ut generalis exercitus regni (Insurectionem dicimus) non ante in hostem moveret, quam copiae regiae vires fortunamque suam experirentur. [2])

---

[1]) Almum haec jam in vetere ad Dontő patria praestitisse Simon de Kéza l. II. c. 1. Thur. P. II. c. 3. tradunt.

[2]) Decr. V. Sigism. art. 2. Alberti art. 3. anni porro 1458 art. 2. Huc facit etiam institutum, ex quo si Rex, aut jussu regio Palatinus in bello adversus hostem proficiscerentur, Bani Vajvodaeque copias regias cum suo milite educere; prioresque pugnam inire tenebantur, Franc. C. Forgách Coment. l. IV. p. 153.

§ 36.

quod manet etiamnum.

Atque hoc **Sigmundus Rex**, quem ab eximia priscarum **Hungariae** consuetudinum peritia jam alias laudavimus, laudabimusque saepius, in praefat. **Decreti** sui quinti § 1. **debitum regale, Officium dignitatis regiae**, plane ex antiquissima hac gentis constitutione vocat.

7. *Lex de perpetuis ad fines excubiis servandis.*

§ 37.

itidem domestica Hungarorum est.

Non in Zer condita, sed adlata secum. Qui ad agendas perpetuas excubias has in finibus degebant, nobis Eörii (custodes) latinis Speculatores dicti, praeter curam finium vicem simul cursorum publicorum fungebantur, sub auspiciis Comitum finium, et alterius ab his Magistratus, cui in vernaculo Eör-nagy nomen. [1])

---

[1]) Kat. H. C. T. VII. p. 591. „Speculatorum nostrorum Eur vulgariter dictorum;" de Eurnagy C. D. VIII. v. 4. p. 375. cet. item Szirmay in not. Comit. Zempliniensis.

8. *Alia quoque de populis amicis in Civitatem hungaricam eadem, qua antea in societatem armorum, conditione recipiendis.*

§ 38.

ut praegredi Hungarorum exercitum teneantur.

Magna, in illo ad Zer Communitatis colloquio, omnium voluntate in eam quoque itum legem est ex Majorum conditam more, ut qua novissime Cabari in societatem armorum hungaricorum recepti conditione sunt, eadem gentes omnes tenerentur, quae deinceps civitatis hungaricae frui juribus vellent. Quod universim ita constitutum, specialiter ad Bissenos et Siculos in Transylvania spectabat, quos Thuroczius more solito Hungarorum praeivisse agmina Chron. sui Partis II. c. 65. Notarius Belae R. c. 50, 51. testantur. Atque haec illa est Siculorum in Transylvania conditio, qua tamquam Hunnorum Ati-

lanorum in Dacia reliquiae, ab Almi Arpadique Hungaris secernebantur. Post ubi Saxones seculo XII. in Transylvaniam; Cumani Bela IV. Rege in Hungariam immigrassent, hi quoque eadem, ex instituto Majorum, alligari [1]) se lege lubenter passi sunt.

[1]) De his argumento quoque cap. 26. hist. Salonn. et art. 33. 1459 recte Ederus in Diss. de init. Saxonum.

9. De communis Consilii colloquio.

§ 39.

testimonium vetustissimum.

Locos Chronographorum omnes, qui Concionum hujusmodi usum perhibent, congerere propositum non est; auctorem dabo classicum, aetate Toxo Duci et S. Udalrico aequalem, qui in vita Augustani Episcopi hujus, non modo communis Consilii colloquium Hungarorum, sed ipsam quoque formam ejus exhibet [1]) per verba: „venit ad Regem (hoc Toxum Ducem ornat axiomate) Ungrorum, annuncians ei adventum Ottonis. Qui, ut hoc audivit, suum classicum omni exercitui notum clangere praecepit; de cujus sonitu exercitus totus pugnam Civitatis omisit, et ad colloquium eorum Regis, se conjungere festinavit, qui cum eis autumatione facta, Deo donante a pugna Civitatis cessabat.“ Hoc tum modo Comitia peragebantur palam et sub diu, nec in foro, quod peditum frequentiam, sed in campis, qui et liberos seu milites omnes, et equos, quibus insidentes armisque adornati in medium consulebant, tentoria denique caperent, quae pro hospitiis erant. In Concionibus his Primores auctoritate semper

[1]) Edita August. Vind. a. 1595. p. 77.

plurimum, [2]) tantum certe valebant, ut in decernendis negotiis, horum, quam suo, stare miles probae disciplinae adsvetus judicio mallet. Si cui enim alteri, populo hungarico vere: „licere sibi in medium consulere nunquam non satis fuit; hoc retento, reliqua voluntas auctoritati aut gratiae tradebatur.“ Quod namque tardius discrepabat, nullo non tempore ambitione, largitionis quaestu, et id genus vitiis opulentiorum ortum, aut certe impulsum fuit.

---

[2]) Cic. de LL. III. c. 17. Quod adjicit „Itaque ut omittam largitione corrupta suffragia; non vides, siquando ambitus sileat, quaeri in suffragiis, quid optimi viri sentiant?“ de nostris temporibus, nobilibusque Hungariae tenuioris ordinis dictum puta; atque hoc idem de sententia Aristotelis Pol. l. VI. c. 2. „si modo penes eam consultandi sit potestas, hoc uno contenta est multitudo (agricolarum) urbicolae enim facile conciones frequentant“ aliisque hoc et l. IV. c. 10. analogis apud eum locis tene.

§ 40.

Auctoritas Consilii Communitatis

Maxima fuit. Eo enim eligebantur Principes,[1]) Principes inquam, ut hos a Ducibus seu Capitaneis discernas, qui exercitui communi aeque Communitatis voluntate constituebantur; [2]) Tuhutumo potiundae Transylvaniae facultas communis consilii colloquio hujusmodi data [3])

---

[1]) Hartvicus ipsis prope verbis biographi S. Udalrici „Geyza convocatis Primatibus ejus, cum ordine sequenti, per communis consilium colloquii filium post se regnaturum populo praefecit.“

[2]) Chron. Bud. ad a. 966—970. p. 39: tunc igitur Capitaneus Hungarorum nomine Opour, qui illi exercitui de Comunitatis voluntate fuerat constitutus. Sim. de Kéza L. II. c. I. § 19: Comunitas itaque Hungarorum cum suis Capitaneis seu Ducibus, quos pro tempore praeficere usa erat, hinc inde cet.

[3]) Belae R. Not. c. XXVI.

najoraquae belli et pacis acta negotia sunt; [4]) maximo ioc Comitiatu ferebantur leges; hujus judicio damnaantur fidei violatae, proditique nominis hungarici rei. [5]))enique non perduellionis tantum actionem, capitisque ntendere discrimen coram hoc universi populi judicio, ed vel a sententia Rectoris, de quo mox, provocare ad 'ommunitatis Congregationem hanc (Gyüllés) usque ab ltima seculorum memoria nunquam non liberum fuit.

[4]) §-pho super. et Belae R. Not. c. 20, 26, 41, 46, 47 elli, cap. 9, 10, 51 pacis negotia.

[5]) Thur. P. II. c. 9. Chron. Bud. p. 45. Prayi Dissert. ad nn. vet. p. 240. „Hinc ea apud Transylvanos consuetudo (IX. 3. . 552) ut Nobiles non alias, nisi in specialibus Vajvodae Congreationibus seu Judicatibus proscribi possent.“

10. De Rectore seu Judice Communitatis.

§ 41.

ambitus muneris amplissimi

Magno Principi auctorite Magistratus proximus, opuli universi deligebatur sufragiis, ut communem exeritum judicaret; dissidentium lites sopiret; castigaret ıalefactores, fures ac latrones. Cujus tamen senentiam, si imoderata esset, Communitas (Gyüllés) in ritum revocaret, ac pro re nata Magistratum quoque li abrogaret. [1])

[1]) Simon de Kéza cap. II. § 1.

§ 42.

quod a fatis Geyzae Ducis restrictum, non penitus sublatum est.

Simon de Kéza, et qui hunc exscripserunt, chronoraphi Magistratum hunc ab obitu Geyzae desiise refe-

runt; quod dicere nimium est. In legibus enim, diplomatibusque Andreae I., s. Ladislai et Colomanni constan est **Judicis** inter summates viros memoria; leges ver Sigismundi, quem antiquitatum patriarum scientissimum dicimus iterum, loquuntur clare: ex sanctorur Regum institutis repetendam eam esse consuetudinem, u de furtis, latrociniis, aliisque maleficiis hujusmodi per Kézam attactis, in generalibus Judiciis (Palatinus his praeerat, idcirco **Palatinalia** dicta sunt) cognosceretur. [1]) Quod de origine Palatinalium Judiciorur hic delibare satis sit; per decursum enim operis patebi liquidissime, non munus hoc a fatis Geyzae desiisse; verum, quia Stephanus Caroli M. apud Francos imitatu cautionem, [2]) Archiofficia regni omnia sui esse benefici voluit; jus Communitatis Judicem hunc deligendi cessasse Evenit hoc populo illubente, ut qui perpetuo deinceps tenebatur juris hujus postliminio recuperandi desiderio. Hui nihilominus, ne Andreas quidem II. impetrari a se passu est, ut deferret; [3]) licet art. 1. et 8. Bullae aureae auctoritatem primi hujus olim a Duce Magistratus restabiliverit totam. Par ceteris Regibus et nonnullis etiam alienior usqu ad Albertum sensus, qui se auctorem art. 2. 1439 praestitit. Ab hoc igitur tempore, neque tamen illico, ipse itiden populus suis confert sufragiis dignitatem, cui praefectu qui erat, aliquamdiu **Regis**; [4]) postea, praeeunte, n fallor, Bela IV. [5]) **Regni Palatinus** non infrequenter

---

[1]) Decr. II. art. 5. confer. art. 4. 1486 et 35. 1492.

[2]) Conf. L. I. § 25. ad (1) cit. apud Sismond. locos.

[3]) Art. 3. 1231: „Si Palatinus interim male administraveri negotia Regis et Regni, suplicabunt nobis, ut utiliorem loco eju constituamus, quem volumus; et nos precibus eorum annuemus."

[4]) Palatinus meus, Palatinus noster, formulae erant ante conditam Bullam auream usitatae C. D. II. p. 198. „meo Comiti Palatino F." et quae alia hujusmodi III. v. 1. p. 396, 429. IV. v. 1 p. 420. cet. habent.

[5]) C. D. IV. v. 3. p. 133. „Palatinus regni, Palatinus regn nostri." Simon de Kéza App. c. II. § 2. „Palatino regni qui pr

:onstanter deinde dictus, Sigismundo autem Rege, jam Magistratus ipse **Palatinatus Regni** appellatus est. [6])

tilitate Nobilium praeficitur." Vide etiam Scita Lad. IV. de Cumais cet.

[6]) Sigism. a. 1437 apud Pray H. R. Not. praev. p. XXVII. d honorem et dignitatem Palatinatus regni nostri Hunariae; — quibus ceteri Hungariae Palatini.

§ 43.

Haec de primis germanisque Hungarorum legibus:

Atque haec praecipua sunt legum apud **Hungaros** sub **Ducibus** capita, quae non aliqua non ineruditorum indicia emporum, sed cumulatissima repraesentant sagacis boaeque mentis ac ingenii civilis specimina, digna sane, uibus promulgandis **Praeco** solemne carmen: „**Vox Dei** t universae Comunitatis" praefaretur. [1]) **In** fascem ea colgi, non sine oblectatione quantulaecunque hujus operae, arius enim ex hoc jam dilucet: plurima in scitis Majoum fuisse, quae d. Stephanus Decretorum suorum l. **I.** **VIII.** filio sollicite observanda praeciperet; quaedam iutata per se, in quibus suum exemplum ei pro lege sse vellet. Ita ego: alii hoc velim unum demonstratum xistiment: **Hungariam** nec sub **Ducibus** fuisse barbaram; tephanum autem, quem reip. reperit statum, huic perpliendo limam, non bipennem evertendo adhibuisse, libro tero demonstrandum exspectent: nunc enim de prisca ungarorum religione dicendum est.

[1]) Chron. Bud. Podhr. p. 14. Simon de Kéza l. I. c. 2. § 1.

De religione, ritibus, doctrinaque morali veterum Hungarorum.

§ 44.

De religione eorum Theophilactus verissime refert.

Chronographi antiquiores, plerique monachi, quo impensam in conversionem Hungarorum operam multam existimari velint, his et Deos et idola adstruunt sed nomina horum, ritusque populares ex iis si quaeras frustra sis; nec enim aliud quidquam elicies, quam equinas illos pulpas esitasse, [1]) et se suaque diris (vel ut il loquuntur daemonibus) addicere [2]) id vero est: mal quaeque sibi imprecari in more habuisse. His Otrokocsium, Belium, Cornidesium, praecipua Hungariae eruditae sidera, adjungi maxima gloriae horum injuria fuerit; tamen et hi, ne plures alios memorem, non Marten tantum, sed et Herculem, et Mercurium iis adsignant non alia fere causa, quam ne hoc quoque cultus gener Majores nominis hungarici, in quibus pro incomparabili pietate sua ornandis omnes eruditionis suae copia explicant, Graecis Latinisque inferiores videantur. Hodi haud quisquam jam est nobiliorum scriptorum, qui ambigat: hac etiam parte Theophilactum Simocattam vero proxima referre. Haec in summa eadem sunt, quae Herodotus de religione Persarum [3]) consignavit. Ita namque hic: „Soli, Lunaeque sacrificant, et telluri, igni, aquae atque ventis, hisque solis sacra faciunt, jam inde ab initio“ Theophilactus vero de Hungaris: „Turcae, ait, admo

---

[1]) De simili more Germanorum operaque Pontificum in hoc sufferendo vide Schmidt Gesch. der Deutschen T. I. c. 1.

[2]) Vitium iis cum Romanis veteribus commune, teste Livio.

[3]) Lib. I. c. 131, 138. l. III. 16. Quibus similia ea etiam parte, qua Soli (igni) equos imolasse referuntur, Strabo, Curtius Justinus plura.

dum stolide ignem colunt, aeremque et aquam venerantur, telluri hymnos concinunt, adorant autem tantummodo, et Deum nuncupant, qui hanc rerum universitatem aedificavit."[4]) Quam haec vere Theophilactus, fasti loquuntur monasterii ad s. Gallum, cujus olim prata pie gratis Hungarorum in Deum suum Opt. Max. hymnis personabant. Atque hunc derivata a Chaldaeorum Eschta, [5]) (ignem notat) vocabulo „Isten" et progenitores Majorum nostrorum et nos appellamus hodieque; apud eos non per Sacrificulos, ut alibi passim, externo cultui auctoratos, sed militari cujusque virtute veneratum; nam et praeliandi initium conclamato ejus Numine factum, et victoria ei in acceptis relata, caesisque, in praecipuo pretio qui fuerant, albi coloris equis, inter lauta convivia celebrata, [6]) et ipsa Communitatis edicta ad addendam his sanctitatis speciem „pro voce Dei" promulgata habitaque sunt. [7]) Hominem non omnem mori, sed a fatis quoque superstites animas credebant, et quos bello interemissent, in omnem temporum aeternitatem inservire ipsis teneri. [8]) Daemonem malum Ördög vocabant, hujusque velut omnium inter vivos calamitatum auctoris vim, quibus male vellent, imprecabantur, et, quia implacabilem crediderant, nullo dignabantur sacrificio.

---

[4]) Confer Liedeman Gesch. der Meinungen, III. Theil de Samoedis; et Görres Mythengesch. der asiatischen Welt 1. B. p. 210.

[5]) Radicem hanc refert Esküt (juratus) et esküvő nostrum, quod actum solemnem notat fidem sacramento obstringendi. Vide etiam Not. Belae Reg. c. 27.

[6]) Is Dominus omnium apud Belae Reg. Not. c. 39, 46, 49, 50; apud Chron. Thur. Part. II. c. 3. Vide plura in classica Cornidesii Disser. de vetere Hung. religione, alia item Joan. Horváth Canon. Veszprim. in Tud. Gyüjt. a. 1817.

[7]) Vox Dei et Populi hungarici. Simon de Kéza Podh. p. 17.

[8]) Chron. Thur. P. II. c. 25: Est namque fides Scythicorum, ut quoscunque viventes occiderent, in alio seculo ipsis servire teneantur.

§ 45.

Ritus et doctrina moralis

In pangendis foederibus inciso aliquantulum corpore, mixtoque in calicem sanguine, et acinace aut sagittis intinctis, se multis verbis devovere, (tam late olim dirae imprecationis consvetudo patuit) et demum calicem non per eos modo, qui foedus facerent, sed etiam comites, qui adessent ebibi; Scytharum apud Herodotum, Medorumque apud Solinum et Cumanorum etiam sec. XIII. apud Joinvilleum more, Hungaris quoque solenne; dum fidem exteris paciscerentur, luculentius testaturi, quam male perire velint, si eam violarent, canem, lupum, aut aliud hujus generis animal, gladio consecare sveverunt. [1]) Amnes, fluviique et loca his proxima, ut in vita gratissima, ita praecipua honoris, qui defunctis habebatur, species erat: juxta hos sepeliri. [2]) Justa mortuis convivio solvebantur. Quod in funere praestitum tór; [3]) rebus laetis acceptum, etiamnum áldomás

---

[1]) Apud Hansitium Episcopi Germaniae ad a. 899. „Quod nos praefati Schlavi criminabantur, cum Ungaris fidem catholicam violasse, et per canem, seu lupum, aliasque nefandissimas et ethnicas res sacramenta et pacem egisse" cet. de hoc Hungarorum more abunde testantur. Joinvilleus in vita s. Lud. (Histoir de s. Louis; edit. Paris 1761 p. 104) de Cumanis, sanguineque per hos, dum cum graecis paciscerentur, incisis corporibus, emisso idem narrat, adjicitque, canem in medium paciscentium eductum, ambarum partium gladiis petitum, minutimque concisum fuisse, imprecantibus identidem barbaris, ut eodem modo pereant, qui foedus jam jam initum essent violaturi. Cornides o. c. et supra ad § 13. n. 1.

[2]) Not. B. R. refert Ketel et Tulmam juxta Danubium cap. 53. Arpadum juxta caput parvi fluminis cap. 56. Botondium prope fluvium Veröcze cap. 57. Thonuzobum ad portum Obad cap. 57. conditos. Juratur ab illis ignis et unda Deus; habet Sidonius.

[3]) De caenis funebribus Hunnorum alibi; nomen harum Stava apud Jornandem ejusdem labii est, cujus medum, aut pravda (ita

(ex áldani laudare, concelebrare, bene precari) dicimus. Religiones universe, ut apud populum a superstitionibus abhorrentem, paucae; tanto vero plura proverbia, quibus recte vivendi praecepta, ori quoque vulgi sine magistro insererentur. Horum unum, quod severitate, et honore et praemio regi Hungaros perhibet, occupavimus alibi; repetimus nunc, ut memineris illa apud Thucididem „honore, metu, utilitate evecti maximis argumentis“ non unius apud hos viri sententiam, sed totius judicium gentis fuisse. Cui plane consentaneum etiam hoc est paullo ante allatum, quo per eos nascendi pretium omne in honestate ponebatur. Plura enim adferre consulto supersedeo, probe gnarus: communi mortalium vitio, alienas virtutes neminem, nisi hactenus, audire libenter, qua eas similibus aut suis aut suorum laudibus aequari existimat. Singulis singulae uxores;[4]) sed nomina Öregbik Uram, Kisebbik Uram, Közepsö Uram (ita hodieque mulieres de vulgo fratres mariti vocant) antiquissimae retinent memoriam consuetudinis, quae de uxoribus, liberisque communibus apud Scythas Abios, ad similitudinem doctrinae Platonis, viguit.[5]) Nobis more vetustissimo emi uxor (venni) vendique (eladni) dicitur; dote, quam maritus paciscitur, pro pretio accepta.[6])

Slavinis judicium ferri Varadiense vocabatur). De áldomás Hungarorum, simulque cultu Dei sui, pulcherrimus in scriptoribus rer. alem. Goldasti p. 32. exstat locus, qui ita habet: Vinum quoque plenis cuppis in medio positum sine discretione, quantum quemque libuerat, hausit; postquam vero mero incaluerant, horridissime Diis suis (?) vociferebantur. Clericus autem linguae eorum bene sciolus (propter quod etiam eum vitae servaverant), cum eis valenter clamabat cet.

[4]) Belae R. Not. cap. I. „solummodo unusquisque suam habebat uxorem.“

[5]) Scythas Abios ex instituto Platonis uxores liberosque communes habuisse. Vide sis apud Strabonem Geogr. p. 300.

[6]) Emptionis uxorum apud Hebraeos quoque usum I. l. Mosis XXIX. 18. I. Sam. XVIII. 25. indicant.

Vela mulierum hungarica anonymus apud Muratorium; [7]) hunnica pridem antea Priscus, tamquam speciale quiddam memorarunt. Sed haec Münsteri „omnia crudelitatis genera scriptores, praeter pollutam utriusque sexus pudicitiam, quam domi, militiaeque semper coluerunt, in eos commentantur" [8]) de Hungaris per laudatissimum auctorem hunc scripta sunt.

---

[7]) Antiquit. ital. aevi medii T. III. „in altero curru (reginae Elis. matris Lud. I.) deductae prosequebantur aliae mulieres nobiles hungaricis velis et corollis purioris auri in capite ornatae.

[8]) Sebast. Münsteri cosmus. univ. edit. a. 1550 l. IV. vide etiam Fessler Gesch. von Ungarn, I. Thl. 1. B. p. 330. Speculum item priscae Hungar. milit. discipl. in Belii ad Hist. Hung. adparatu.

De reliquo Hungarorum vitae habitu.

§ 46.

Testimonium Leonis sapientis.

Quibus Justinus Parthorum, iisdem, uti jam adnotavimus alibi, verbis Regino mores Hungarorum descripsit. Clarius, profecto, populum utrumque unius esse propaginem stirpis dicere nequiverat. Idem Leo sapiens praestat, qui dum de moribus Hungarorum dissereret, fieri nequibat, quin cum Ammiano Marcellino, Priscoque conveniret; sicque plane consentanea et de virtutibus et vitiis Hungarorum traderet, ut licet haec sua ipse experientia acceperit, sumsisse ab iis videatur. Senserit haec eruditissimus quoque Hallamius. Qui ante hos viginti et quod ultra est, annos, ipse item sic de Hungaris sec. X. scripsit, ut hos disserte Hunnos appellando, si non populares, vultu certe moribusque, Atilae simillimos asseveraret.

§ 47.

cum iis, quae Ammianus Marcellinus, Priscusque de Hunnis tradit, plene convenit.

Quod enim Leo in Hungaris admiratur, ita hos, dum inimicum in fugam vertunt, tota mente animoque in hoc persequendo defigi, ut nihil ardorem hunc, praedae, opumque cupiditas, proprium Romanorum vitium, moretur; id Ammianus Marcellinus jam in Hunnis laudavit. Hungaros inconstantis gentem animi, et ex multis conflatam tribubus dicit Leo, frequentiaque ad hostem transfugia nec paenarum impediri severitate posse. Quod nos de Hunnis ex Prisco jam antehac diximus. Hungari secundum Leonem non ipsi tantum armis tegebantur; sed equorum etiam, quibus nobiliores vehebantur, anteriores partes aut ferro aut denso centunculo muniebant. Nihil novi: ut in populis ejusdem generis ac stirpis. Quod cum nemo tam sine oculis sit, qui, in tanta luce hac, vocare in dubium possit; quae de Hungaris adhuc dicenda sunt, breviter percurram.

§ 48.

Occupatio, opes, vestitus;

Hungari, cum ruris quoque colendi periti essent; [1]) diu tamen praecipuas opes in copia armentorum pone-

[1]) Ruris peritiam veterum hungarorum vernacula instrumentorum ejus nomina testantur. Quod tamen quidam eunt adsertum, hac quoque laude Magyaros, indicio etiam nominis hujus, ceteris Scythis praestitisse, non dum ad hoc credendum inductus sum. Video enim paullo minus. Quid igitur? Semper apud eos venationi potius, quam agro colendo intentos tam exilem fuisse rei frumentariae numerum, ut carnibus et lacte, communi cum Hunis et Alanis apud Ammianum Marcellinum; Germanis apud Julium Caesarem more; non frumento, uti Romani et Slavini, vescerentur. Stat igitur, hac etiam parte, sua Belae IV. Notario ad cap. I. v. VII. fides.

bant, quae cum escae, tum lactis potus causa, simul vero, ut frequentiae amplitudinisque castrorum speciem praebeant, secum trahere consueverunt. Pecuniae nomen ipsum, post suum ex Asia egressum, a peregrinis mutuati, commoda, quae sobrius ejus usus praestaret, cum in antiquis sedibus commercia vice rerum exercuerint, non noverant; mox tamen eadem cum ceteris Europae gentibus per satietatem fame vexabantur, quae animum ad appetendas improbas etiam divitias impellit. Ferarum tecti antea pellibus, linoque, in ceteris victoriae muneribus miles hoc; Primores, etiam quae ad luxum opulentiamque cultus faciunt, et a Graecis quidem imperiales vestes, coronas, stolasque deposcebant. [2])

---

[2]) Conditiones pacis cum Ruthenis apud Not. B. R. cap. IX. „ut duces et primates filios suos in obsides darent, tributumque annuatim persolverent 10 millia marcarum et insuper victum, vestitum et alia necessaria;" cum Galliciensibus cap. XI.: tria millia marcarum argenti et ducentas marcas auri; et vestes nobilissimas tam Duci, quam omnibus etiam militibus suis condonavit. Adde epist. Epis. Bojoariae de a. 900 apud Hansitium T. I. p. 176. „donavimus illis (Ungaris) nullius pretiosae pecuniam substantiae, sed tantum nostra linea vestimenta." De imperialibus vestibus, coronis cet. vide sis Const. Porph. de adm. imp. cap. XIII. cet.

§ 49.

Convivia, ludi militares Hungarorum.

Ad epulas laetissima acroamata Hungaris quoque sales joculatorum, et maxime versus, in fortia Ducum militumque facinora conditi. Et haec lingua patria in convivio canendi consuetudo diu postea quoque, et Galeotto Martio teste, etiam ad regias Mathiae Corvini epulas obtinuit. [1]) Finitis conviviis, saltare coram Prin-

---

[1]) Galeot. de dictis et factis Mathiae R. cap. XVII. Idem morem hunc Romanorum (veterum) fuisse recte advertit; testem enim

cipibus, et luctari, quosdam etiam armis coucurrere, et quantum disciplinae bellicae nossent, ostendere consuevisse itidem jam non ex solo Notario illo, [2]) sed in novum fidei ejus argumentum, etiam ex Chronicis monasterii s. Galli de seculo X. novimus. [3]) Caenas Germanorum consuetudinemque consilia publica in his agitandi Tacitus laudat; hanc tamen post paullum desitam apud eos, neque illi inficias eunt, qui in hac aliquem gloriae reponunt quaestum. In libello Notarii Belae Regis non bella, non negotia alius generis plures, quam convivia paginas occupant; prorsus ut sit veri simillimum, quemadmodum Persas in vino, [4]) ita Hungaros in convivio de rebus maximis consultasse. Usus namque vini non ille quidem incognitus nostris, quod vel nomen hujus vernaculum indicat; sed, ut pro modica copia, parcissimus antea, sic post aditam Europam largior, neque tamen ultra fuit, quam ex quo verum hoc esse cognoscas: animos vino florentes, ad praeclara facinora etiam alacrius evibrari. Quod ad posteros: pleraque Comitiorum sec. XVI. diaria, scripta per nuncios Comitatuum Civitatumque, plus

---

habet Cic. Tuscul. Disput. l. IV. cap. II.; errat tamen imperitia rerum nostrarum, dum Romanorum morem hunc ab Italis defluxisse ad Hungaros existimat.

[2]) Cap. 46.

[3]) Apud Goldastum p. 32. „et effusa laetitia saltant coram Principibus et luctantur. Quidam etiam armis concurrentes, quantum disciplinae bellicae nossent, ostendunt.“ Morem hunc ad reliquam deinde Europam propagatum esse contendit Cornidesius, cui Eichhornii de initiis torneamentorum apud Germanos sententia nihil plane refragatur. Exempla vero, quae Badikus in neues Archiv für Gesch. anni 1833 adfert, Hunnorum (neque enim dubito his consuetudinem eam jam familiarem fuisse) per Europam dominatu posteriora sunt.

[4]) Strabo edit. Amstelod. de a. 1770 p. 1067. „Persae de rebus maximis in vino consultant, eaque Decreta ipsi firmiora censent, quam quae sobrii faciunt.“

ferme de flore coenarum, quam de historia rogatarum legum continent. [5])

[5]) En unum ex plurimis exemplum de anno 1578 sumtum ex Diario Nuncii urbis Eperjesiensis: ,,Postea ad splendidum convivium, quo a Reverendissimo Domino Locumtenente excepti sumus, accessimus, omnium nostrarum curarum et molestiarum obliti, juxta illud Anacreontis veteris poetae graeci: bibendo mihi vinum aerumna dormit omnis.“

§ 50.

Majus ferme iis quoque in peregrinas linguas, quam suam studium.

Ad addiscendas linguas peregrinas ingenio facili et juxta cum Hunnis promptissimo, dum huic minus caute indulgent, pari linguae vernaculae incuria, non plane nulla deinde pars eorum, Slavis finitimi qui erant, ad hos abiit. [1])

[1]) Tabularia consule Comitatuum hujusmodi, videbisque gentem, quae plurima egerit factis memorabilibus per Valerium Maximum laudatis conferenda, quaedam vero etiam anteferenda, studium, quod Romanis praecipuum fuit, ut latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior difunderetur, (ibid l. II. c. 2.) penitus neglexisse. Verba certe Velleii Paterculi II. 110. ,,In omnibus Pannoniis (vixdum subactis per Augustum) non disciplinae tantum modo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam literarum usus et familiaris animorum erat exercitatio“ scripta videntur, ut quae nostra usque ad superiores hos aliquot annos, in hoc providentiae genere inertia fuerit, solertiae illius comparatione clarius appareat. Si quid enim aliud, hoc certe Sismondius (Hist. des Fran. T. III. p. 451) verissime. ,,Les hommes de nos jours peuvent retrouver des Ancêtres parmi les Francs ou les Gaulois, qui habitèrent la même terre; mais ce n'est, que parmi ceux, qui parloient français, comme eux, qu'ils reconnoitront des Compatriots.“

Zoltanus, Dux II.

§ 51.

Qui suis primum auspiciis tantum;

Qua viri fide, consilioque fuerint, quorum opera adjutus Arpadus immortalem sibi Conditoris Hungariae gloriam confecit, ab ejus apparuit obitu sane quam manifestissime. Horum enim initiorum exitum, ex familiari populorum generis nostri vitio, inconstantia animi, discordiaque aestimantibus res prope certa videbatur: Hungariam recentem, nec compactam satis, Arpado, praecipuo illo unionis vinculo, sublato ad primum mox impetum collapsuram. Et Ludovico quidem Germaniae Regi fixa stetit sententia: nimis plus, quam satis tutum vicinis esset populis, crescentem rem hungaricam non alias opprimi commodius posse, quam dum veteri ei gentis malo, aliud etiam hoc accessisset, ut puerum aetate nondum pubere haberet Principem. Cupidissime itaque corripit arma; sed quorum non alter erat successus, quam ut gentem irritatam acrior repellendi, post inferendi etiam aliis belli cupiditas incesseret; Primates vero, qui dum Zoltanus adolesceret, vicem ejus in procuranda republica obibant, munere suo, praesentis periculi admonitu, multo etiam magis diligenter, industrieque fungerentur. [1])

---

[1]) Ad Primores hos spectare verba Const. Porph. videntur: „Ad Archontes Turcarum mittitur Bulla aurea bisolida cum hoc titulo: „Literae Constantini et Romani Christum amantium Imperatorum Romanorum ad Archontes Turcarum“ Const. Porphyr. de Cerim. aulae Byz. Lipsiae 1751. p. 399.

§ 52.

nam eo puero Primores rempublicam administrabant;

Communitate itaque ad communis consilium colloquii convocata, auctores huic fuerunt, eligendorum plurium Rectorum, qui interea, dum flos populi bello daret operam, domi sub Duce juri reddendo praeessent, curarentque, ut justitia et aequitate populus in officio contineatur. Itum deinde est ad deligendos Ductores exercitus, quod proprium semper erat Communitatis negotium, quoties universis ejus viribus esset opus. Causam justam neque fortuna destituit; hac enim comite, victis Bavaris; Saxonia deinde, Thuringia Alemanniaque devastata; Ludovicus ad Augustam Vindelicorum dira affectus clade ad redimendam praesente pecunia, pactoque tributo, pacem adactus. Neque eo minus, cum ab hoc solvendo cessatum esset, postea etiam, quam Conradus suffragiis Ordinum Germaniae Rex electus fuisset, hac discordiis intestinis distracta, annuae in Bavariam, Alemanniam, Thuringiam, Saxoniam, Alsatiam et Lotharingiam excursiones susceptae sunt.

---

[1]) Vocabuli Rectorum, quo Notarius B. R. utitur, sententiam per eum explicitam confirmat Priv. mon. de Zala ad a. 1091 in verbis ,,ne per praedictos Judices, Comites seu Rectores Comitatuum et collectarum exactores cet. Priv. item Steph. V. Abbat. S. Mart. de monte Pan. a. 1270 datum ,,nec per praedictos eorundem comitatuum Judices, comites seu Rectores et Collectarum exactores.'' Bela IV. Laurentium Judicem curiae Regiae, Aulae suae Judicem et Rectorem appellat.

§ 53.

post ubi adolevisset, manu etiam, Marteque suo

Verum has, bellaque per Zoltanum postea, quam adolevisset, sine cessatione gesta, quod domesticis pro-

inde ac exteris auctoribus perscripta sint, persequi supervacaneum, neque hujus instituti est. Marte gesta haec sunt prospero, aut, cum maxime, sic tantummodo adversante, ut populos, qui ex praelio superiores nonnunquam discesserant, vicisse magis, quam nostros succubuisse taederet. His itaque missis, eo magis attendi animum in hoc velim: Zoltanum, pro bellicoso ingenio suo, non finitima solum, quibus evastatis Hungariam tutiorem fore arbitrabatur; sed Italiam quoque Galliamque armis percurrisse, et licet per Henricum Ottonemque Imperatores, plus vice simplici, male mulctatum, cum spei contra fortunam quoque insisteret, Bavariam iterum iterumque, Alemanniam, Franconiam, Alsatiam, Lotharingiam, Galliam et Italiam depopulatum, spoliisque et aere, quo hic illicque inducias vendidit, locupletem, amplissimum undique captivorum omnis ordinis, aetatis sexusque in Hungariam numerum coegisse. In his artifices multi; plurimi cujuscunquemodi opificium callebant; omnes vero instar seminarii erant, ex quo deinceps eadem apud nos, qua Regum, Praelatorum, Comitum, Vice Comitum apud Francos villae frequentabantur, sucrevit classis incolarum regni, ministerialium Regis, Eclesiarumque, vulgo Udvarnokorum nomine in legibus, diplomatibusque cognita. [1])

[1]) Sim. de Kéza App. c. II. § 3.

§ 54.

Hungariam non modo conservavit, sed auxit etiam multifarie

Idem armis in Orientem conversis Imperatorem Graecorum ad exorandam pacem compulit, hacque, pacto tributo, concessa partem Valachiae ultra Alutam Hungariae adjecit; limitesque hujus ex parte Teutonicorum, usque ad pontem Gunczil (Gunczillech, etiam Conczillech Hormayro [1]) [adeo vera Notarius Belae Regis re-

fert [2])] ultra Anasum protulit, facta Ruthenis potestate, castrum, cui deinde Medelic nomen, prope fluvium illum construendi [3]). De finibus Carantaniae, Arpado Duce ad territorium Hungariae adjectis, diximus; Zoltano Duce Carantania inferior, Marchiaque proprie dicta, quae in chartis veteribus Marchia quoque Czillejensis et rursus Marburgensis, nec infrequenter Pettoviensis scribitur, tota, et haud scio, an latius, quam per Varchunos (Avares) antea dominata fuerit, subacta est. [4]) Sic ille artibus belli Patrem, studio in hospites, et hunc [5]) et atavum Atilam, utrique enim in advenis praesidium quoque auctoritatis suae quaerebatur, aequavit. Ex his Ismaelitas, ducibus Bila et Bolcsu de terra Bular (Kéza Belar alias Berata) venientes castro Pest; militem Heten indidem oriundum agris amplissimis donavit. [6])

---

[1]) Kleine histor. Schriften nota ad Leop. Ducem p. 12.

[2]) Cap. 57. Cf. Fejér VIII. 4. Praef.

[3]) Memoriam Ruthenorum etiam mons, qui in literis Ottonis II. de a. 979 Rusnik dicitur, servat apud Bardosium.

[4]) Gesch. der Steiermark von Dr. Albert v. Muchar, II. Band, pag. 10, 11 et 276. Confer etiam Dandulum chron. l. VIII. cap. X.

[5]) Eximiam hujus in hospites munificentiam Not. B. R. c. 43, 46, 57. cet. laudat.

[6]) Ibid. cap. 57 et apud Simon. de Kéza.

Toxus, Dux III.

§ 55.

moribus asper, accepta ad Augustam Vindelicorum clade,

Zoltanus excusatione valetudinis usus, non tam per aetatem, quam labores militares confectae, re ipsa, ut

ne hoc etiam providentiae genere Patre inferior esset, Communitatis convocavit consilium, impetravitque facile, ut sibi filius Toxus a. 947 subrogaretur. Hic, ut erat, moribus asper, bellorumque, etiam dum nulla probabilis suppeteret causa, appetentissimus, plura et adolescens et vir gessit audaciae, quam fortitudini propiora. Magnoque, ut fit, Ducis vitium hoc, et inflammata per eum apud multitudinem pecuniae sitis, genti universae stetit. In Italia factionibus inter Lotharium et Berengarium juniorem scissa, Germaniaque secunda usus fortuna, anno 953 bello, quod inter Ottonem Imp. et Luidolphum filium, generumque Conradum exarsit, per hos interpellatus, perlubenter semet implicuit; sed ex hoc solam fere saevitiae famam, alia vero in Bavariam a. 955 adducta expeditione, quod non jam ex virtute militum fortuna se dedit, ad Augustam Vindelicorum cladem retulit, non hanc quidem, quae nonnullorum opinio est, internecinam, sed desideratis nostrorum plurimis, admodum gravem, suplicio vero, quod hostis victor Leele, Bulsoque Ducibus captis irrogavit, etiam infamem.

§ 56.

animum ad mitiora adjecit.

Has rerum vices, non multo post, territorii Hungariae, qua ultra Anasum tendebatur, jactura secuta cum sit; Toxus, ne dum aliena labefactare pergeret, sua penitus subvertat, animum ad paccatiora adpulit. Bissenis igitur, Duce Thonuzoba qui advenerant, sede ad Tibiscum assignata, [1]) de justae deinceps defensionis

[1]) Bisseni hi discernendi sunt ab iis, quos teste Notario Belae Regis jam Zoltanus ultra lutum Moson collocavit, non jam novis villae quoque olim, nunc praedii Flancsendorf, vicinorumque ad Wolfsthal Austriae monticulorum (C. D. III. v. 2. p. 59) incolis, aut quibus terra Legingthou (Katona Hist. Crit. T. V. pag. 241) habitabatur.

rationibus, quam invadenda Germania, cujus praesidio jam Marchia quoque orientalis instaurata esset, meditari satius duxit. Sed saluberrimus experientiae, sapientiaeque ejus fructus erat, quod filium Geyzam, qua belli, qua pacis, at enim hujus vel maxime informari jussit artibus.

§ 57.

Prima propagandae ad Hungaros fidei Christianae initia.

Auctores certi scriptum reliquerunt: jam Bulsum, de quo nunc admodum diximus, Gyulamque Transylvaniae Ducem, consilio et opera Constantini Imperatoris Graecorum, Constantinopoli sacro perfusos latice, Patriciorumque adscriptos ordini fuisse. Doctrinam iis Theophilus, urbis illius Pontifex impertiit, redeuntibusque Hierotheum adjunxit, qui sede in Dacia collocata, et ipse et socii sacro munere suo praeclarissime functi sunt. His magistris, jam Sarolta filia Gyulae, quae postea in manus Geyzae Ducis convenit, Christi coluit fidem.

Geyza, Dux IV.

§ 58.

Gentem ab adsueta jam praedandi lubedine, ad pacis ducere studia nititur,

Geyza post fata Patris Dux electus, dum secum considerat, etiam quae legitime parta essent, perire inter tot infestas, damnisque suis expergitas nationes posse, sibi ipse negotium dat longe maximum, bellicisque Patrum laboribus multo difficilius: imperare genti nihil neque post acceptas clades, a priori ferocia remittenti pa-

cem, eamque ab adsueta jam praedandi lubedine ad meliores artes avertere. Uxor ei, ut diximus, Sarolta [1]) fuit, magni et illa animi mulier, Christianis ad haec innutrita sacris; tantumque pollens, ut regnum viri tenuisse manu diceretur. Et Geyza quidem suum hoc propositum mox ac praeesse coepit, vicinis principibus constare voluit, dataeque fidei hac animi constantia respondit, ut severus in suos, mansuetus liberalisque in alios pro Rege se ferre videretur, eoque per scriptores etiam patrios appellaretur nomine.

---

[1]) In vita s. Adalb. Ann. Ecl. Germ. T. IV. p. 547. „quae totum regnum viri manu tenuit, et quae erant viri, ipsa regebat, qua duce erat Christianitas caepta.“

§ 59.

reperitque hanc ad amplectenda sacra Christiana facilem.

Geyza, dum hoc pacis studium suum Ottoni Magno per legatos (anno 973) affirmaret, facturum se recepit, ut qui propagandae in Hungaria Christi fidei susciperent laborem, et hujus adeundae et navandae in causam hanc sanctissimam operae inimpeditam facultatem haberent. Quod quidem ille sua itidem sponte (Otto enim mox supremum obiit) ad eum modum praestiterat, ut Pilgrinum Lauriacensem Episcopum multis oraret precibus, veniret, ut ipse, aut alios ad opus hoc delegaret. Presbyteros hic ex monachis, Canonicisque, ac, de singulis eclesiasticis gradibus, Clericos misit, eo instructos mandato, ut quae Bonifacius (Vinfridus vulgo) sociique in Germania olim egissent, in Hungaria ipsi agere sui esse nossent munus officii. Quamquam vero hi, quia linguam populi, quem docere debebant, non noverunt, magis etiam temere, quam Angli apud Germanos hunc adgressi laborem sunt; dedit tamen vel sic se negotium

apud Hungaros adeo promptum, [1]) ut intra spatium non plane unius anni, ex nobilioribus Hungaris utriusque sexus admodum quinque millia nomen Christo darent. Quod dum Piligrinus ad Benedictum VI. refert, significat una: ita Barbaros animo esse comparatos, ut licet adhuc gentilitate sint quidam detenti; neminem tamen ex subditis suis sacro prohibeant lavacro, nec sacerdotes impediant, quin, quo velint, libere proficiscantur; strui jam et oratoria, eaque Christi personare laudibus, et paene cunctam hungaram nationem ad percipiendam fidem sanctam pronam esse. [2]) Laeta initia haec bellum pro Henrico Bavaro contra Ottonem II. susceptum intercepit. Hoc post biennium (977) composito, Piligrinus, quem interea Benedictus VI. Archiepiscopum, facta ei presbyteros et episcopos in Hungaria quoque constituendi potestate renunciarat, plures jam in hanc praecones misit, qui, ut per Pontificem eum jussi sunt, sua sancta praedicatione pararent domino plebem perfectam. [3]) Atque his jam Geyza etiam cum familiaribus suis sacro se fonte submisit abluendum, spoponditque solennibus verbis: labori se parsurum nulli, ut qui suae sunt ditionis, christianis omnes initiarentur ritibus.

[1]) Literas Pilgrini ad Bened. VI. P. a. 975 datas vide sis apud Hansiz. T. I. Germ. sacrae p. 211.

[2]) Nimio jam multo plus praetendunt, Katona Hist. prag. p. 119, Fessler l. I. p. 345, qui hungaros potius linguam latinam religionis causa familiarem sibi reddidisse autumant contra quam praecones exteros decuit, hungaricam.

[3]) Literas has Bened. VI. vide apud Katona l. c. p. 921. ad ann. 974.

§ 60.

Sed quorum progressum Benedicti VI. Pontificis edictum de captivis gratuito dimittendis intercepit.

Huic tamen curae dum naviter incumbit, animumque Hartvico teste, jam ad constituendos juxta aestima-

tionem suam episcopatus adjicit, offendit in obicem, quem omnium minime computabat. Ut enim in morali doctrina Christi nihil admodum erat,[1]) quod pars populi sanior in medio sui propagari multum recusaret, modus quidem lustrationis, quo delicta eluerentur, placuit etiam, aut certe non displicuit plurimis; ita dum intelligerent, Benedictum VI. rebus non tam gestis prospere, quam ultronea animi gentis inductione judicioque, ad vota ejus adfluentibus, non jam cupere solum, sed praecipere etiam: christiani captivi ut omnes gratuito dimitterentur,[2]) odium gentem universam et praeconum illorum et religionis, quae Pontificis praetendebatur mandato, cepit longe acerrimum. Itaque evenit, ut eorum etiam, qui sapere audebant, non pauci peregrinos curiones hos, alieni tantum arbitrii ministros; doctrinam vero Christi non ad suam, sed captivorum procurandam salutem arreptam suspicati, quam alacres se antea, tam contumaces dehinc in Geyzae studia exhiberent. His namque et piis maxime Saroltae conatibus, res omnis propagandae inter Hungaros religionis adhuc stetit. Quae postquam in scopulo hoc adhaesisset, praecones unde venerant, reversi sunt, addita sic suspicioni aliqua etiam veri specie, eaque Hungaris relicta laude: ita hos juribus institisse suis, ut ab omni in illos injuria abstinerent.

---

[1]) S. August. Retract. l. 1. c. XIII. 3. Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, erat et apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne. Unde vera religio, quae jam erat, caepit apellari Christiana.

[2]) Simon de Kéza App. c. II. de hoc Eclesiae Romanae mandato plura, quae Chronico ejus nondum vulgato et Stiltingum, et Timonem, magni Scriptores nominis latere potuerunt; nunc, dum ultra, quam fines Hungariae patent, non opus tantum, sed nobilitas quoque conditoris ejus, auctoritasque celebratur, nec ignorare, nec tacita transcurrere legibus Historiae integris licet.

§ 61.

Geyza ipse mediis propagandae fidei Christi, etiam dum a cura hac cessasse videtur, prudenter intendit.

Pars tamen Hungarorum, quae Melitium obtinebat, injussu Geyzae, imo eo obnitente, omnem late viciniam populabatur. Leopoldus itaque Babenbergicus per Ottonem II. Marchionis titulo Austriae praefectus, in eos movit, arceque illa expugnata Hungaros ad montem Cetium a. 984 rejecit. Movisset forte iterata jactura populum alium, ut Principi ad pacem et otium, quaeve, sine depopulatione et praeda, colendis agris comparantur, certissima commoda vocanti, dicto audientem se praestaret; Hungaros non item; qui ut commune cum Hunnis Varchunisque genus, hoc quoque indicio, cognoscas, dum arma superessent, nil quidquam eorum, quae his parta, etiamsi amissa viderentur, non recuperandum ardentibus consuetudine bellandi animis et tunc fortunae etiam, ut fit, obiratis jactitabant. Hi igitur cum flecti semet in praesens non paterentur, frangi vero nisi proviso ampliori virium robore, et exterorum in Hungariam invitandorum auxilio non possent, tergiversari res cogebat. Cessit itaque necessitati Geyza, neque tamen secius ad suum illum scopum, patriam bellico maxime partam labore, pacis jam artibus de integro condendi festinabat, ut sapientis fuit, lente, maximoque etiam tum in congregandis circum se illustrioris famae alienigenis [1]) studio, dum cura religionis apud eum inter christianos genti-

[1]) In his praecipuus Deodatus e Comitibus s. Severini ex Apulia, vir eximiae, ut ea erant tempora, in quaque doctrinae civilis parte, eruditionis, qui formandis d. Stephani moribus praefectus, hunc deinde cum s. Adalberto e fonte baptismi levavit; Geyzae filiique ejus in propaganda fide e primis adjutor; cum opera hac, tum quod Carolum M. delegerat, cujus potissimum similem olim Stephanum esse cuperet, de Hungaris eximie meritus.

lesque ritus ex industria mixtum, penitus refrixisse, vulgo Chronographorum videtur, qui naturales, verasque rerum causas, quidquid item seu per Pontificem, seu Praecones exteros nimia fiducia erratum est, dissimulando, horum quoque culpam Duci populoque, et, ipsi nesciunt, quorum idolorum cultui, fide non satis proba, imputant.

§ 62.

Eo etiam tum superstite, anno 993 filius ejus Stephanus Dux eligitur.

Haec Hungariae, ut in tanto peregrinorum confluxu, non jam asiaticae, nondumque europeae facies fuit, quum Geyza anno **993** „convocatis Primatibus ejus, cum ordine sequenti, per communis consilium colloquii, filium suum Stephanum post se regnaturum populo praefecit, et ad hoc roborandum a singulis sacramentum exegit.“ [1])

[1]) Verba sunt Hartvici biographi d. Stephani. De vi horum Gvizotum (Essais sur l'hist. de France pag. 145, 156) si placet, consulas; intellecturus tantam eam esse, ut ad Regiam potestatem nihil nisi nomen desideretur.

Stephanus, Dux V.

§ 63.

Provisis mediis, consilium Patris effectum dare adgreditur;

Stephanum altero, postquam electus est, anno, patre etiamtum vivente, per divum Adalbertum sacro ablutum fonte, ut ea, quae Pater contrariis suorum studiis interpellatus, peragere nequibat, ocius effecta daret, et doctrina per Deodatum Comitem, eundemque Paedago-

gum suum tenero adhuc penitus insita, et solennis impellebat sponsio, cujus conditione Gysela Henrici Ducis Bavariae, postea Caesaris, et Brunonis Episcopi Augustani soror, per Patrem, Ottonis Imperatoris cognata, se ei conjugem dedit. Mox igitur, atque clavum reipublicae a patris capesseret obitu, (a. 998) qua literis, qua legatis circa vicinas gentes dimissis egit, effecitque, ut multi praesbiteri, et clerici, Abbatesque et monachi (verba Hartvici sunt) nil proprium habere cupientes in Hungariam undique commigrarent.

§ 64.

Convocatoque Optimatum Concilio, legem de redimendis Captivis Christianis condit;

Inter haec celebrato fidelium Concilio, cum non ipse, conjuxque minus, quam Pontifex Romanus captivos Christianos servitutis eximi jugo cuperent, de mediis ad finem hunc deliberavit. Summa consiliorum, ut Kéza, longeque clarissime res ipsa loquitur, huc rediit: Caput quidem esse libertatis Hungarorum, plenam ut quisque rerum suarum habeat potestatem, atque in harum numero bello captos quoque censeri; de his nihilo secius reddendis, et Patrum memoria saepius constitutum publice, [1]) et vero quod, novissime apud Ultrasylvanos editum esset humanitatis, liberalitatisque exemplum, ut Gyulam Ducem captivos christianos coemere et libertate donare aequo animo paterentur, [2]) ita esse comparatum ut, ipsis, nisi ad hoc laudis genus tardiores existimari malint, haud mediocriter curandum sit, lex ut hanc

---

[1]) Vide locum Prisci supra l. I. § 13. ad (1) subnexum.

[2]) Ioan. Scylitzes Curop. apud. Koll. hist. jur. patron. p. 8: Ac Gylas (turcicus Princeps) quidem in fide permansit et neque ipse in Romanos impressiones fecit, et captivos christianos emens curavit, libertatemque eis tradidit. Confer etiam Cornid. Geneal. R. H. sec. XI. p. 308.

in rem condatur; ex qua appareat, non se illos aemulari, sed longe post se relinquere voluisse; placere itaque: non eandem tantum Stephano adseri facultatem; sed ipsis item captivis, qui defixum publico Consilio litrum Dominis suis repraesentare valerent, ab his semet redimendi licentiam dari. [3])

---

[3]) Si captivus ipse redimere se voluit, 100 byzantiis se et domum; sin vero sine conjuge et familia fuit, 24 byzantiis se redemit. Sim. de Kéza Podh. App. cap. II. § 3, 5, 6.

§ 65.

publicat; rebelles praelio vincit.

His ita constitutis, Edicto Stephanus imperat: omnes ut Christo nomen dent; a spoliis abstineant; captivos Christianos litro, quod maturo Meliorum, Majorumque defixisset consilio, redimi permittant. Causam hac temperatam lege, nullus equidem dubito, faciliorem ad animos aditum habuisse. Principes tamen complures, et pars magna populi hanc de bonis suis deminutionem, simulque religionem, cujus haec tandem posceretur merces, rebus ut cedere suis, communemque in medium consulendi libertatem, cum servili imperatae per paucos legi obsequendi necessitate commutare cogerentur, detestati omnique injuriarum genere Duci insultantes, ejus se subducere auctoritati moliebantur. Res ad bellum intestinum, denique ad praelium deducta, quod inter male contentos, Duce Kopano Comite Simeghiensi; Copiasque Stephani, magnam partem exteros stipendiarios milites, quibus Vencelinum Comitem de Vasserburg Bavarum praefecit, ea utrinque militari virtute gestum est, ut viderentur et hi et illi obstinavisse animis aut vincere, aut emori. Victor, propitio sane ad majora rerum hungaricarum initia belli arbitrio, Stephanus fuit.

§ 66.

Votum, quod ante praelium nuncupavit, hoc patrato mox exolvit.

Hic, quod exemplo Caroli M., quem jam adolescens tota mente, atque omni animo intuebatur, ante praelium vovit,[1] hoc sic perpetrato feliciter, exolvere nihil cunctatus, decimam partem fructuum[2] provinciae Simeghiensis, monasterio d. Martini in monte Pannoniae, cujus fundamenta pater jecerat, in perpetua tempora addixit, primumque dedit argumentum propositi, quod deinceps, more itidem Caroli M., tota vita religiosissime tenuit, ut quoties majus quoddam severitatis ederet specimen, ad id, quod huic ex iniquo nefors inesset, quodammodo expiandum, omne rebellium peculium eclesiis, monasteriisque struendis devoveret. Quod ejus exemplum alii porro Reges sequuti sunt. Et eas quidem, quae hac victoria in suam redactae sunt potestatem, facultates opesque omnes in dotem monasteriorum alumnis s. Benedicti excitatorum et quas condidit, Episcopalium sedium convertit.

[1]) Confer literas instituti per Carol. M. episcopatus Bremensis, et quae illae de decumis Saxonum habent apud Pütterum ac alios, cum Lit. d. Steph. monasterio in monte Pann. datis. Cod. dip. T. I. pag. 280. Proles quoque decimatas fuisse cognoscas, non solum ex Chron. Bud. sed et C. D. XII. v. 1. pag. 345.

[2]) Hartvicus in vita ejus cap. V. Thur. II. c. 30, 31.

§ 67.

Munus Apostoli ipse egit diligentissime.

Etsi multi semet in partem laboris propagandae apud Hungaros fidei Christi obtulerunt; propria tamen Ducis opera rigorque hac in re quam maxime eluxit.[1])

[1]) Sacerdotes exteri maxime in administrandis Sacramentis, neque his omnibus, sed quae conferri sine commercio sermonis

Quo factum, ut non multo post maxima Hungarorum pars Christiani aut essent, aut, quod est probabilius, haberentur. Nihil itaque jam impediebat, Dioeceses et Episcopatus designari. Quos ille denos, constituit: Colocensem, Vesprimiensem, Bacsiensem, Jaurinensem, Quinque-Eclesiensem, Vaciensem, Agriensem, Csanadiensem, Magno-Varadiensem et Albensem in Transylvania; hisque omnibus Strigoniensem ut Metropolim [2]) et Magistram praeesse voluit. Sunt, qui Vaciensem et Varadiensem ei auctori adscribere dubitent; alii, qui Nitriensem ad eum referant; sed illorum rationes Desericii, Prayique; horum opinationem Katonai argumenta praegravant.

---

possunt, operam posuere. De doctrina religionis verissimum hoc est, quod Verb. I. tit. 11. § 2. tradit: Hungaros non per praedicationem apostolicam, sed per institutionem proprii Regis eorum conversos esse ad catholicam fidem.

[2]) Strigonium eo tempore Metropolim Hungariae fuisse patet ex Arnoldi Chron. Slav. l. 3. cap. 29. ,,in civitatem, quae Gran dicitur, quae Ungarorum est Metropolis; Auctor synchronus vitae Conradi I. Aep. Salisb. apud B. Peczium cap. 14. habet: usque Strigonium, quae metropolis regni est illius. Ex Roger. miser. carm. cap. 38. ,,cum Strigonium in Hungaria omnes et singulas praecellat civitates. Vide et Colomanni l. 1. cap. 79. Hoc pro Prayo ad litem, quam ei Sallagius fecit.

§ 68.

Idem communi fidelium consilio Rex salutatus.

A tempore conditi sanctissimi pacti Civitatis hungaricae non alia, neque numero Optimatum frequentiora, neque momento rei deliberandae graviora, neque proventu majora habita sunt Comitia, quam quae anno millesimo concita sunt. Argumentum horum praecipuum: ut auctoritas Ducis ad Regii elevetur Majestatem Prin-

cipatus. [1]) Adfuerunt cum Hungaris, exteri quoque, jam indigenae, quorum pars magna illis medio tempore etiam innupserunt. Utrique explicata sententia, ad eundem exitum veniunt. Hi Regem Stephanum apellandum contendunt: quia illorum, qui praeessent, dignitas, decusque, ad hos item, qui parent, aliqua ex parte redit;

„Et lucente domus multo est augustior igne."

Idem personae urgebant religione sacrae, populi Israelitici exemplo, Codicumque sacrorum auctoritate et consonae de Regio honore doctrinae Aristotelis praestantia. Hungaris proprius nobilis animi sensus pluris, quam haec omnia; Stephanum igitur, quod regere populum moribus patriis, [2]) horumque constantem, sed praecipuam semper consiliorum se habiturum rationem palam pro candore suo testatus est, quae ad addendam Civitati hungaricae firmitatem plurimum collatura essent, Regem conclamant, elevantque ritu avito, ne sibi, ne Stephano invidere gloriam videantur, qua communi Europae judicio Reges antecellerent Ducibus. Mitti itaque Astricum designatum Episcopum Colocensem Romam placuit, qui destinata per Stephanum sacerdotia majora per Pontificem rata haberi; Principi, quem Regem elegissent, Regium impertiri insigne peteret; denique Hungaria populi inope, captivos ad lares suos libere dimitti nequire; potestatem tamen eosdem constituto litro redimendi Regi liberam esse ad Pontificem referret.

---

[1]) Vellem Historiographi qui nonnunquam in unico proelio plurimum verborum consummunt in describendis hujusmodi consiliis, monitum exemplumque sequerentur Dionysii Halicarn. Antiqu. Rom. l. VII. c. 66.

[2]) Etiam in monitis ad filium, cap. VIII. Imitatio Majorum in regali dignitate octavum possidet locum. Quis graecus regeret latinos graecis moribus? aut quis latinus graecos latinis regeret moribus? Nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis praecipuus, et inter alienos laudabilis.

§ 69.

Coronam crucemque ceu Apostolatus insigne a Sylvestro II. P. M. accipit.

Sylvester II. de virtutibus Stephani, toleratisque pro fide et Hierarchia laboribus, qua ex legato, qua vero ex Ottone III. Imperatore, qui id temporis Romae agebat, intellectis, Coronam, quam paulo ante rogatus Duci Polonorum destinabat, Stephano misit, [1]) crucemque ante Regem ceu Apostolatus insigne gestandum adjunxit, diserte etiam facta in literis, quas ad eum dedit [2]) potestate, ut quemadmodum ipse et successores quam maxime e re futurum ducerent, Eclesias Dei sua et Successorum suorum vice disponerent, et ordinarent. Quae licet ita tunc acta esse tam Biographus d. Protoregis, quam ejus, Belae item IV. Diplomata, et denique Simon de Kéza ad memoriam prodiderint; sunt tamen, qui literas eas mala procusas fide; alii cum Kollario, Prayoque cetera sinceras, qua nihilominus „electionis Regis" regnique b.

---

[1]) Assentiuntur haec Scriptores etiam Poloni: Dlugossus, Michael de Michovia, Cromerus cet.

[2]) Literas has vide integras apud Kollár Hist. Patron. Reg. H. p. 46, 47. Fides harum ea parte, qua sequentia continent: largitatem liberalitatis, qua b. Petro regnum ad gentem cunctaque tua ac te in perpetuum obtulisti, digno praeconio commendamus." — Item „regnum quoque a munificentia tua S. Petro oblatum, teque una ac gentem sub protectionem S. Romanae Eclesiae acceptantes, Prudentiae tuae, haeredibus ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum reddimus; qui posteaquam per optimates legitime electi fuerint, teneantur nobis et successoribus nostris debitam obedientiam et reverentiam exhibere; et demum „insuper privilegio Excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu haeredes ac successores tuos legitimos condecorare cupientes, secundum quod divina gratia te et illos docuerit, Eclesias regni tui praesentes et futuras, nostra et successorum nostrorum vice disponere ac ordinare Apostolica auctoritate similiter concessimus" per Scriptores varie accepta est.

Petro oblati et hujus nomine Stephano redditi meminerunt, interpolatas; [3]) contra nonnulli cum Ignatio Comite de Batthiany celeberrimo Praesule Transylvanorum, loco, quem Kollár in testimonium juris Patronatus Regum Hungariae citare amat, suspectas obtendunt; quia scilicet certas jam et destinatas pro se quisque ad judicium suum adtulerunt sententias. [4]) Ecquidem in omni hac de literis illis quaestione probo candorem Desericzii [5]) 'et totus ex Katonaio sentio; [6]) praesertim, quod similem de eclesiis disponendi facultatem Carolo M. Hadrianus, Leo VIII. a. 964. Ottoni M. dederit,[7]) rectius: restituerit; nihil itaque nec ratione denominationis Episcoporum, nec juris liberae electionis Regum literae hae, quarum jam Gregorius PP. VII. meminit, ab usu aevi illius alienum continerent; causa vero satis plausibilis reddi nequeat, ob quam literas has, uti obtenditur, seculo XVI. confieri Pontificum Romanorum interfuisset magnopere.

---

[3]) Quod Prayus ad verba literarum harum ,,habendum, tenendum, regendum, gubernandum et possidendum" advertit: stylum haec diplomaticum sec. XIII. apud Hungaros redolere, leve admodum viroque tam erudito minus dignum; sed de hoc lectores, quibus Grimmius, et citatae per eum similes germanicae, latinaeque tautologiae formulae, aetate literarum Sylvestri multo antiquiores notae sunt, prolixius monere, mera, puto, mora esset.

[4]) Prayus speciatim juri successionis haereditariae, jus primogeniturae adnexum fuisse contendit in Notit. praev. ad Hist. Regum Hung. Contra Comes Ign. de Batthiany LL. EE. T. III. p. 12. pro libera Regum electione stat; sed T. I. p. 138. jus patronatus Regum Hung. a Concilio Constantiensi arcessendum ratus, literas has, parte, qua de jure legationis Apostolicae agunt, suspectas asserit, a Prayo hactenus egregie defensas.

[5]) De Majoribus Hung. L. V. P. IV. cap. 6, 7. ubi de subjectione aut potius devotione spirituali, et majore, quam literis his contineatur, per nonnullos PP. usurpato in Hungariam arbitrio plura.

[6]) Hist. pragm. Hung. P. 1. p. 169—181.

[7]) Walther Lehrbuch des Kirchenrechts. Bonn 1836. p. 434.

LIBER TERTIUS.

DE CONSTITUTA

AUSPICIIS DIVI STEPHANI

MONARCHIA HUNGARICA.

Cum ingressus fueris terram illam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitavarisque in illa, et dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; constitues eum, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.

Deuter. XV. 11.

I. REX S. STEPHANUS

ab anno 1000—1038.

De coronatione Regia.

1) Vetustissima actus hujus religio.

§ 1.

Solemnia coronationis

Ex formula per Sylvestrum II. transmissa, Stephanus eodem, quo Carolus calvus apud Francos, Otto M. apud Germanos, Vilhelmus conquestor apud Anglos, eclesiae ritu [1]) a. **1000** die assumtae in coelos Virginis Strigonii Rex coronatus est. Actus hujus vim, si ex verbis conceptis, et ritus, quo peragebatur, cerimonia-

[1]) Confer de his: Hume History of England vol. 1. chap. IV. § 2. post. Ordar. Vital. p. 103. Malmesbury p. 271. Collect. des Mém. relat. à l'hist. de France VII. p. 89, 92. Carol. Lud. Haller, Restauration der Staatswissenschaften V. cap. 91. p. 283 et seqq. Chausel sur le sacre des Rois. Vittichind Annal. l. 2. Möser Deutsches Staatsrecht. Pütter Inst. jur. publ. Germ. Monum. Germ. hist. Perczii T. IV. pag. 384 seqq. 503 seqq. Ritum benedicendi et coronandi Reges Hungariae, qui obtinuit, dum Albertus V. Dux Austriae in Regem Hung. coronaretur vide sis in Cod. Dipl. Hist. epist. diligentissimi Peczii T. III. p. 228 et seqq.

rumque in consecrandis Episcopis similitudine aestimes, tantundem coronari fuit, quantum regali auctorari sacerdotio. Pro eo nempe, ut qui Rex, idem et Sacerdos esset, apud Hebraeos quidem Melhisedechii; apud Romanos Numae, et aliorum Regum; [2]) post eversam vero rempublicam, traditi Octaviano Caesari Pontificatus etiam maximi exemplum stabat. [3]) Quam igitur Samuel in Salomone oleo uncto exercuit, Reges Pontificum ordini auctorandi consuetudinem, Hierarchia Romana non minori suae, quam Regum auctoritatis praesidio, jam sexto post Christum seculo instauravit. Post paulo alterum item Romae veteris morem: sceptra et diademata Regibus ad confirmandam horum potestatem dono mittendi, in usum revocando, ut ritus hic tanto esset augustior, coronam, qua caput uncti redimiretur, adjecit, et omnis hujus muneris fungendi provinciam ita sibi, suisque ministris servavit, ut ex monitis [4]) ac precibus, quae in medio rei

---

[2]) Niebuhr o. c. P. 1. p. 358, 361.

[3]) De Romanorum more hoc plura Zosimus Hist. l. IV. quae ita continuat ,,Primus quidem Numa Pomp. hunc honorem adeptus est, omnesque deinceps qui Reges appellati sunt, ac post illos Octavianus ipse, quique post eum Romano in imperio successerunt. Simul enim atque summum imperium quisque accipiebat, amictus ei sacerdotalis a Pontificibus offerebatur et continuo Pontificis M. titulum usurpabat. At ceteri quidem Principes universi lubentissimis animis hunc honorem accepisse, et hoc usi titulo videntur, adeoque Constantinus etiam potitus imperio, itemque post illum reliqui ordine secuti, et Valentinianus atque Valens. Quum ergo Pontifices, ex more, Gratiano talem amictum (stolam) attulissent, aversatus est, id, quod petebant, ratus: non esse fas illiusmodi habitu Christianum uti'' cet.

[4]) Monita hujusmodi apud nos in usu fuerant usque inaugurat. d. M. Theresiae juxta illud Num. cap. XXVII. 18. ,,Summe tecum Josue filium Nunis, virum in quo est spiritus meus, et imponas manum tuam illi, sistensque illum coram Eleazare sacerdote, et coram toto coetu, mandatis instruas illum ante oculos eorum, et impertiaris ei de gloria tua, et auscultet ei totus coetus filiorum Israelis.

actu recitantur, facile cognoscas: praecipuum instituti scopum ad sacram civilemque potestatem arctissime conjungendam, et quam Regibus, Sacerdotibusque sacri codices attribuunt, auctoritatem, mutuo vinculo, innectendam collimasse. [5])

Summam monitorum horum habes apud Peczium l. c. Ad quae ibidem Juramentum Pacis sequitur, hocque nuncupato oratio Benedictionis, in qua animum ad verba „et super hunc famulum tuum Albertum, quem suplici devotione Magistrum Christianitatis in tuo munere veneramur, et in Regem eligimus" cet. attendi velim.

[5]) Idem Romanis studium: Nunc Deum munere summum Pontificem etiam summum hominem esse Tacit. Ann. III. 58. Item Hist. V. 8. Honor sacerdotii firmamentum potentiae adsummebatur. Vide etiam Niebuhr l. c. p. 362.

§ 2.

diu eadem apud Hungaros, quae Francos Anglosque;

Solemnia coronationis, seculo XI. et XII. certe nemo, nisi pessumdare et tempus et operam velit, alias apud Hungaros, quam gentes dictas paullo ante quaesiverit. Quapropter? quoniam ut commodum monui, principio mere sacra fuerant, et per omnem Eclesiam Romanam ad eundem peragebantur modum. Non itaque conventibus populi forensibus, Reges corona caput incincti praefuerant; Paschatis hoc, et Pentecostes et Nativitatis Domini festum fuit, quo sacris regio hoc ornatu intererant, non in Hungaria tantum, sed et in Anglia, Gallia et nescio, ubi non? Illud ipsum, quod Honorius P. M. ad Andream II. scribit „jurasse hunc in coronatione sua jura regni sui et honorem coronae se illibate conservaturum," cave, putes ad solum Regem Hungariae referri; iisdem verbis Clemens P. M. anno 1305 ad Eduardum Regem Angliae scripsit. Sed ad primordia revertamur. In Hungaria potestas coronandorum Regum nunquam non penes Archi-

episcopum Strigoniensem fuit. [1]) Is Archiepiscopus ad Aram sacris operaturus [2]) se ad populum vertit, et diadema regale manu tenendo, facta ad hunc et ter iterata, idiomate patrio, interrogatione: an eum, qui coronandus adstaret, Regem juberent? postquam acclamatum, coronandusque posita ad Evangelii librum manu utraque, Juramentum de justitia et pace Eclesiae observanda nuncupasset, eundem oleo Catechumenorum unxit. Missam deinde orsus, post epistolam lectam, coronandum gladio praecinxit; ac tandem assistentibus sibi duobus Episcopis capiti illius Coronam [3]) inter verba imposuit: Accipe coronam, quam sanctitatis gloriam et honorem et opus fortitudinis intelligas signare, et per hanc te principem ministerii nostri non ignores, ita, ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversarios eclesiae Christi defensor [4]) assistas, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostrae benedictionis, vice Apostolorum, omniumque sanctorum sufragio, tuo regimini commissi utilis execu-

---

[1]) Seculo XII. controversiam ei Colocensis fecit, quam deinde Innocentius III. secundum Strigoniensem decidit „considerando etiam, quod, si potestas coronandi Reges Hungariae, penes diversas Eclesias resideret, toti regno grave periculum, et grande posset dispendium generare, cum frequenter inter Regum Hungariae cohaeredes, super obtinenda regni corona, scandalum sit exortum."

[2]) Tubero tradit: ex vetustissimo instituto Abbatem s. Martini pro Diacono, Albensem Praepositum pro Hypodiacono huic adstitisse.

[3]) De qua nobis sermo fuit; praeter hanc enim in Gazophil. Regum Coronas et sceptra plura, ab antiquissimis temporibus conservata fuisse ex Australis Historiae parte pleniori ad a. 1275. (Ladislai IV. Regis tempora) apud Freher. script. rer. germ. T. 1. p. 471 videas.

[4]) Defensorem Christianitatis se d. Steph. apellat. l. II. c. 12. idem notat Ferd. I. Decr. 19. art. 41.

tor, regnatorque proficuus semper adpareas. Similia his sunt, quae sceptro pomoque traditis Regem ita monuit: Sta et retine a modo locum regium, quem et maxime per auctoritatem Dei omnipotentis et traditionem nostram praesentem et omnium Episcoporum, ceterorumque servorum Dei accepisti, et quanto Clerum sacris Altaribus propinquiorem respicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris. [5])

---

[5]) Cum antiquis formulis his, quas totidem verbis Ritus quoque Peczii retinet, contende recentiores, quas apud Schwandtnerum Schmeizel dedit. Formulam juramenti pacis Alberti Regis Peczius l. c. Mathiae II. Regis Doctor Jessenius recitat in libello, cui titulus: Inauguratio, Coronatio, electioque aliquot Imperatorum Hannov. typis Vechelianis 1613. Aetate nostra de inaugurali Regum stirpis virilis Arp. juramento Joa. Czechius, eruditus vir inprimis, in Annal. soc. erud. Hung. T. III. a p. 199—238 disseruit.

§ 3.

nam deinceps non una parte aucta

In solemniis itaque coronationis (de hac enim non electione Regis disserimus) diu nullae, neque primi regni Magistratus partes fuerant. Coronam et Clenodia cetera, in Albensi conservata eclesia, die peragendi ritus, majores eclesiae hujus sacerdotes, ad aram majorem adferebant. Sacris regalibus ad coronationem consecratis, unus de sacerdotum collegio hoc, Regem coronandum induit. [1]) Reliquam et rogandi populi, et peragendae s. un-

---

[1]) Ita de his Ladislaus IV. in lit. de anno 1277. (Cod. Dipl. v. 2. p. 55.) Cum in loco nostro Cathedrali Albae videlicet, solenniter fuissemus coronati, M. Benedictus Albensis eclesiae nostrae Canonicus in ipsa solemnitate coronationis coram Baronibus regni nostri, qui tunc praesentes aderant, declaravit postulando, quod nos, ex institutiones. Progenitorum nostrorum ac consuetudine approbata, qui ipso die coronationis nostrae nos b. Pro-

ctionis et coronae vertici Regis imponendae, provinciam Archiepiscopus Strigoniensis, usu longissimo in Coronatione quoque Caroli parvi [2]) et Vladislai I. [3]) et Ladislai posthumi [4]) functus est solus. Postea caepit, abivitque in consuetudinem, ut simul ac coronandus gladium in vaginam reponeret, Palatinus regni ad summum arae gradum, qua cornu evangelii spectat, ascenderet, acceptaque de manu Archiepiscopi corona, ad Ordines regni obversus, hos sanctissimo carmine: Magyarok akarjátok-e (nomen; exempli causa 16. Januarii 1647:) Az fölséges 4-dik Ferdinand Cheh Országi királyt és Austriai herczeget ez szent Koronával megkoronázni? ter affaretur, terque reddito laetis acclamationibus: „akarjuk" responso, coronam Archiepiscopo traderet, ut, quod hujus jam esset negotium, perageretur. [5]) Consuetudini huic post conditum art. 2. 1687 jusque primogeniturae Augustae regnanti Domui in perpetua auspicatissime

genitorum nostrorum sacris regalibus ad coronationem consecratis induit indumentis, illum alicujus possessionis collatione providere deberemus; nos igitur, quos officium suscepti regiminis edocet: parere consuetudini Progenitorum nostrorum cet., terram populorum Thavernicorum nostrorum de Chuz eidem contulimus etc.

[2]) Thur. IV. cap. VII.

[3]) Dlugossus, qui coronationis ejus solemniis interfuit, et quae praesens vidit, accuratissime descripsit l. XII. ad annum 1440, in omnem historiae ritus hujus partem utilissimus.

[4]) Commentar. cui tit. „Aus den Denkwürdigkeiten der Hel. Kottannerin" paris pretii ad num. 84, 85.

[5]) De munere honorario, quod huic impertiendum fuit, haec in lit. de a. 1325 Car. R. „Et quia bona consuetudo et aprobata, juri consona, rationique consentanea habet, ut Rex tempore suae coronationis et inthronizationis, in recompensationem divini ministerii Eclesiae Strigoniensi, a cujus antistite diadema suae coronationis, et munus suae inunctionis assummit, manum Regiae munificentiae illico aperiat, et oblationem donationum manu Regia largiatur. Nos itaque considerantes, quod dum juris observantia custoditur, Deus laudetur" cet.

stabilitum tempora, successit alia, per quam orta jam olim inter Thomam de Nádasd regni Palatinum et Archiepiscopum Strigoniensem quaestio [6]) an Archiepiscopus vel Palatinus regem coronare debeat? ad eum definita modum est, qui hodie quoque obtinet, ut Corona Capiti Regis per utrumque imponatur. [7])

---

[6]) Apud Schwandtn. in comment. Petri de Réva de s. Corona T. II. p. 476 adumbrata.

[7]) De praerogativa Civium urbis Budensis, per tempus coronationis, ad portam exteriorem Basilicae Alb. excubias agendi, vide sis Juris ejus art. 6 et 166, et Dlugoss. l. c.

§ 4.

apud Hungaros sunt.

Ad vetustissimos propriosque Hungarorum Regiae coronationis pertinuit ritus, ut Rex statim a coronatione causas aliquot, populo coram, decideret. Sane quam singularis, dignaque posteris Abiorum et testimonio Thucididis [1]) consuetudo; ut enim illi justi, ita haec (Dlugossum audi) „ea causa observari tradebatur, ut Rex quilibet omnia opera sua intelligat debere a justitia ordiri et fundari, et nullum officium esse aeque Regi proprium, quam justitiam colere et administrare et ejus auctoritate inferiores a superioribus et quibuslibet injuriis ac gravaminibus defensare.“ Actum hoc in eadem aut vicina Eclesia. Et Albae Regiae quidem sacris peractis Rex corona redimitus, ex Basilica b. Virginis, ad proximas b. Petri per omnes comitatus ordines concessit, et in tribunal se recepit, ibique apparatu hoc; nam postea, citra hunc, pro numero causarum dies aliquot, in urbe ea, continuanter administrando juri vacavit. [2]) Antiquissimo huic,

---

[1]) Supra l. 1. p. 27 citato.

[2]) Bela IV. dum filius suus Stephanus coronaretur, se pro tribunali sedisse coaevis literis testatur.

proprioque Regum apud Hungaros Justitiae symbolo, [3]) copulatum deinde aliud est non minus sublime honoris, auctore Carolo Roberto, qui primus ex illo in Eclesia tribunali equites, ut dici amat, auratos creasse fertur. Quod etiamnum usu venit; nam prisca Juris per Regem vixdum coronatum dicundi consuetudo non ultra aetatem Vladislai II. observabatur. [4]) Sed haec hactenus, eaque solum causa, ut constet ritum quoque coronationis Regum suas habuisse vices, in quibus describendis nondum omnes historiae numeri absoluti sunt. Et de juramento inaugurali quidem, quod quaeritur, quibus id verbis primi Hungariae Reges dixerint? horum juramentum de pace tantum et justitia fuisse mihi persuasum: sed quando nam ad veterem generalemque hujus formulam, more apud alias quoque gentes non insolito, speciales providentia Majorum additae cautiones? quibus hae et quod Dlugossus jam juramentum apellat „solitum de fideli administratione regni“ conceptum verbis? pars denique augustissima ritus, ut formula sacramenti prolixior, non in Eclesia, verum sub dio, locoque edito, et coram populo universo per Regem jam coronatum diceretur,

---

[3]) Satisfieri patriae consuetudini huic olim, sin aliter, per quamdam saltim simulacri speciem debuit. De Ladislao itaque posthumo ita c. o. num. 89 „do trueg man jn in sand Peterskirchen, do must ich jn wider aufheben aus der wiegen, und müst jn tragen zu einem stuel, und müst jn da nider setzen, als da Gewonhait ist, daz jeder kung der da gekronet wirt da sol nyder siczen“ cet.

[4]) Bonfin. de coron. Vlad. II. „sacris rite peractis cum universa Rex multitudine ad b. Petri basilicam contendit, ibique in parato solio resedit, dum aliquantisper jus dicit.“ De coron. Ferd. I. hanc in rem Ursinus Velius nihil. Solemnia coron. Maximiliani (vide in App. Belii) haec continent: „In eclesia monast. (PP. sodal s. Franc. Poson) exstructus fuit altus et latus thronus, aureo panno stratus, in hoc Rex consedit, per hoc de more ab antiquo observato demonstrare volens, se paratum omnibus, omni tempore, judicium et justitiam administrare.“

an jam ante aetatem Uladislai II. caeperit? ipse mecum delibero.

2) De vi et auctoritate coronationis Regum Hungariae.

§ 5.

Initio ad Regii auctoritatem Principatus in electione plus, quam coronatione positum;

De Petro Veneto, Samuele Aba, nemo fuit nostrorum, qui vel id, an? et ubi? coronati sint, adscribere curaret. De Geysa I. et d. Ladislao certum est: illum uno, hunc triennio post, quam Reges electi essent, coronam sumsisse. Quod idem ferme de Bela III. tenet. Diu itaque firma apud Hungaros tenuit opinio: deferri imperium per electionem, exercerique jura Majestatica etiam sine solemni coronatione posse. Ex quo satis, opinor, intelligitur: vulgaria quoque de corona sacra, angelica, epitheta, axioma item: neminem nisi, qui hac rediniretur, pro legitimo Rege haberi posse, non repente enata; sed sensim, salutarique consilio: perniciosa ambitus regiae dignitatis molimina refroenandi, in principium juris publici hungarici adolevisse; Cardinalem itaque Gentilem, qui de hoc Majoribus nostris exprobravit, multo majore venia reprehendi potuisse, quod in cautione hac politica, solam superstitionem spectando, sapientiae seculorum, homo peregrinus, arbitrium suum anteposuerat. [1])

---

[1]) Actum itaque agit etiam Dlugossus l. II. ad annum 997 ita scribens ,,quam (Coronam) in hanc diem parum justa appellatione sanctam vocant; cum nullum metallum possit in se includere sanctitatem, nisi usurpatam vel ementitam.“ Et ille quidem coronam hanc, quoties de ea sermonem facit, materialem appellat; nos nihil horum ei negavimus unquam; sed coronam regni hodieque sacram vocamus, hoc eam epitheto etiam a reginali, de qua infra, discernentes.

§ 6.

neque tamen multo post omnis vis legitimi imperii coronae adserta.

Reges proinde ac Imperatores ritu Eclesiae Romanae coronati, se a Deo coronatos, [1]) Dei gratia Reges ferebant. Nec deerant aevo ulli scriptores, qui Reges hujusmodi non aliis, quam quibus Reges populi Israelitici adstrictos contenderent legibus, per codices sacros descriptis. Quorum sententiae huic verba d. Pauli ad Romanos „non est potestas nisi a Deo“ [2]) et d. Hieronymi „Rex enim erat: alium non timebat; alium non habebat super se“; [3]) haud modice suffragantur. Quo magis admiranda est aequitas et sapientia d. Stephani, qui ex hujus theocratici, ut ajunt, systematis spiritu, unus supra leges, mores, instituta Majorum, solusque supra suos omnes, haec esse omnia cum posset; porro quoque inter suos praecipuus et esse et haberi [4]) praetulit. Itaque cum sacrarum literarum venerationi suae, studium simul artes, quibus Roma vetus creverit, pernoscendi conjungeret, libro, quo monita ad filium complexus est, id egit, ut pri-

---

[1]) Emer. Rex a. 1198. „Quia sanctissimus Rex Stephanus et b. Ladisl. Rex Hungariae, Reges nostri Patres, ordinaverunt recepto Apostolico mandato, ut Rex Ungariae, quicunque fuerit a Deo coronatus per sedem Strigoniensem, in signum catholicae fidei decimam solvere deberet.“ Andr. II. „In nostrae coronationis memoriam, quam de sursum capiti nostro per manus venerabilis Patris Joannis Archiepiscopi Strig. Deus imponere est dignatus, attribuimus, ut annuatim in Adalberti Martyris festivitate canonicis 100 marcae argenti ex regali aerario solvantur a. 1206.“

[2]) Eccl. IX. 4.

[3]) Epist. ad Rust. confer etiam b. Ambrosii ad illud Davidis: Tibi soli peccavi. De absoluto Regum hebraeorum imperio Grotium de jure b. et p. l. 1. c. 3. numero 10. et citatos ibi Livii, Taciti, Arist. locos de Asiaticis adstricte regnatis.

[4]) Lib. I. c. 8. § 4.

morum urbis illius Regum exemplo „legem de suo et posterorum imperio“ tulisse videretur. [5]) Atque hac ille de potestate, quam per coronationem adeptus esset, interpretatur ipse eum ad modum, ut inter fundamenta, dignitatis, officiaque imperii, mores quoque Majorum, id est enim: avita populi jura, horumque integritatem collocet. Cujus quidem is, teste toto regiminis sui tenore, fuit studiosissimus. Non enim tantum de primitivo Civitatis hungaricae pacto nihil, verum ne de ceteris quidem avitis consuetudinibus mutavit quidquam, quod cum religione sacro sancta, et spiritu pacti illius, supremaque omnium curarum laborumque suorum ratione: perpetuitati nominis hungarici consulendi, semet componi pateretur. Reliqua constitutionum suarum parte antiquos et aequales aetate imitatus Augustos, id a se ipso coepit consilium, ut ad auream Comitum, militumque suorum libertatem, argenteam Jobbagionum castri adjungeret, et reliqua multitudine pro portione impertitae his item libertatis distributa, factaque hujus etiam servis spe, in eo esset totus: plerique ut omnes conditae per eum Monarchiae bene cuperent. Quae, dum nonnulla de inauguratione reginali praemissa fuerint, ordine edissertabimus. Nunc vero operae pretium videtur, ut his, quae summatim de vi inaugurationis Regiae, modoque imperii adhuc diximus, verba Verbőczii, qui ad primum abditissimumque antea omnium consiliorum horum fontem: Regalis civilisque apud Aristotelem principatus notionem [6]) proximus accessit, subjungamus. Quamvis, ait

---

[5]) Vide exempla ex Cicerone de rep. II. 17, 18, 20, 21. per Niebuhr Röm. Gesch. P. 1. p. 352 citata: Quisquis idcirco fuerit, qui haec d. Regis monita primus Decretum inscripsit, idem an vetustissimorum Romanorum se id exemplo facere conscius sibi fuerit, haud ecquidem scio; fecit tamen seu consilio, seu fortuito hoc ipsum, quod iis erat usitatissimum: Decretum appellare solennem Regum vetustissimorum de legibus, quas in moderanda rep. tenere vellent, professionem.

[6]) Polit. l. I. c. 5. l. III. c. 11. l. V. c. 8.

ille, populus iste Hungarorum olim, dum adhuc ritu viveret gentilium, et non Regem, sed Ducem ac Capitaneos haberet directores, omnis potestas condendae legis et constitutionis apud eos fuerit: verum posteaquam ad fidem catholicam sunt conversi, et Regem sponte sibi ipsis elegerunt, tam condendae legis, quam etiam cujusmodi possessionariae collationis, atque omnis judiciariae potestatis facultas, in jurisdictionem s. Coronae regni hujus et per consequens in Principem ac Regem nostrum, a communitate et communitatis auctoritate, simul cum imperio et regimine translata est. A quo jam omnis Nobilitatis origo, per quamdam translationem reciprocam, reflexibilemque connexionem ita mutuo semper dependet, ut sejungi segregarique nequeat; et alter sine altero fieri non possit; neque enim Princeps, nisi per Nobiles eligitur; neque Nobilis, nisi per Principem, creatur. Et hujusmodi Nobiles, per quemdam participationem et connexionem immediate praedeclaratam, membra s. coronae censentur; nulliusque, praeter Principis legitime coronati, subsunt potestati. Qui proprio motu et absolute, potissimum super rebus juri divino et naturali praejudicantibus, atque etiam vetustae libertati totius hungaricae gentis derogantibus, constitutiones facere non potest; sed accersito interrogatoque populo, si eis tales leges placeant? an ne? qui cum responderint, quod sic; tales postea sanctiones (salvo semper divino, naturalique jure) pro legibus observantur.

De coronatione Reginali.

§ 7.

1. solemnitas hujus,

Gyzelam Protoregis consortem, Reginam inauguratam certum, sed locus tempusque, quo solemnia haec

peracta, nondum exploratum est. [1]) Antiquissima traditio et literae Belae IV. de a. 1269 [2]) ab Eclesia S. Michaelis Veszprimiensi stant, quas Elisabetha Stephani V. consors, quum in ea Reginas Hungariae coronari consuevisse dicit; nurus item ejus Isabella, jus patronatus Eclesiae Veszprimiensis ad se et alias Reginas Hungariae constitutas pro tempore pertinere profitendo, satis probabili testimonio confirmant. Agnes Habsburgica altera Andreae III. conjux se specialem Eclesiae Veszprimiensis patronam et in ea sedem Reginalem esse testatur. An exemplo Gyzelae sequentes etiam Reginae omnes, ritu solenni inauguratae sint, ut in re pervetusta, aeque ambigitur. Andreas II. alteram uxorem suam a. 1215, tertiam item (Beatrici nomen) a. 1234, nurum denique, Belae IV. juniori Regi nuptam, a. 1218 coronari jussit. Idem Elisabethae Stephani V., Isabellae Ladislai IV., Fenennaeque primae, alteri item, de qua jam diximus, consorti Andreae III. honos habitus. Elisabetham Polonam Carolo Roberto, [3]) Elisabetham Alberto, Beatricem Matthiae I. [4]) Annam demum Uladislao II. nuptam, atque hanc quidem juxta veterem consuetudinem inauguratam esse Diplomata loquuntur. Quorum testimonio delectus

---

[1]) Hartvicus: Gyzelam, quam unctione charismali perunctam gestantem coronam, regni sociam esse constituit.

[2]) „Ordinamus imo potius ordinatum ac conservatum temporibus ex antiquis praesenti nostra sanctione duratura perenniter firmamus, ut sicut ipsa Veszprimiensis Eclesia prae ceteris regni nostri Eclesiis singularis privilegii praerogativa meruit obtinere: reginalem celsitudinem, sacro diademate insignire; sic et ipsarum aulae cancellaria annexa sibi realiter et possessa hactenus inconcusse cum quingentarum marcarum salario de reginalibus solvendo reditibus annuatim gaudere debeat et perpetuo gratulari.“ Egyházi Értekezések Joan. Horváth a. 1821 T. II. Cod. Dipl. IV. 3. p. 495. V. 2. p. 337.

[3]) Dlugossus l. IX. ad a. 1320.

[4]) Ritum coronationis Beatricis consortis Mathiae I. vide apud Schwandtner, P. 1. p. 519.

loci a Regum pendebat arbitrio; delectus Episcopi non item; ex vetustissimo enim usu, Pontificum deinde firmato privilegiis, [5]) munus coronandae Reginae Episcopus Veszprimiensis peragit hodieque hunc in modum: ut si Rex Reginaque simul inaugurentur, tam unctio, quam adpositio coronae (ritus enim alii ordinarie [6]) in coronandis Reginis non obtinent) ad eum solum, sin tempore diverso: tum unctio ad Archiepiscopum Strigoniensem, coronatio ad Episcopum Veszprimiensem pertineat. Hic olim officium quoque, hodie titulum tantum, muneris Cancellarii Reginae gerit. Coronam Reginae a sacro diademate non auctoritate solum, sed epitheto quoque Reginalis distinctam, uti mihi videtur, nunquam non habuerunt; [7]) et ab aetate quidem Ferdinandi I. ipsa earum coronatio usu constanti sic peragitur, ut corona sacra dextro earum humero admoveri, capiti corona sua domestica imponi soleat. [8])

---

[5]) Honorii PP. de a. 1220.

[6]) Si enim, ut Maria I. aut diva Maria Theresia, qua Rex coronatur, praescriptus pro hoc servatur ritus.

[7]) Dlugoss. hist. Polon. l. VI. p. 614. Haec (Gertrudis Andreae II. Regis Hung. Conjux) dum viveret, in Eclesiam Vratislav. liberalem se exhibens et munificam, nobilem coronam auream, quam pro ornamento diebus solemnibus gestare consveverat, eidem Eclesiae Vratislaviensi transmisit cet. Isabella consors Ladislai IV. in literis Eclesiae Veszprimiensi a. 1280 impertitis ,,cum in Reginam Hung. inunctae fuissemus et Deo propitio suscepissemus reginale diadema.“ Quod eximie illustrat vulgati nuper Coment: Aus den Denkwürd. der Hel. Kottan. num. 9. ,,darnach nomen sie die heiligen Kron do stuend die ander Kron auch inn, damit man die edelen Küniginn auch gekront hat, zu Ungern. Num. 13. ,,empfalch mir auch ir Kron . . . alles in derselben Kammer, da durch man inging zu der heiligen Kron. Haec ad a. 1439, 1440.

[8]) Vide Casp. Urs. Velii de bell. pann. l. II. p. 38. et Hist. Coron. Ferd. I. ibid. pag. 188.

§ 8.

visque ad solam inaugurationis religionem redit;

Praeter speciem religionis, quae inaugurationi, seu ut dici amat, unctioni sacrae inest, eximiamque sanctitatis opinionem; nullum **Reginis** jus majestaticum per coronationem acquiritur. Sunt quidem, qui in re codicillari aevi intermedii plus sibi videre videantur; sed nobis firma stet sententia: plus reginas, nisi conjugum, aut filiorum jam **Regum** concessu, et praeclara populi de ingenio, et voluntate earum existimatione, nunquam potuisse. **Fides** huic amorque conjugalis, et in parentes pietas, sanctissima semper erant officia, quorum vinculo non privatos modo, sed **Reges** etiam ac hos quidem eo magis, quod multitudo his ferme similis esset, alligari voluit. **Id** vero nunquam non tenuit solenne suum, ut vitae **Regis** sociam, cujus in manu et hujus animus, et cum regiis prolibus, spes quoque et pignora felicitatis futuri temporis essent, omni cultus genere prosequeretur. **Multa** igitur regiorum consilia, factaque conjugum probavit, multa excusavit; quae nec probari, nec excusari poterant, lege condita abrogavit. [1])

---

[1]) Vide art. 2. 1442 5. 1453 4. 1527. Typum legitimae donationis Reginarum literae C. D. IV. 3. p. 286; aliae vero pagina 396 ostendunt: harum in Acta Regum consensui idem, quod Baronum regni, neque majus infuisse momentum.

§ 9.

nam de aula, doteque Reginarum communi olim Regis, Regnique consilio provisum.

Divus Stephanus Gyzelae suae, dotis nomine, **Posonium, Sopronium, Sabariam** adsignasse fertur. [1]) **Quod**

---

[1]) Austrii memorant ad disceptanda finalia ad Sárfenék litigia sec. superiori delegati.

ecquidem factum, licet auctor incertus sit, non ambigo. Etsi enim quas Busilla Rogerii Siciliae Comitis filia, ea demque Colomanni Regis Hungariae sponsa seu Civitates, seu Comitatus reditusque aerarii in sumtus aulae dotemque adepta sit, nondum teneamus; verba tamen Gaufredi Malaterra „Die determinato, praesentibus Archiepiscopis et Episcopis et diversis Ordinibus, dos puellae, legali more, in publico protestatur" [2]) palam faciunt: perpetuum apud nos morem [3]) ut dos, reditusque

---

[2]) Murator. T. V. p. 599. l. IV. c. 25.

[3]) In dotem Constantiae Cons. Emerici Regis Comitatus Castriferrei et Sopron. cesserunt. De dote Jolantae conj. Andreae II vide lit. Honorii PP. de a. 1218, ex quibus hanc per Regem „de assensu Principum Regni" assignatam intelligas. Elisab. vidua Stephani V. Banatum Machovi. Bosniam et Comitatum de Valko ac circa a. 1279 dominium terrae Scepus; Agnes Austriaca Cons. Andreae III. Comitatum Posoniensem. Dotem, quam Sigismundus Rex provida deliberatione, maturoque tractatu ac digesto, Praelatorum et Baronum suorum fidelium consilio praehabito, alteri consorti suae constituit, literae ejus perhibent a. 1424 editae in Dipl. Szécsény T. IV. Ludovicus II. cum assensu Praelatorum, Baronum, Procerum, Nobilium in universali horum conventu ad diem s. Elisab anno 1521 celebrato defixam enumerat in lit. per Katona H. Cr T. XIX. p. 352 et seqq. citatis. Ex quibus bona quaedam Regum anteriorum donatione (uti memoratam isthic Civitatem veteris Budae per Ludovicum I. Regem) Reginis, seu ut literae de a. 1265 (IV. 3 pag. 286) habent, Reginatui collata nemo dubitat. Ex his fuere Bisztricza, Radna, Szőllős et Király, quas Urbanus IV. PP. apud Katona H. c. T. VI. p. 418 non modo Mariam Belae IV. consortem, sed alias etiam, quae hanc praecesserunt Reginas, a tempore, cujus memoria non existit, tenuisse adfirmat. Insula Csepel Patakinum, Ovárum, cujus hospites Elisabetha regina privilegio suo a. 1354 recreatos, in spem oppidanae frequentiae impulit; nam Patakinum nativitate b. Elisabethae celebre jam mater hujus Gertrudis And. II. consors tenuit, tamquam Reginalem, ut fide literarum de annis 1273 et 1362 constat, Civitatem. Eandem pari jure insulam quoque Chepel possedisse nihil ambigo; Agnes quidem

Reginis communi Regis, Regnique consilio deputarentur, am ante Colomanni observatum fuisse aetatem; divo Stephano, puta, auctore coepisse, cujus non decreta modo, sed acta quaeque vim legis, jurisque apud posteros habuere. Bonis his reginalibus, quae variabant (provinciae, quoad fieri potuit, districtusque adsignabantur, loco earum natali [4]) proximae) Jurique per eas reddendo praefecti Barones Comitesque Curiales Reginae; milites vero ex Udvarnicis conscripti gentes, exercituantesque reginales in vetustis chartis vocantur.

---

ustria Andreae III., Beatrix Mathiae Corvini, Anna Ulad. II., Maria ud. II. consortes insulam hanc possederunt.

[4]) Conf. Belae R. Notarii cap. XV. et Dipl. citata paullo ante.

Partes, quas in condenda firmandaque Monarchia hungarica d. Stephanus imposuit sibi.

) Ad figendam climate hoc gentem, omni auctoritatis severitate uti, ducesque nova de novis arcessentes pericula legitimae potestati suae subigere.

§ 10.

Gyulam Transylvanum et alios legitimum imperium detrectantes punit.

Iras Europae placare, gentemque, si in arcessendis ericulis eadem, quae Hunnis Varchunisque ferocia perstierit, eandem quoque vicem subituram, figere climate oc, religioneque impletam meliori, cujus capacissima sset, ingenii animique sui gloriae servare propositum tephano et ad scopum hunc, exprimendamque moribus uis, hac etiam parte imaginem imperii Caroli M. omnem

jam supremae potestatis, cujus personam gereret, seve ritatem vimque adhibere constitutum fuit. Ex utralibe rem parte spectes, tempora erant, quorum nec vitia ne remedia, velut invicem truculenta, satis aequis nun auribus accipiuntur. Obnitebatur Gyula Dux Trar sylvaniae; [1]) Tonuzoba item, et Ochtumus libertatis ob tentu celata regni invidia non juberi, non regi pass Ad hos odium praesentis rerum status multos perpuli cum quibus jam excussa omni reverentia fideque in contra rium praecipites ferebantur. Vicit hos quoque Stephanus et Thonuzobam quidem Ochtumumque morte; Gyulam per petuis reclusum carceribus, Transylvaniae, Arpadi olir auspiciis, concessuque comparatae, amissione mulctavit Carolo M. qui fere solum ad proferendos aut aptando imperii fines pari usus est severitate, sanctimonia e aequitate causae excusatior.

---

[1]) Ex Zumbor fratre Gyulae soceri d. Stephani genitus. No B. R. cap. 27.

§ 11.

His, et nominatim Gyula Transylvano victo, ditionem ejus Hungariae junxit.

Ex hoc igitur tempore Transylvania Hungaria juncta, et per d. Stephanum Zoltano, aeque ex Arpad progenito stirpe, moderanda credita, per recentiores scri ptores plerosque in tertia Hungariae parte computatur quae deinde Ducibus primogenitisque Regum filiis assi gnari consuevit. [1])

---

[1]) De veteri hujus nomine latinis Ultrasylvaniae, hungari Erdeulu vide Thur. P. II. c. 29, 30. Belae R. Not. c. 11, 25 26, 27. Cornid. Vind. Notarii illius, cum quo tamen nomen Ultra sylvaniae post Belam IV. penitus exolevisse dici nequit.

2) Moribus religione, bonarumque artium cultu informandis intendere.

§ 12.

In hunc ille finem

Thesauros Gyulae junioris, maximamque captivae pecuniae vim, in excitandas Eclesias easque necessaria instruendas supellectile, arcessendos literarum bonarumque artium Magistros, raramque tum, et carissimi pretii mercem, libros ea liberalitate convertit, ut judicari possit, sacrorum cultum, rectamque morum institutionem pro praecipuo ei societatis civilis salutisque publicae praesidio fuisse.

§ 13.

et specialiter: condendam Albae basilicam.

Inter Eclesias praefulgebat basilica Albensis, grandi excitata sumtu, et ad eum comparata splendorem, digna ut esset, in qua primi coronationis, justorumque funerium ultimi honores Regibus haberentur. Hujus ille custodia templi coronam, ceteraque clenodia et vexillum suum [1]) teneri, curamque Praeposito, et, qui hunc ex

---

[1]) Thur. p. IV. cap. VII. de Carolo parvo „dum de consuetudine, sacrae post missae solemnia, regali in fastu, Procerum caterva stipatus templum egreditur, equum auro radiantem ascensurus, insigne s. Regis Stephani vexillum, quo prima dies regni dudum ereta fuit, totque per annos pia religione futuris Regibus servatum, illum praecedens testudine valvae tactum, in partes frangitur“ cet. Bela IV. in lit. de anno 1250 super terra Rum (apud Lehoczky). „Cum vexillo in Eclesia Albensi elevato, pugnaturi contra Albertum Ducem Austriae“ cet. Idem facit Ladislaus IV. aqud Kézam L. II. cap. V. p. 72. edit. Podhr. Andreas item III. C. D. VI. 1. p. 116.

adjecto sacerdotum collegio honoris gradu proximus se quebatur, Custodi [2]) mandatam esse voluit. Fuit Ecle sia haec in rebus sacris omni Episcoporum potesta exemta; incolae vero locorum, quibus Eclesiam colle giumque id sacerdotum liberalissime impertivit, omni be neficiorum genere eum ad modum exculti, sua ut hac mu nificentia non imitatus, sed supergressus Caroli M exemplum videretur. [3])

---

[2]) Innoc. III. PP. „Cum in Eclesia Albensi quaedam dignita quae custodia dicitur, ad tuam (Praepositi) donationem pertiner habeatur, cujus curae et sollicitudini ornamenta et privilegia ipsiu Eclesiae et diadema etiam Regium comittuntur.“

[3]) Memoriam veteris Eclesiae et collegiati capituli B. M. V. c Alba Regali diligenter exequutus est Szvorényius in Amoenit. Hist Ecl. regni Ungariae Fasc. V.

§ 14.

Scholamque palatii

Alterum urbis illius decus, schola Palatii fuit, [1] auctore Rege, qui praeter vernaculam, jam a teneri latinam quoque linguam plene edoctus, uti harum, ger manicique idiomatis peritia, sic literarum quoque stu dio coaevis per Europam Principibus plerisque praecel luit, grammaticis, ut ea erant tempora, studiis aperta moxque alumnorum et ea docentium frequentia celebris ut non deessent, qui inde ad alias per regnum schola adhiberentur.

---

[1]) Legenda major S. Gerardi C. Ign. Bathiány p. 330.

§ 15.

itidem Albae;

Quamdiu a fatis ejus schola haec Palatii florueri parum constat; sed pars consilii hujus altera non minus commemorabilis, ut quod apud Anglos auctore Alfred

Rege obtinuit, juvenes clariori nati genere ad aulam Regiam educarentur, in perpetuam apud Reges stirpis virilis Arpadianae consuetudinem venit. Mathias Belae IV. Junioris Regis Notarius; Lodomerius item de genere Monoszló acerrimus autonomiae Regni adversus dominatum Pontificum romanorum vindex, ambo Archiepiscopi olim Strigonienses, in hoc adoleverunt instituto; dum itaque horum in honore memoria erit; semper laudes quoque tam salutaris ad formandos mores consilii permanebunt. [1])

[1]) Belae IV. in lit. a. 1248 de C. Herborto filio Osth Comitis „a tenera adhuc aetate nostra, pariter et sua, in nostra curia laudabiliter educatus.“ In aliis de anno 1264 M. Laurentio aulae suae Judici et Rectori datis „cum adhuc in numero seu collegio juvenum domus nostrae famam pollentem, et nomen duceret gloriosum.“ Elis. Reg. in lit. a. 1285 etiam „juvenes domus nostrae“ memorat. Ex his fuit Luchatsius quoque victoriae de Chunis relatae a. 1284 nuncius. Juvenes hujusmodi praeter Episcopos et Praesules alios, etiam Comites nonnulli tenebant, hungaris Apród ad similitudinem Poris antiqui latinorum. Horum e numero est, memoratus in lit. Lad. IV. de a. 1281. V. 3. p. 122 parvus serviens, et And. III. Ratuldus (ad a. 1299) parvulus.

§ 16.

et hospitia Romae locisque aliis apud exteros pro hungaris erecta, captivae pecuniae propriarumque opum partem magnam impendit

Idem, cum felici Hungarorum ingenio Palladem utramque ex aequo propitiam videret, Romae quoque et in agro Ravennatensi, Constantinopoli praeterea hospitia cum aedibus sacris struxit, liberaliterque locupletavit, ut divini cultus aut literarum latinarum [1]) vel graecarum

[1]) Veteres Grammaticorum scholas Romae et Ravennae, atque in urbe hac sec. etiam undecimo floruisse constat. Vide Savignium o. c.

causa peregre proficiscentibus hungaris, nihil ad finem hunc facile consequendum desideraretur.

3) Imitari, quod apud exteros legibus, moribusque Hungarorum excolendis maxime idoneum esset.

§ 17.

Quem in finem

Locus apud Salustium „Majores nostri neque consilii neque audacia eguere, neque superbia obstabat, quominus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur; Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia Magistratuum ab Tuscis pleraque sumserunt, postremo quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur, imitari, quam invidere bonis malebant" [1]) mutato nomine Protoregis Antenatorumque nostrorum laudes continent. Sunt sane ea, quae Rex idem de modo in imitandis exterorum moribus tenendo, in suis ad filium monitis praecipit, ita permeditata evigilataque, ut nec in praesentia consuli eam in rem quidquam oportunius possit; esse nempe leges exterorum, non ad literam, sed pro ponderibus quodammodo summendas, quibus agitata vis interna cha-

---

[1]) Et apud Tacit. Ann. l. 3. c. 5. „creatique decemviri, et accitis, quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi juris." Ibid. l. XI. c. 8. Claud. „Majores mei hortantur, ut paribus consiliis remp. capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. In multis enim gentibus esse video, quae non erubescamus imitari. Nec aliter tantum imperium apte regi potest, quam ut quaedam et tradamus illis et ab iisdem discamus. Alex. M. apud Curt. L. VIII. c. 8. n. 13. Strabo l. X. p. 722. Athenienses quemadmodum alias morem suum peregrina adsciscendi, ita etiam, quod ad dies attinet, tenuerunt.

racteris populi proprio ductu, ad cultum indoli suae convenientem feratur. Quod ita per Majores nostros observatum scite periteque Hallamius [2]) de legibus feudalibus advertit, quarum, ut non plane nullam speciem, ipsius certe instituti, imperfectum duntaxat et dimidiatum quodammodo genus apud Hungaros repererit.

[2]) Op. cit. P. I. c. 2. p. 167, 168.

§ 18.

plurimi usus Capitularia

Id temporis Capitularia Regum Francorum pro sacrario quodam legum sapientissimarum per omnem Europam recolebantur. [1]) Germani ipsi, tametsi a Francis dissociati, leges Francorum diu summa servarunt religione; dubitari igitur nequit plerosque omnes alienigenas melioris notae, quoniam constitutionibus harum, politica Hungariae, quam innupserant, instituta humiliora esse nollent, solerter elaborasse: ut quemadmodum regia dignitas, ita administrandae reipublicae ratio, potissimum ex norma Capitularium illorum constitueretur.

[1]) Baluz. in praef. ad Capitularia haec. Item Joann. Müller Allg. Gesch. l. 8. c. 7. Rottek Allg. Gesch. v. 4. cap. 3. p. 111. Meyer o. c. T. II. l. IV. cap. 1.

§ 19.

Regum Francorum fuerunt;

Haec ea Hungariae parte, cui post repressos Varchunos Pannoniae Francicae adhaesit nomen, non plane incognita usu erant. Inter utramque vero gentem gloriae armorum, libertatisque studiosissimam, ex hac morum similitudine affinitas quaedam, non fortuito, sed ea quasi necessitate innexa, ut, qui olim populus ad soli-

diorem cultum, id, quod consuetudinibus Hunnorum ad laudem inerat, imitando pervenit;[1]) ejus invicem institutis civilibus Hungari plurimum confiderent. Et profecto nec Rex, nec gens universa aliud facere consultius politices compendium potuit, quam quod fecit, scitis Capitularium horum ita in rem suam usa, haec ut non tam adoptasse, quam legibus suis fundamentalibus cognata, a se ipsa sumsisse videretur.

---

[1]) Not. praev. § 43. not. 1.

§ 20.

q u a e,

Fuitque fons hic primaevorum Monarchiae hungaricae institutorum, per multum aevi, in praecipuo apud Majores nostros honore. Praeclarissima vero ingenii eruditionisque gentis illius existimatio, huc brevi apud homines nostros adolevit, ut Schola Parisina jam in principio Hungaros haberet alumnos complures; postmodum vero aemula per hos cum reliqua cultiori Europa contentione frequentaretur; ac demum, ad ejus similitudinem Scholae (auctore, credo, Bela III.) literaria Veszpremii aperiretur palaestra, in qua maxime theologia, et quae ad cultum justitiae regnique jura conservanda facerent, palam traderentur. Ignorare denique non oportet: quaedam tardius etiam, dum jam plura ipsi exteris imitanda constituimus, a prisco hoc, adsvetoque per nos derivata esse fonte, quatenus recentiora etiam gentis illius instituta, aliqua se rerum nostrarum utilitate commendabant. [1])

---

[1]) Speciminis instar, quod T. V. thes. novis. anecd. Edmu. Marténe et Ursini Durand. ind. voc. barbar. habetur „Banderium cohortem esse 400 militum, apud nos art. 20, 1492; quod Lauriers Gloss. du droit. Fran. „nulle autre homme ne peut porter bannier, s'il n'a pas 50 hommes d'armes et les archers et arbalètriers, qui y appartient" art. 27, 1526. 14, 1601 constitutum est.

§ 21.

Canones item Eclesiae, ac Decreta Pontificum, Caesarumque praecipui Juris hungarici veteris fontes sunt.

In quo probando non valde mihi laborandum est; quando nemo dubitat Stephanum, ut erat religionis studiosissimus, Canonibus Conciliorum, Decretisque Pontificum in aedificanda per se republica primas tribuisse. Id vero jam Verbőczius animum advertit: [1]) omnia fere jura regni hujus originaliter ex Pontificii, Caesareique juris processisse fontibus. Quod de jure Pontificio, ut dixi, planum; de Caesareo: Consistorium et Auditorium Regum; Judices ordinarii regni, horumque Assessores, Jobbagionumque Castri et Castrensium nominibus involuti munifices et beneficiarii Romanorum, pluraque alia testantur d. Stephani instituta, [2]) de quibus, sine studio et arrogantia, duo tibi polliceor: alterum: verba libri I. Decretorum ejus de Regibus Romanorum, non ei fortuito, ut quibusdam placet, excidisse; alterum: non aliunde magis, quam Hungariae exemplo colligi: memoriam institutorum Romae veteris nunquam penitus obliteratam, quorundam vero usum etiam conservatum esse. Immo vero Justinianum ipsum ante aetatem Verbőczii aliquamdiu paullo etiam strictiori apud Hungaros sensu dominatum, suo loco ostendemus. Nihilne igitur a Graecis Stephanus sumsit? a Byzantinis, Belius licet hoc et Prayus, et Spitlerus audiant, dicam, auctoritatisque eorum alioqui reverens, voce dicam clarissima;

---

[1]) Oper. trip. P. II. tit. 6.

[2]) Notionem horum nominum Romanam vide sis apud Savignium o. c. T. I. p. 56, 133, 104 cet. Adamum item o. c. I. p. 232, 293, 439. Funke ad vocem Proconsul et ceteras, de quibus, diverso item honoris et muneris, seu, ut nos loquimur, dignitatum et officiorum; Civium item optimo jure, et non optimo jure; Civium perfectorum et municipum significatu inferius.

a Byzantinis nihil plane; ab Aristotele plurimum. Evolvent se haec sua sponte, patebuntque ultro; dummodo initia conditae per Stephanum Monarchiae hungaricae, uti par est, persequamur attentius.

4. Portum et asylum exteris regnum suum esse voluit.

§ 22.

Sic vero non de gente solum hungara

Carolum Magnum Eginhardi, eundemque celeberrimi Montesquii; nam Sismondius de suo, vel hoc, an alicui generis humani bono fuerit? nec ne fuerit? dubitat, [1]) et Alfredum, et Ottones sibi cogitet, quisquis antiquuos et modernos, quos Stephanus imitatum se dicit, Augustos propius nosse desiderat; sed tamen Carolum maxime, cui non tam imitatione et disciplina, quam natura; nec similis modo, sed sic penitus par erat, ut unum qui noscit, noscat utrumque. Instituit hic plurima, fecit vero omnia ferme eadem, quae Princeps ille; hoc vero jam supra ejus exemplum Aristotelisque propositum, [2]) quod regnum suum, verus Hungarorum Quirinus

---

[1]) Et hic tamen auctor per Gvizotum deinde meliora edoctus de Carolo M. T. VIII. o. c. p. 11. jam haec habet: „Charlemagne conçut la noble pensée de régner pour le bien de ses sujets. Il considéra la couronne non comme une dignité, mais comme une charge; pour s' en acquitter, il crut devoir pourvoir, non seulement a la force de la monarchie, dont il profitait; mais à l'ordre interieur, à la sûreté, à la prospérité, à l'accroissement et des richesses, et des lumières de ses sujets, pour leur propre profit. Il se regarda comme comptable envers ses peuples, tandis qu'aucun de ses prédécesseurs n'avoit songé, qu'à lui même, à ses plaisirs, ses vengeances, sa puissance, ou sa tranquillité.“

[2]) Arist. Pol. l. V. c. 2. Dionysius Halicar. P. II. c. 17. Graeci non cuiquam, nisi rarissime, jura suae civitatis impertiebantur; nonnullos etiam solitos esse hospites expellere.

hic, portum et asylum exteris esse voluit.[3]) Ac filios quidem Edmundi Regis Angliae: Edmundum et Edvardum patria extorres velut alter parens accepit, habuitque liberalissime; generatim vero consilio illo et sibi et regno salutari, simul causae humanitatis, aetate ea, per omnem reliquam Europam tyrannide systematis feudalis, ferme oppressae[4]) prospexit. Quod enim filium suum monet: tam prompte eos nutriret, teneretque honeste, ut lubentius cum eo degant, quam alibi habitent,[5]) factis praeivit, et quidquid per populos originis germanicae, quasi ad refellendam Taciti fidem[6]) hospitibus negatum, hoc omne his liberalissime dedit, ipsos adeo, ne quid ad munificentiam Atilae, moribus suis repraesentandam, desideraretur, praecipuos Magistratus. Qui ex hospitibus genere, meritisque inferiores erant, liberorum habiti numero, eaque conditione, ut, quod ad aequalem cum hungaris libertatis politicae defuit gradum, id quidem non tam largitati Regis, quam hospitum illorum defuisse cupiditati videretur. Non itaque verba solum dare Stephanum, sed pluribus alienigenis, quibus civitatem hungaram dedit, testibus cum percrebesceret: aurea Caroli M. tempora, quae non jam per Gallias, non per Germaniam lucerent, velut exstincta pridem,[7]) in Hungaria exorta noviter; quodve adhuc fama,

---

[3]) Verba Hartvici edit Podh. p. 79. regnum suum omnium hospitum patens asylum esse volebat.

[4]) Robertson o. c. Vol. I. nota 29. p. 372 seq.

[5]) Decr. l. I. c. 6. §. 4. tamquam aliis verbis Onesegii (l. I. § 17) de Atilae in hospites liberalitate exprimere sententiam voluisset.

[6]) Meyer T. I p. 37. 141. seq. 256. cet. Grimmius o. c. cap. V. Der Fremde p. 396 seq.

[7]) Et Rottekius quidem Carolo diem obeunte, eodem vestigio politica quoque ejus instituta emortua putat. Allgem. Gesch. edit. a. 1833 T. V. p. 264. Horum vitam Eichornus in simili opere prorogat paulisper. Vide et Baluz. ad Capitularia sua Praefationem, et Hallamium o. c. Vol. I. p. 202—214.

jam res esset abunde comperta usu: obtigisse huic Principem, cui certum sit: regere populum suum institutis liberalibus ad Capitularia Caroli M. accomodatis, seu potius his ipsis Capitularibus, per illum, praevalente gentis quoque in haec sympathia, in vitam revocatis; tanta undique confluxit multitudo domestica fugientium mala, ut Hungaria brevi pusillae nancisceretur Europae speciem, et tamquam portus ac asylum calamitosorum per omnem late orbem celebraretur. Quae igitur, quaeso, haec ratio est: Scriptoribus nonnullis barbaros eos ferosque dici, apud quos jura humanitatis sic florebant; cultos vero, aut saltem his praestantiores appellari, a quibus ea exulabant.

§ 23.

sed per hanc his innutritam principiis, de Europa universa praeclarissime meruit.

Atque ad illam fidei, honoris, gratiae laudem Hungarico nomini asserendam, confirmandamque, et tradendam posteris Stephanus nitebatur totus. Velle eam gens a stirpe nobilis caepit, deditque sobolem, qua, dicam enim, quin apud aequos rerum arbitros assentandi suspicionem verear, non alter magis populus de reliquae rationibus Europae meruit. Haec namque, dum id efficeret, ut quod adhuc per Daciam et Istrum patuit, barbararum gentium immigrationis ostium, oppositu pectoris sui in perpetuum clauderetur; securitatem ei, neque hanc tantum, sed facultatem quoque otio, ad se suaque excolenda bona, fruendi vindicavit; singulos, dum ad se diverterent, prolixe accipere non contenta, tamquam esset aliquid, quod nondum cumulatissime pensasset, contra Tataros diu, Turcas diutius, vallum se, fossamque et antemurale Europae praebuit, militarique fortitudine orbem heroibus, caelos morum sanctitate plurimis, si ita loqui, sine fastidio et arrogantia licet, Indigetibus locupletavit.

De Ordinibus regni variaque horum apellatione generatim.

§ 24.

Ordines regni d. Stephanus ex antiquissima aequalis libertatis lege descripsit,

Ordines inquam regni [1]) nomen enim **Statuum** sensu synonimo in tabulis legum non ante editum per Ferdinandum I. diploma, quod ajunt, assecuratorium, [2]) formulamque nuncupati per eum juramenti; [3]) axioma vero **Statuum** et **Ordinum** articulo demum 1. legum [4]) a. 1536 adoptatum est, divus Stephanus magis

---

[1]) Praef. Decr. And. III. de 1298 § 6. ,,ac etiam ipsarum eclesiasticarum personarum et ordinum aliorum; art. 2. 1527 juxta contenta literarum omnibus ordinibus datarum."

[2]) Syll. Decr. Com. p. 371. Praelatos, Barones, Nobilitatem, Civitates liberas ac universos Status praedicti regni.

[3]) In Corp. Juris ,,quaecunque pro bono publico et honore et incremento omnium Statuum ac totius regni" verba itaque juramenti haec, aetate Ferdinandi primi antiquiora apud nos non sunt; licet jam Clemens IX. PP. in suis ad Belam IV. literis (IV. 3. p. 358) phrasi ,,diversitas Statuum" usus, hocque sensu vox haec jam Ciceroni de LL. l. I. VII. ,,et quod in Civitatibus, ratione quadam, agnationibus familiarum distinguuntur Status cet." usurpata fuerit.

[4]) De legibus, non rubricis legum, formulaque: Statuum et 00, non vero grammatica vocum ,,et alii cujusvis status et conditionis homines" acceptione nobis sermo est. Novimus sane articulos omnes, quibus Mosoczius, Kovachichius, familiare, aetati suae axioma: Statuum et 00. praefixerunt, manifesto prolepsis vitio; in nigro enim nihil ejusmodi offendas. Statuum vocabulum,

ex usu loquendi latinorum sui temporis, quam quod ita apud Hungaros jam inoleverit, in majores, minores; seniores, juniores subaudi liberos[5]) partitur. Quam quidem liberorum apud eum in duas classes has divisionem penitus ex Aristotelis mente esse, cui (Polit. l. VI. c. 1.) „duae sunt partes, ex quibus constat Civitas: divites et pauperes“ altera alterius verba invicem, uti par est, contendentes, non est, quod moneam prolixius. Majores in legibus Diplomatibusque vetustissimis Principes etiam, Baronesque, Jobagiones, Comites, Nobiles audiunt. Inter hos: Antistites Eclesiarum, quod divina procurarent, primi, diu communi Jobagionum, Baronum, Comitum, Nobilium apellabantur nomine. Minores jam antiquo liberorum, jam militum, quae d. Stephano synonima sunt;[6]) reliqui vulgarium; in summa: qui „Primates cum ordine sequenti“ Hartvico;[7]) paulo clarius Comites, militesque in Decretis d. Stephani dicuntur.[8])

Tractatum, qui Ulad. II. cum Frid. Imp. a. 1491 intercessit, hujus ex parte ingressum, in subsequentibus item de a. 1506 literis adhibitum, in legibus nostris diu ancipiti loco fuit. Anni 1527 art. 1. haec habet: „qui soli ex ordine Dominorum utriusque Status venire noluerunt.“ Contra art. 25. 1536. „Domini etiam utriusque ordinis compareant.“ Rubrum art. 39. 1518 dum ait: „Consiliariorum et Assessorum ex utroque statu et ordine“ indicat: auctorem inter voces has haesitasse, arripuit igitur utramque. Quod ergo Fesslerus de vocabulis his Sigismundi ortis aetate tradit, putatque Statuum apellatione Praelatos et Barones, Ordinum nomine Comitatus et Civitates accipiendas; aliae item nonnullorum opinationes hujusmodi probari vix possunt.

5) Lib. 1. cap. 27.

6) Idem ut liberos, ita milites, l. 1. c. 4. § 4. generatim pro majoribus minoribusque accipit.

7) Ed. Podh. p. 49.

8) L. 2. cap. 14. 33.

§ 25.

sola porro quoque dignitate distinctos. Atque ad hos notio populi vetus redit.

Populi nomen liberos olim significabat; post ubi sec. XIII. liberis apellatio Nobilium et demum priscae Comitum et militum formulae, praesens Dominorum et Nobilium successit, notionem populi Juris consulti in angustius: Civium perfectorum Aristotelis; Nationisque politicae Gvizoti, redegerunt spatium. Gens ipsa, quod nullius unquam boni satis jucunda ei sine plurimis sociis possessio esset, Regnicolarum primum adoptavit nomen; axioma deinde Nobilium, per formulam praesentem „nobiles et quos lex sub hac nomenclatione complectitur" cum hominibus quibusque honoratioris conditionis, et omni nominis hungarici flore communicavit.

§ 26.

Sed huic pro liberali genio suo apellatio „Regnicolarum" latior, mox placuit magis.

Nomen Regnicolarum Belae III. familiare, [1]) legumque tabulas sec. XIII. ingressum, [2]) non Comites tantum, militesque, sed hospites etiam d. Stephano qui dicuntur, et omne genus incolarum regni pollens, nullaque conditione servili obnoxium complectitur. [3]) Cujus

---

[1]) In lit. b. Petri. Quinqueecl. de a. 1192. His si quis alias de a. 1006 (C. D. I. p. 255) obvertat; sibi istas habeat; improbio res sunt improbissimis.

[2]) Vide artic. 35. 1291, 16, 17, 41. 1298 Sylloges Decr. Com.

[3]) Nomen sane auspicatissimum, delectum ad eam Aristotelis l. II. c. 1. exprimendam sententiam „non enim solum ex pluribus

deinceps usus ita inveteravit, ut sigillum quoque regni sec. XIV. (a. 1385) sigillum regnicolarum inscriberetur.[4]) Quare de hoc satis; nam vocabula quoque nonnulla, quae supra attigimus, hoc explicari loco volunt. Labor perquam difficilis, de quo tamen, ne officia mea exprobrare videar, nihil praefabor aliud, quam non me poenitere quantum eo emenso in re profecerim, sine qua ad Historiam Status publici Hungariae veteris profici omnino nihil potest. Ex iis nomen Comitum late patet; Jobagionum vetus latissime. De hac igitur prius; post de Comitibus et Nobilibus quaedam.

---

hominibus (civibus simpliciter et sine adjectione) constat Civitas, sed etiam specie, id est: ordine et fortuna et instituto vitae differentibus." Ibidem „Et vero videtur tum proprie Civitas esse, cum evenit, ut multitudinis societas suis ipsa opibus et copiis cumulata, atque contenta vivat." Idem l. IV. c. 6. Cinnum seu permistionem locupletium et pauperum esse politicam.

[4]) Vest. Com. pag. 251 Praef. Regnic. ad Decr. Alberti § 4. Decr. Vlad. I. Joannis item de Hunyad „datum a. 1446 in amplissima Praelatorum et Baronum et Regnicolarum congregatione." Diploma inaugurale, quod Ulad. II. pro filio suo edidit. Ex his patet nomen Regnicolarum, adjecto Hungariae, vel universorum, aut, quod idem notat, majorum et minorum epithetis, regnum universum; per se positum (ita vero comparet etiam art. 10. 1687 § 7.) Communitatem Nobilium, Civium, et aliorum cujusvis status et conditionis hominum possessionatorum significare, hocque sensu vigere hodieque.

1. De appellatione Jobbagionum.

§ 27.

De etymo vocis.

Et vocabuli quidem Jobbagionum etymon ipsum adhuc in controversia est. Alii hoc Duce Cornidesio ex Jobb (melior) et ágy (torus), ut si dicas: meliore, no-

bilioreque toro natus, ita derivant „praecipuos, ut nobilium, qui et servientes dicebantur, nomine hoc a primo denotatos, et quia pronum erat servientis et servi vocabula progressu temporis confundi, excelsum Jobagionis titulum, ad infimae conditionis homines denotandos paulatim usurpatum" autument. Alii ex jobb et adj (dare melius) et rursus alii, inter quos Georgius Martinus Kovachich et Stephanus Horváth praecipui, ex jobb et ág (ramus); nonnulli ex jobb et a' ki (melior, qui) compositum obtendunt; quibusdam, praeeunte clarissimo philologo Révaio ex hebraeico originem ejus arcessentibus. Neque tamen desunt, qui cum Georgio Kalmário et Bárdosio vocem eam pro regni optimatibus (Ország jobbjai) accipiant, omnem sibi viam intercludentes, per quam ad explicationem multiplicis praeterea acceptionis nominis hujus aditus esset. Clarissimus Schwartnerus, quod ubique feudum, beneficiumque synonimo acceptum sensu vidit „ex omnibus, ait, quae in antiquis documentis recurrunt, nominum Jobbág, Jobagio, Jobagionatus adjectivis, spectata item radice jó, cujus comparativus jobb est, meliusque significat, Jobagionem, stylo juris feudalis vetere, beneficiarium, vasallum feudalem; Jobagionatum vero conditionem beneficiarii seu vasalliticam (servitutem conditionariam pro beneficio accepto) vi vocis denotare." Ceteris praestantis eruditionis viris etymo vocis Jobagio, hujusque significatu, pro diversitate personarum, quibus tribuitur, diverse explicito, aut suo fato relicto, Jobagiones castri diserte nec Nobilium, nec ignobilium numero inserentibus. Neque hoc admodum reprehendendum est. Classis enim Jobagionum una, eaque frequentissima erat ejusmodi, ut de hac, velut, inter milites udvarnicosque media, haud fere quidquam melius auctores hi praecepturi fuerint, etiam si plus operae in argumento hoc extricando posuissent. Scite namque Justus Moeserus, ut alia, vereque tam tenues aevo medio inter varios, planeque minutulos libertatis gradus distinctiones exstitisse asseverat, ut apta iis designandis verba, ne nostrae quidem huic eloquentiori aetati,

suppeditent.[1]) Enimvero ita se res habet; et si quos alios, Hungaros veteres certe, principio conditae per eos Monarchiae, in gradibus et progressibus his libertatis, cuique generi hominum, qui servi non essent, pro ratione instituti vitae eorum admetiendis, nobilissimoque hoc auctoramento, animis omnium communi devinciendis patriae, curam suam operamque omnem consumsisse, multis rebus, de quibus deinceps dicemus, intelligetur.[2])

---

[1]) Praeter hunc vide sis coronatam Fürthii: Von den Ministerialen Dissertationem de multiplicibus, praerogativaque et existimatione civili sane quam diversis, liberorum apud Germanos classibus p. 469 et alibi.

[2]) Monitum Aristotelis Polit. l. VI. c. 2. „oportet autem, ut cives omnes rei publicae sint amici, aut certe ne eos, penes quos summa est potestas, hostili odio prosequantur" et quae is hic de colligenda multitudinis benevolentia; l. VII. c. 13. de justitia et temperantia praecipit, moribus institutisque suis professi.

§ 28.

Meliores ea significat;

Quae itaque mea tandem sententia sit, quaeris: eadem, quae Fejérii. An curta illa, nimisque secura sui: Jobbagiones latine Meliores generatim significare? illa ipsa. Sed nempe in veteribus chartis nostris, Jobbagiones non summates modo, sed infimates quoque vocantur? immo vero et medii; verum tamen. Apage, nemo his istiusmodi, velut ex tripode verbis credat; neque id ego abs te, sed, ut dicentem audias, peto. Vocabulum Jobagio formam hanc latinam indutum, et ad nominis substantivi gradum elevatum omnino vernaculum nostrum: jobbak, itemque latinum meliores significat; adhibitum inprimis ad veteres per Europam loquendi formulas: meliores terrae,[1]) meliores habitatores Co-

---

[1]) In Capitular. Reg. Franc. Baluzii cap. II. a. 819. art. 2. melioribusque hominibus illius Comitatus. Apud Gregor.

mitatus, in hungaricum convertandas. Erat vero vocabuli hujus apud homines nostros gratia tanta, ut non Duces modo, Principes, et Comites, qui apud Belae Regis Notarium [2]) Thuróczium que [3]) alternis vicibus jam meliores, jam jobagiones scribuntur; verum retenta quasi primitiva adjectivi natura, eos omnes, qui natalibus aut muneris auctoritate, aut denique vivendi genere aequalibus praestarent, Jobagiones vocarent. Dispalato hoc appellationis Jobagionum usu, [4]) omni liberorum colono-

---

Turon. l. VI. cap. 45. „Chilpericus, ait, convocatis melioribus francis et fidelibus. LL. Edv. Reg. cap. 20. apud Vilkins p. 20. Summeret duos de melioribus sui Friburgi et duos de melioribus unius cujusque Friburgi et ita se duodecimo existente purgaret se forisfacto. Confer cum his lit. judiciarias sec. XI. et XII. de terra Dombro editas; harum primae a. 1093 desinunt in voces, „aliisque quam pluribus ejusdem terrae melioribus (Cod. D. II. pag. 110) secundae de a. 1163 (ibid. p. 166) jam Nicolaum filium Pauli et Jobbagiones Simeghiensis castri“ habent, sensu synonimo.

2) Cap. XI. Dux Lodomeriae duos filios suos cum omnibus filiis Jobbagionum suorum, Duci Almo in obsides dedit; cap. 30. melioribus habitatoribus terrae, qui filios suos in obsides dederunt, cap. 57. Dux vero et sui Jobbagiones obviam ei processerunt.

3) Partis II. cap. 61. misitque (Colomannus) cum eo (Almo) duos Jobbagiones sub praetextu honorandi eum. Jobbagiones hi Thuroczio quoque meliores vocantur P. II. cap. 57. Copulch vero, et meliores mortui sunt.

4) Eadem apud nos vocis Jobbagionis, quae apud Francos populosque originis germanicae vocis Arimannorum fortuna fuit. Proprie liberos homines significavit (vide exempla apud Murator. rer. ital. T. I. p. 735, 739) usu ad vulgus omne translata. Recte itaque Meyerus laudat observationem Bignonii ad Markulph l. I. form. 18. „sane eo nomine (Arimannorum) servorum seu colonorum speciem significari, multis ex instrumentis manifestum est.“ Tributum denique omne Arimaniam dictum Meyerus disputat; adjicerem: probatque; si Savignius o. c. T. I. p. 192—214 patere-

rumque (nam hos etiam velut prae servis mancipiisque meliore conditione habitos, jam a primo Jobagiones dicere libuit) discrimine confuso, res poenitendae videri operae potest, vocabulum inconditum, vagumque [5]) per cuncta sequi diverticula, spinis et vepribus obsita et ex his recessibus in apriciora proferre; sed nos caepta prosequamur.

---

tur. Conf. etiam Aldermannos Spilmanni. Praeter appellationem meliorum (Jobbagionum) ocurrunt in legibus Hungaricis (vide Bullae aureae art. 11. Decr. And. III. de a. 1291 art. 11. Regest. Varad. num. 26, et 357) etiam boni homines. Verba haec liberos homines notare J. C. de Savigni Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter, I. B. p. 160. et seq. clarissime docuit; quod ita apud Hungaros quoque observatum.

[5]) Instar exempli sunto: Literae Mathaei Bani Slavoniae apud Kercselich Hist. Ecl. Zágráb. T. II. de a. 1270: Nobiles et Jobbagiones castrorum haec jura regni et Banatus redacta in scriptis nobis exhibuerunt; item: super terris Nobilium vel Castri Jobbagionum dicari, commorantes in terris his, non debeant, sed Jobbagiones eorum. In diplomate Lad. IV. de a. 1279 Jobbagionibus castri Zágráb elargito: „nullus collectorum Jobbagiones in curia Jobbagionum castri existentes dicandi habeat optionem.“

§ 29.

adhibeturque in chartis veteribus ad Optimates, equestremque Ordinem indicandum;

Jam primum vox ea veteribus meliores et majores, nullo sacri profanique ordinis discrimine, idem igitur, quod apud Romanos Cives optimo jure significabat. [1]) Ingenuos Leonis sapientis, liberos Constantini

---

[1]) Cod. Dipl. II. p. 184 ad a. 1171. „Jobbagiones: Ambrosius Banus cet.“ Kat. II. Cr. V. p. 276 ad a. 1217 „nostrorumque Jobbagionum: Petri videlicet Geuriensis Episcopi cet. „Mager orzagnak feu jobbagy es nemesy“ in vita b. Margar.

Porphyrogenetae, divique Stephani; et denique milites hujus repraesentat in formulis: Jobbagionum a generatione; Jobbagionum naturalium, Jobbagionum S. Regis; Jobbagionum castri, qui vulgo Jobbagiones S. Regis [2]) király fia item [3]) dici amabant, omni reliquo praeter solemnem Regis comitatum, qui et ipsi Jobbagiones Regis appellabantur, armigerorum genere usque eo superiores, ut gradu hoc moveri instar esset supplicii. [4])

---

[2]) Regest. Varad. § 304. Quidam ex Jobbagionibus castri stetit, in ordine Jobbagionum naturalium, qui scilicet Jobbagiones S. Regis nuncupari solent; tunc acceperunt quidam de Jobbagionibus S. Regis et rejecerunt illum, de ordine suo, dicentes: quod ipse non esset de ordine et gradu Jobbagionum S. Regis. Ibidem § 134. villani de Hócz impetiissent 4 villanos de Iku; quod essent quidem Jobbagiones, sed de Castrensibus exemti; illi autem dixerunt se naturales Jobbagiones esse. Ibid. § 143. Jobbagiones castri de Szathmár impetierunt quosdam, quod Jobbagiones essent de Castrensibus exemti; ipsi vero dixerunt se esse Jobbagiones naturales, qui scilicet Jobbagiones S. Regis appellari solent. Ibid. § 146. Castrenses de Kornuzd impetierunt quosdam pro concivibus suis; illi autem dixerunt se Jobbagiones esse a generatione: qui scilicet liberi S. Regis dicuntur. Ibid. § 248. Multitudo castrensium de Borsoud et quidem Jobbagiones ejusdem Castri; omnes alii Jobbagiones tam exemti, quam liberi S. Regis. § 323. filii Jobbagionum S. Regis de villa Gyan, et filii Jobbagionum descensum Comiti persolventium de alia Gyan, et item de tertia Gyan Castrenses.

[3]) Tud. Tár. de a. 1837 in literis a. 1287 separant ipsam villam a terra nobilium Király fia dictorum.

[4]) Vide lit. Stephani V. a. 1269 filiis Nicolai de Gostun, qui primitus Jobbagiones Castri, per calumniam in numerum spiculatorum inciderunt, et rursus in numerum servientium transferuntur, collatas.

§ 30.

adjectis ea causa variis epithetis,

Liberi, Jobbagionesque naturales, in prima styli curialis adolescentia, etiam Jobbagiones honesti,[1] Jobbagiones Majores,[2] altiores,[3] et proceres Jobbagiones [4]) vocabantur, in literis Regum, non item legibus.

---

[1]) Steph. Jun. Rex a. 1263 „filii Jobbagionum castri Albensis, qui descensum Comiti dare consueverunt, suplicarunt cet. nos igitur eosdem de hujusmodi statu ipsorum eximentes, in numerum et collegium honestorum Jobbagionum ejusdem Castri duximus transferendos. Uno denario rem, quae est mille denarium Kovachichius meus aestimat, quando Disquis an, et quid inter nob. et ser. interfuerit § 13. et 20. voces Dipl. a. 1225 manu celeberrimi Notarii Belae IV. exarati „de honesta societate servientium Regis" hoc seculo in summo habitas pretio, ex praesenti vulgari usu, bona alioquin fide interpretatur; credo enim et eas Ladis. IV. de a. 1279 literas, quibus Sagittarii de Zegved in numerum et dignitatem regni nobilium, qui vulgariter servientes vocantur, cum praerogativa, eminentia et honestate aliorum regni nobilium" transfert et alias Belae IV. (IV. v. 3. p. 518) quibus „honestatem et nobilitatem Jobbagionatus" pro synonimis accipit, eum latuisse.

[2]) Andr. II. a. 1215 „Homines Side (Sidó) Alg (Agg hodie), qui editi a suis progenitoribus Castrenses fuerant, a jurisdictione Castri Posoniensis eximimus, et hujusmodi libertate donamus, ut praeter omne conditionis obnoxiae debitum, inter Jobbagiones S. Strigoniensis Eclesiae legitimo titulo computandi fore censeantur et eadem, qua Majores ex iis libertate potiantur."

[3]) Dipl. a. 1266 „quod homines de villa Basth, qui de altioribus Jobbagionibus Castri Bolonduch oriundi fuerant."

[4]) Steph. II. de a. 1165 „istos homines suburbanos Posonienses, a castrensi servitio subduxi, eo tamen tenore, ut inter proceres ejusdem Castri, proceres, filii scilicet (sancti)

Stephani Regis existant. Adde ad haec literas Komlosiorum plurimi in hanc rem omnem usus, ad coronid. Cod. Dipl. in Syll. Dipl. ab a. 1401—1553 in foris probatorum, p. 231. Horum antenatus filius Isabor serviens novi Castri (Sáros) numero Jobbagionum Castri, qui vulgo Jobbagiones S. Regis appellantur, a. 1251 adscriptus; a. 1261 alio Belae privilegio a debito, quo (velut ex castrensibus exemtus) Comiti de Sáros tenebatur, solutus est, ea conditione, ut porro quoque in deferendis ad Russiam legationibus serviret. Hujus filios Lad. IV. Nobiles de Comitatu Sarus appellat. Fiscus Sigismundi R. posteris horum; quia veri nobiles non appellantur in lit. Lad. IV. litem intendit; at vero causa cecidit coram Curia Regis. Quod constanter in oculis habere oportet cunctos, qui argumentum praesens perpolire perrexerint; id vero, nisi abuti operam velint, nunquam non meminisse: judicium Curiae Regiae inde usque a principio Regni, moribus institutisque Hungarorum, auctoritatem habuisse legi scriptae proximam.

§ 31.

quibus hi veri, primi et naturales Jobbagiones, et Nobiles (naturaliter Servientes Regales Ladislai IV.; veri Nobiles exercituantes Ludovici I.) a Jobbagionibus castri,

Splendida proedriae civilis vocabula haec, et quae per se pluris est, quam, quae adhuc diximus, omnia, pervetus eademque plane vernacula apud Hungaros formula, ex qua „Jobbagiones alii erant, qui terras suas vendere possent; alii, qui vendere non possent [1]“ partim sua sucreverunt sponte, partim Cancellariae Regum increbuerunt usu, ad hunc primorum, verorum et naturalium Jobbagionum, seu ut Diplomata alia loquuntur „primorum, verorum et nobilum

[1]) Confer cum his notionem allodii l. II. § 9 (5) verbis Guilielmi Brit. datam et literas Cap. Jaurin. de a. 1230 (apud Schwartner de Scult. p. 146) „Joubagionibus Castri Musuniensis assistentibus, et affirmantibus, quod ejusdem conditionis sint, cujus et ipsi sunt, qui libere terram suam possunt vendere.“

Jobbagionum" [2]) seu quod Ladislaus IV. apposite dicere solebat „primorum, verorum et naturaliter Servientium Regalium" [3]) verorum denique nobilium exercituantium Ludovici I. ordinem, a Jobbagionibus castri art. XIX. Bullae aureae And. II., sensu stricto acceptis, distinguendum.

2) Ita proceres Jobbagiones Castri Poson. de Nyék Lad. IV. (C. D. V. 3. p. 253) interpretatur.

3) C. D. V. 3. p. 357 „eadem fruantur libertatis praerogativa, qua veri, primi et naturaliter servientes Regales gaudebant. Jam antea idem V. 2. p. 544 eosdem, tamquam veros et naturales servientes nostros Regales, ultra Dravum constitutos, juxta libertatem eorundem Nobilium duximus eximendos.

§ 32.

seu Bellatoribus, Servientibus, exercitualibusque castri, et reliquo populo castrensi,

Hi, quod partim armis, partim opera rustica rei militari inserviebant, primos, veros et naturaliter Servientes Regales gradu quidem libertatis proximi, sed quod ex instituto d. Stephani solam modo possessionem, non etiam dominium haberent agrorum assignatorum sibi, haud modico intervallo proximi sequebantur, justis intra se quoque spatiis divisi. Priores erant bellatores [1]) seu Servientes castri, qui ultra munus militiae, descensum quoque Comiti castri praestiterunt, idcirco in vernaculo Szállás adó Jobbágyfiak, filii Jobagionum descensum (hunc

1) Regest. Varad. num. 10. „Petrus Joubagio Castri Borsod impetiit Castrenses ejusdem Castri cet. quod officium eorum esset carceres custodire; illi autem dixerunt, quod milites quidem Castri essent ad belligerandum, non ad carcerem custodiendum." Ibid. num. 44. „Quidam impetiti, quod castrenses essent, castrensium pensione, censu, debitores; e contra dixerunt: se non Castrenses esse, sed Castri Jobbagiones."

Szállás nostrum significat) solventium [2]) dicti. Quibus gradu inferiores Castrenses ceteri (rustici) stabant, numerum si spectes, multis partibus plures. Semper hi quoque omnes vulgo Jobbagiones audiebant, eodemque hoc post naturales Jobbagiones, naturaliterque Servientes Regales, in diplomatibus vetustissimis collocabantur ordine, quo nempe ad maximum Arpadi adhibiti feruntur convivium. [3])

---

[2]) C. D. IV. v. 1. p. 381. Fluctus in simpulo excitare velle videatur, qui Szállás adó, Galacs, seu, ut nunc effertur, Kalács adó legere in animum induxerit. Mihi par lectionis utriusque ratio est. Neque enim Szállás proprie domum isthic significat, pro qua in praesens tentoria erant; sed panem inprimis et pecudes et quae alia hujusmodi, rebus ipsis olim; postero tempore autem, ac maxime aetate Regesti Varadiensis (num. 323) per filios Jobbagionum pecunia praestabantur.

[3]) Belae R. Not. c. XLVI. „Fercula, pocula portabantur Duci et nobilibus in vasis aureis; Servientibus, et rusticis (Jobbagionibus Castri ad num. Reg. Varad. 183. sub t. accuratissime explicitis) in vasis argenteis.“ Quae mihi auream illorum, argenteam horum libertatem significant; an vere, paullo mox videbimus. Ad eosdem servientes hos pertinent verba Belae IV. (IV. p. 288) Nobiles autem non habeant ibi aliquam portionem; nec illi habeant quidquam, qui sunt de genere servientium.

§ 33.

Colonisque privatorum secernantur, quibus aeque Jobbagionibus nomen erat.

Castrenses Jobbagionum retinuerunt nomen etiam postea, quam fracta d. Stephani lege, [1]) Eclesiis, privatisque aliis per Reges sequentes, hac passim conditione conferri caeperunt „ut ne quid de priori libertatis eorum statu ... minueretur.“ Libertinorum significatu accipitur

---

[1]) Lib. Decr. II. cap. 6 et 35.

vox haec jam in literis d. Ladislai Eclesiae Veszpremiensi [2]) datis; deincepsque inde Jobbagiones dicuntur Coloni quoque privatorum, qui mitiore prae aliis justae et clementis servitutis conditione fruebantur. [3]) Neque est, quod humanam apellationem hanc incolis regni, qui in vetustissimis chartis ministeriales simul, libertinique majoris et minoris libertatis appellantur, per Majores Hungarorum pro ea, quae generosissimorum quorumque, uti pridem Thucidides monuit, maxime propria animorum est, simplicitate nobili communicatam, quam potius sequentis cultioris, si placet, aetatis animorum duritiam aegre feras, per quam primaeva Colonorum illorum conditio huc decidit, ut Scriptores ad nostram etiam memoriam existerent plures, nec mediocri fama, qui hominum classi huic servis, quam libertinis propiori, laetum id Jobbágionum nomen, nisi palmari hujus abusu, et nescio qua commutationum civilium tempestate atribui potuisse contenderent. Sed posteri aevi labes haec rogatis, ante superiores hos decem annos, legibus jam detersa, et multa praeclara, quia ad priscae Majorum liberalitatis laudem propiora, constituta sunt. De hac amplius postmodum, hic unum subjungam: nostrae huic vernaculae appellationi Jobbagionum, non Ludovici I. [4]) non Andreae III., quae quorumdam eruditorum opinio est, verum multo anteriori aetate, hanc obvenisse fortunam, ut Cmetonum seu Agricolarum significatione, Jo-

---

2) Vide eas ad annum 1081 apud Katona et in Cod. Dipl. Item Reg. Varad. praesertim ad num. 56, 81, 123, 234, 269, 288, 327, 334. Priv. Abb. mont. Pann. a. 1221 „item Jobbagiones, quos M. Geurg pro remedio animae suae reliquerat. Aliud, ex cujus sensu Praeceptor domus Hospit. de Alba super morte Jobagionis sui ordine judiciario Archyn traxit in causam.“

3) Fieri enim secus nequibat, ut indicio quoque Reg. Var. num. 252, 254, 305 plurimi alienigenae conjobbagionatum apud eos amplecterentur.

4) In literis, quas Ordinibus Poloniae, Cassoviae [illegible]ixeque dedit, „Cmetones, habet, sive Ivagiones et Jobagiones“ ad K[illegible]na.

baiones apud Polonos jam anno 1255 in familiae [5]) servitiorumque liberalium numero ducerentur.

[5]) In lit. Boleslai Cracov. et Sandom. Ducis, cui Cunigundis, patre Bela IV. nata Conjux (in Supl. ad anal. Scep. pag. 69, 70) „demum praedictos homines Cmetones (agricolas) Jobaiones in villis eorum cet.“

§ 34.

Jobbagiones (Jobbagiones equites, exercituales) dicti sunt generatim milites ex Colonis, Udvarnicisque lecti.

Quos d. Stephanus, praeter liberos ducentos milites, Eclesiae Pécsvaradiensi dedit [1]) ministros, qui serviunt cum equis, 156; hos de genere libertinorum homines, Andreas I. in privilegio Eclesiae s. Aniani de Tichon collato, [2]) equites, Reges alii Jobbagiones equites, Jobbagiones servientes cum equis, Jobbagionesque Eclesiarum exercituales vocant. Idem Udvarnicis Regis, Reginaeque nomen, qui munus militiae, contribulibus suis, [3]) thavernicis, buchariis, cocis cet [4]) lege d. Stephani impositum praestabant, in verna-

[1]) Cod. Dipl. I. p. 296 sequ.

[2]) Ibid. p. 388. Confer cum lit. Belae IV. (IV. 3. p. 418) de reducto horum Jobagionum equitum numero.

[3]) In literis Bissenorum de Arpas (III. v. 1. pap. 362) de a. 1222. „Super Jobbagiones eorum, qui per se possunt ire in exercitum, Curialis Comes non potest descendere.“

[4]) Steph. V. de a. 1266. Cum Sandur cum tribus fratribus, qui de Jobbagionibus thavernicorum Dominae Reginae originem ducunt; item Beud, qui fuerant Jobbagiones exercituantes populorum Dominae Reginae, item Bolosoi, qui de populis Buchariorum Regalium fuerant, item Doma, qui servitium coquorum Do-

culo lovas legények, ab hirta, qua utebantur, veste (guba hungaris) etiam gubati dicti. [5])

minae Reginae exercebat, multa fidelitatis opera in acie M. Agazonum Curiae Reginae exhibuissent, et in expeditione contra Cumanos decenter armati, habiles, utiles parati fuissent, cum tota terra eorum in numerum et libertatem Servientium nostrorum Regalium, cum plenum gubernaculum fuerimus adepti, duximus transferendos. Idem a. 1270. Dominicum de populis castri Zaladiensis, qui in officio thavernicorum plurimum servivisset, sub castro Feketeholm vulneratum cum fratribus de conditione pristina exemtum in numerum Servientium regalium cum terra ipsorum transtulit.

[5]) Occurrit Gubatorum nomen in lit. And. II. de a. 1213 (C. D. III. p. 149). Qui fuerint? ex diplomate Belae IV. (IV. v. 1. p. 295) patet, quo homines castri Trenchin, qui Regi in Cabatis (guba, Kabát) servire consveverunt, pro eo, quod se in armis militaribus servientes assumserunt, in numerum Jobbagionum s. Regis castri ejusdem cooptavit. Bene itaque Carolus de Aquino et post eum Henschelius in Du Cangeio suo colligit ex Decreto Mathiae R. „Conclusum est, quod tam nobiles, quam eorum familiares et jobbagiones sedem judiciariam inermes ingredi debeant" nomen Jobbagionum militiae etiam genus significasse.

§ 35.

Magistratus denique castrorum et praefecti municipiis.

Populo castri praefecti qui fuerant Major, exercitus, Castellanus, ceteri universe, itidem Jobagiones castri dicuntur in Regesto Varadiensi aliisque Diplomatibus. [1]) His Comes praefuit; Literae igitur, quas

[1]) Regestum Varadiense plurima exhibet usus loquendi veteris, quo honorem Jobbagionis habere, et gerere Magistratum synonimum erat, exempla num. 110, 111, 157, 158, 254, 329, 358, 360, 368 cet. ad quos formula „Jobbagiones castri, scilicet: alia item: „coadjuvantibus eos Jobbagionibus ejusdem castri scilicet:

primus ad Magistratus hos, quantum quidem sciam, Bela IV. dederat, Comiti et Jobagionibus castri inscribuntur. [2]) Abiitque formula haec in consuetudinem non ante seculum quartum decimum desitam. [3]) Medio tempore nomen idem Primoribus etiam vicorum [4]) et municipiorum atributum legimus. Et appellatio quidem Jobbagionum apud Hungaros veteres tam late patuit.

Egeben Principe exercitus, Isaac Centurione, Beda Hadnagy (n. 254) Magistratum castri notat. Quod Tomka Szászkyus ad num. 110 notamque huic sub e) adjectam non satis vidit clare; licet vox Jobbagio, significatu Magistratus jam ad num 42 occurrat „Jobagiones de Bekves conquesti sunt Domino Regi Andrae super Sab et Sycund dicentes, quod injusti Jobbagiones essent, et dilapidatores rerum populi et depauperatores omnium Castrensium." Confer etiam lit. C. D. IV. 1. p. 140.

[2]) Ita a. 1248 (IV. 2. p. 14). Quapropter praecipimus universis Judicibus, ac specialiter Comiti de Neugrad ac Jobbagionibus ejusdem castri.

[3]) Rege Carolo Roberto, cui formula haec aliquamdiu ipsi etiam usitata fuit; e. c. in literis de a. 1339 (VIII. v. 2. p. 425) „mandamus, quatenus una cum Jobbagionibus castri accedatis ad faciem terrae."

[4]) In lit. Bissenorum de Arpas superius citatis „questi sunt, quod eorum libertas per Lucam, eorum Comitem per nos (Palatinum) constitutum, fuisset diminuta; Lucas respondit, quod nihil ex se ipso fecisset, sed in omni, juxta quod Mike jobagio eorum, qui eum praeibat, in debitis exigendis, et in aliis instruxisset, eo modo processisset. Quam ob rem idem Mike, tamquam destructor libertatis fuit judicatus, ita, quod nec ipse, nec aliquis successorum honorem jobagionum possit adipisci. Dicti vero Bisseni timentes, ne in posterum Jobagiones vel Comites eorum, libertati eorum denuo contradicerent" cet. Idem sonat illud in lit. Mich. Piucern. R. Mag. de a. 1253 „universi Jobagiones buchariorum Domini Regis" idem: duodecim de melioribus villae Zombathely IV. 1. p. 132.

2. *De notione Comitum.*

§ 36.

haec multiplex est.

Nomen item Comitis quintuplicium acceptionum explicatur ex aliqua: [1])

[1] Conf. doct. Diatr. Spelmanni de Comitibus.

a) Ita vocantur, qui itinera, castra Regis, majorum Sacerdotum, universe Dominorum comitantur.

1. Magnus et nobilis apud Hartvicum d. Stephani Comitatus.

§ 37.

generatim eos omnes, qui de regali domo censebantur significat.

Erat jam aula Ducum Hungariae splendida, principibusque viris, quorum alii constanter lateri eorum adhaerebant, alii pro muneris cultusque ratione xe provincia adfluebant, frequentissima. Nihil de veteri hoc, quod jam apud Atilam floruisse vidimus, instituto per Protoregem mutatum, ut qui potius id impense dabat operam, majores ut quique non ornamento solum, sed praesidio quoque regiae domus alterni, ad dies autem festos maximo, quo fieri posset, numero adessent. Magnum ac nobilem ejus, et sequentium Regum Comitatum fuisse ex Hartvico, [1]) Gaufrido, [2]) Rogerio [3]) plane intelligitur,

[1]) Hartv. „descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu, in loco campestri fixis tentoriis.“

[2]) Gaufridus Monachus S. Benedicti dictus Malaterra apud Murat. T. V. p. 599. l. 4. c. 25. „et cum semper frequens et numerosa manus, ex more cum Rege sit, innumerabilem turbam plus solito rumor nuptiarum conflaverat.“

[3]) In miserabili carmine „jura Comitatuum erant diminuta, ex quo viros Comites non haberent et cum incederent, simplices

cujus in numero praecipui qui erant, Comites, Comites Regales, [4]) Jobagiones item Regis; [5]) universi Domus Regia, Domus regalis [6]) dicebantur.

---

milites propter diminutionem Comitatuum putarentur.“ Apud Th. Arch. Spal. c. 39 „Comitatus Regis (Belae IV.) Rex est, et totus flos reliquorum Hungarorum.“

[4]) Vide lit. cap. Strig. de Gregorio Gyarmath per Belam IV. in numerum Comitum Regalium relato. Cod. Dipl. VIII. v. 3. pag. 121.

[5]) Ex his est Conradus, qui a. 1172 monasterio S. Benedicti in m. Pannon. donum facit. Domalebus item, qui ut infidelis consilio omnium Jobagionum Regis a. 1223 amissione omnis terrae suae mulctatur.

[6]) Biographus S. Gerardi c. 10. de S. Steph. „quem Cenadinum (nepotem ex sorore) constituendo Principem domus Regis.“ Andreas II. Stephanum Kaal „cujus atavus cum Gyzela S. Stephani consorte ex Alemannia advenisset, et in officio reginae illius perstitisset“ in pristinum libertatis titulum restituens, in domum suam regiam recipit, vultque ut tam ispse, quam ab eo descendentes de Domo et Familia Regia de cetero (deinceps) computabiles habeantur. C. D. IX. v. 7. p. 270. Cum quibus literas, age sis, contende indicatas pag. 22, ex quibus ac specialiter formula „introducti in participationem regalis domus“ quam late sententia vocum harum patuerit, satis intelligitur; plane iisdem quippe hanc, quibus adsectatorum Atilae apud Priscum nomen, fuisse spatiis praefinitam. Locum hujus l. I. ad § 10 subjunximus.

2. *Comites in Legibus ejus, sensu strictiori, pro Senioribus (Dominis) accipiuntur.*

§ 38.

quos Bela III. Magnates vocat

Comitis significatu hoc scribuntur ad calcem diplomatum antiquorum et alias: Episcopi, Principes, et universi, qui pro amplitudine praediorum plures tenuerant

gentes; divo Stephano pro communi vocis hujus ea aetate acceptione Seniores. Sed appellatio haec apud Gallos in voce: Seigneur, Italos: Signore etiamnum superstes, in Hungaria vetustatem non tulit. Vocabulum Magnatum recentius (primus hoc Bela II. ad calcem Diplomatis de a. 1135 fortuito; nam proprie, signateque Bela III. usus est) idem, quod Seniores, Comitesque Stephani pollet. [1]) Barones enim Nobilesque, sensu Romae veteris, significat Rege eodem interprete; [2]) quos Hungari pro avito jam in Asia cultu Ur, Urak, Urfiak (Dominos) porro appellare perrexerunt, manetque vernacula consuetudo haec in tabulis legum hodieque. [3]) Principem hi Domus Regiae Ordinem constituebant, omni Comitum Parochialium, Palatinorumque jurisdictioni per leges sanctorum Regum exemti, diversique non modo a Servientibus, quorum novo nomine hoc, alias pro majoribus quoque Regum ministris usurpato, is itidem Bela priscam militum appellationem commutavit; [4]) verum ab eo quoque Servientium Regalium ordine, quem filii et nepotes ejus, ad sarciendam pereuntis ignavia sua veteris Regum Comitatus jacturam, variis Aulitum [5]) Fa-

---

[1]) Cum multis, ait ille, a. 1186 tam Magnatibus, quam Servientibus et Jobbagionibus castri.

[2]) Idem in lit. b. Petri Quinqueecl. de anno 1190 „cujuscunque fastigii Baro, Nobilis, Serviens Regius, Castri vel Castrenses, hospitesve nostri" cet.

[3]) Verbőcz. I. tit. 1. § 1. Decreta Regum, quibus sanctionem rogatis addunt legibus. Hac forma: conclusis tandem et finitis diaetalibus tractatibus „iidem Domini (Praelati, Barones, Magnates) et Nobiles ceterique SS. et OO."

[4]) Jam in literis de a. 1156 (II. p. 139) Betlen Bors serviens Regis vocatur; quod non secus, atque literarum de a. 1262 (IV. p. 73) verba: Si Comes Palatinus noster Baronibus seu Servientibus charissimi Patris nostri cet. ministros majores notant.

[5]) Ex literis evulgatis, antiquissimae hodiedum sunt Emerici Regis, quibus Zerzovaium Jobbagionem Castri Posoniensis de Jóka

miliaeque Regiae et Regalis familiae militum [6]) nominibus, ex vicina acceptis Germania [7]) exornatum, meliori, ut videbimus, animo, quam successu aut instituerunt ipsi aut percoluerunt.

Aulitum ordini huic adscribit. Katona H. C. IV. p. 466. Similes Belae IV. quibusdam Castri Bolonduch datas Jobbagionibus literas exhibet. C. D. IV. v. 3.

[6]) Bela IV. a. 1224. „Radus et Fratres tanta donavimus praerogativa libertatis, ut tam ipsi, quam ab eis descendentes de domo et familia nostra censeantur.“ Steph. V. a. 1265. Clementinum et alios de genere Dobra Jobbagiones Castri Bachiensis ex his eximit adeo plene, quod de cetero de domo Regia in numero Servientium Regalium computabiles habeantur. Judices per Belam IV. ad requirendas terras Castri constituti a. 1238 „filii Mihedus de villa Druzmoth ex familia Regis“ terras haberent cet.

[7]) Frider. I. Imp. apud Radevic. de gestis ejus „Comes Ecbertus cum quibusdam aliis Nobilibus et regalis familiae militibus“ cet.

3. Qui Comitatum Curialem majorum Sacerdotiorum constituebant.

§ 39.

nam et hi Comites dicebantur olim.

Praesules majorum Eclesiarum, quorum Curiae semper, ut videbimus, et vel maxime sub initium conditae Monarchiae hungaricae, effigies quaedam parvae et simulacra Curiae Regum fuerant, suum aeque Comitatum habuerunt ad similitudinem Regii. Pars hujus praecipua Jobbagiones Eclesiae Nobiles, qui personam Praelati stipabant; inferior Comites Eclesiae Curiales [1]) viri de ge-

---

[1]) And. II. apud Kollár amoenit. v. II. p. 45, equites per And. I. a. 1055 Abbatiae de Tihony datos vocat „Curiales Comites, quos ad tuendum salubriter populos monasterii sui, constituerat.“

nere Jobbagionum officii equestris, [2]) Jobbagionum equestrium [3]) Lovas legény dictorum; Jobbagionum Eclesiae cum equis, [4]) Jobbagionum liberorum, et quae alia horum erant nomina, qui Contribulibus suis generaliter incumbens populos Eclesiae tuendi; cum Praelato, quoties necesse foret, suo sumtu procedendi; omnia litigia Eclesiae manutenendi (defendendi) legationes, quo juberentur, deferendi; Comitatus Curiales vel alias provisiones, cum eis injungeretur, procurandi; munus [5]) speciatim in bello exequebantur, in legibus posteri temporis Gentes Eclesiarum dicti.

---

[2]) Cod. Dip. IV. 3. p. 419: filiis fidelium Comitum Eclesiae conceditur, ut in eodem permanere Jobbagionatu equestris officii possint.

[3]) In lit. Belae IV. libertinos Eclesiae de Sägh, in Jobbagiones equestres, qui vulgariter lovas legény nuncupantur, condonatos vides IV. 3. p. 277, quae simul ad notas quoque praecedentes faciunt.

[4]) C. D. III. 2. p. 192.

[5]) In lit. And. II. de a. 1214 descriptum Kat. Hist. Cr. T. V. p. 191 vide etiam lit. C. D. IV. v. 3. p. 419.

4. *Familiaribus, Servientibusque, Dominorum in bello.*

§ 40.

idem nomen

Literae per Magistrum Gregorium de genere Becse Gregor, Comitibus Petro et Thomae fidelibus et dilectis servientibus suis, a. **1298** datae [1]) non hoc tantum, quod hic loci delibare constitui, docent, sed probant simul, vere Ludovicum Tuberonem dicere: nunquam non solitum id

---

[1]) C. Dip. VI. v. 2. p. 150.

Hungaris equestris ordinis, ut duos pluresve Comites haberent militiae.[2]) Comites inquam, ut in literis, quibus Magister Georgius de Sóvár merita fidelis sui Petri Comitis dicti Pirus praemiatur;[3]) sic in plurimis aliis pro servientibus, famulis ac gentibus acceptos.[4]) Quo magis mirandum est, existere etiamnum scriptores probae alioqui notae, qui vocabulum Comitis generatim Judicis, aut Ispány significatu accipiendum autumant, eodemque errore et se, et alios jucundissima recordationis priscae Majorum in servos fideles munificentiae fraudare pergunt voluptate.

---

[2]) Apud Schvandtnerum T. II. l. IV. § 11.

[3]) C. D. V. 3. p. 397.

[4]) Sic Akalich parvus serviens Comitis de Zolom (V. 3. p. 122) et ipse semel atque iterum Comes dicitur.

5. *Notio Comitum Udvarnicorum.*

§ 41.

eadem

Ad significatum Comitum Udvarnicorum, post haec, ipsi jam quodammodo pedes ducunt. Non igitur multis contendendum mihi est: Jobbagiones hos fuisse officii equestris, qui in literis pluribus Jobbagiones Udvarnicorum sensu latissimo; in aliis, filii Comitum Udvarnicorum dicuntur.[1]) Munus horum erat, ut Contribules suos civilis conditionis pro virili tuerentur; his et alias et vel inprimis, dum apparatus bellicos, aut ad victum necessaria deveherent, semper praesto essent; horum denique in militia partes fungerentur.

---

[1]) Comites Udvarnici, qui filii Comitum Udvarnicorum dicuntur, habet Lad. IV. in lit. C. D. V. 2. p. 211.

§ 42.

Comitum nomen hoc

Quod usque adhuc, sensu bene latino, pro stipatori bus acceptum vides, nomen post aetatem Constantini M Imperatoris, ad significandos praeterea omnis generis Magistratus adhibitum, etiam

b) Judices notat:

§ 43.

Ordinarios Regni;

Duumviri, quorum alter auctoritate muneris prae ceteris, qui ad Aulam Regiam constanter excubabant summatibus viris conspectior; alter Magistratu apud populum uno inferior Rege fuit, Comites ambo, divo Stephano Curiales Comites regni [1]) dicuntur. Hoc idem pollet appellatio Comitum Palatinorum; usu tamen invaluit, ut alterum, qui ad latus Regis jus dixit, Comitem, Comitem Curialem Regis; alterum Comitem Palatinum, Comitem Magnum (Nagy Úr, per syncopen, Nádor Ispány) veteres nuncuparent.

---

[1]) In priv. monast. de Zala apud Katona Hist. Cr. T. I. ad a. 1024: „Sed judicio et potestate ac jurisdictione omnium Judicum, et universorum Comitum parochialium seu Vice-Judicum et Curialium Comitum regni sint exempti."

§ 44.

Judices, quorum ope Antistites Eclesiarum causas populorum suorum seculares cognoscebant;

Bini erant perinde: alter ad Curiam vulgo Curtem Praelatorum majorum; extra hanc alter in Concione po-

puli juri reddendo vacabat. Ambo peraeque **Comites**; sed ille Comes [1]) aut Comes **Curialis**; hic **terrestris** ad ceteras Eclesias: nam ad Metropolim Strigoniensem ille **Comes et Judex Curiae**, hic **Palatinus** Eclesiae hujus, more ab aetate d. Stephani tradito, in literis quoque Belae IV. privilegia Eclesiae hujus confirmantis appellatur.

[1]) Regest. Varad. n. 252. „Judice Nicolao Comite Transylvani Episcopi."

§ 45.

Rectores Comitatuum;

Comites olim provinciae, castri, parochiae; muneris horum administri, qui Vice Comites hodie, veteribus **Comites Curiales parochiani** dicebantur. [1])

[1]) S. Lad. a. 1091 (I. p. 467) „a judicio et potestate ac jurisdictione omnium Judicum Parochialium seu Vicejudicum et Curialium Comitum eorundem" inferius: „nec per praedictos Judices, Comites seu Rectores Comitatuum" cet. Literas ante me habeo Chaak Bani, Comitis Zaladiensis et Judicum aliorum a. 1268 per Belam IV. delegatorum (Pauli Jászai et ab animo suo et ingenio eximia rerum patriarum peritia exculto mihi charissimi munus), quarum verba haec „praesentibus Jobbagionibus Castri: Blasio Comite, Gothardo majore Speculatorum, Martino fratre eorundem, Oliverio majore exercitus" nisi usu ista calleas, facile ita interpreteris, ut Blasium illum Castro Praefectum (Castellanum) pro Supremo Comite accipias.

c) Quibusvis aliis praefectos muneribus seu publicis, seu privatis:

§ 46.

Archi officiis regni,

Qui palatinis praeerant officiis, Barones illi quidem, sed Curiales quoque Comites regni d. Stephano. In ho-

rum serie praeumbrante Duumvirum, de quibus commodum facta mentio est, fastigio proximus Thavernicorum, reliqui: Agazonum, Dapiferorum, Pincernarum Regalium erant Comites. Quos uti et quatuor principales Venatorum et Falconariorum Comites, Comitesque Praeconum, causa solum illustrandi multiplicis apud veteres appellationis Comitum usus, isthic attigimus; de officiis enim his alter erit disserendi locus.

§ 47.

officiis aliis generatim.

Loquendi formulae veteres „Comite fluvii Rába vulgo: Vám nagy dicto,“ item: „cum judaeus Teka Comes in reddenda ratione nostri negotii de opere Camerae remansisset“ ac rursus „filius Arnoldi quondam Comitis seu Officialis dicti monasterii, filii Feliciani olim Udvarnici ejusdem“ vocabulum Comitum, officii significatu sistunt. Quid plura? Stephani Comitis de Illésháza, summi ad memoriam nostram viri, sed jam emortui stirpitus, rei frumentariae ministrum qui Comitem, ipsum vero Illésházium nobilem dixisset, nae ille aut inepti homuncionis, aut maligni taxandus erat nomine; nostro hoc aevo certe: non etiam sec. XIV., cujus longe diversum horum vocabulorum usum verba literarum exaratarum a. 1342 „Comes Dyonisius dictus Magyar, officialis Nobilis viri, Magistri Pauli“ satis explicant.

d) significat Gravu Germanorum

§ 48.

vulgo: Gróf;

Simon de Kéza Append. C. I. §. 2. „ad Ducem Geicham venit Comes Tiboldus de Fanberg (Bamberg) qui Gravu (Gróf) Tibold est vocatus; unde de eadem pro-

genie Gravu quidem hodie usque simpliciter nominantur" Gróf utique hungaris, Comites latinis. [1])

[1]) De voce hac (Greve in lege Edv. Reg. Angl. per Guilielm. Conqu. confirmata scribitur) et tam varia ejus, quam vocabuli Comitis acceptione, ipsam hanc legem consule apud Vilkins.

e) et ad imitationem horum creatos per Reges Hungariae liberos Comites.

§ 49.

initio per Andr. II. facto.

Primus, quod quidem mihi constet, Andreas hujus nominis Rex secundus, filios Stephani olim de Goricza, quem Emericus Rex mandato Patris sui dominio Vodicha donaverat, expeditione Hierosolymitana praeclarissime de se meritos, usitato per Germaniam ritu „ex regali nempe solio, Praelatis, Baronibusqne et Proceribus coram, hisque assentientibus" Comites liberos, tituli veri, illibati et eximii creavit, hacque exornavit praerogativa, ut quibus ceteri quipiam veri, eximii ac liberi Comites regni Hungariae, aut in aliis quibuscunque regionibus constituti, iisdem et hi frui gratiis possint. [1])

[1]) Katona H. C. T. V. pag. 294. Literis his Andreas dictis Comitibus, haeredibusque largitur, ut solius tantum Regiae Majestatis subsint judicio: marturinae in Comitatu de Vodicha exigi; generales Congregationes, intra territorium ejus per quemcunque Baronum, et Justitiariorum regni celebrari nequeant. In numero Comitum ejusmodi (Barones deinde aut Domini banderiati vulgo appellabantur) fuit etiam Stephanus, cui Lad. IV. (C. D. V. v. 2. p. 278) concessit, ut populi ejusdem in banatu Slavoniae constituti collectam marturinarum et victualium, quae Solyosma nuncupantur, Bano Slavoniae nullatenus solvere teneantur; sed iidem populi Domino suo, prout ei videbitur, in eadem collecta debeant respondere.

Atque haec de multiplici apud veteres vocabuli Comitum usu hactenus.

3. *De appellatione Nobilium.*

§ 50.

Epithetum hoc principio infrequens,

Diu enim dignitatis, non ordinis apud nos vim hoc axioma habuit; est igitur id seu arrogantia seu sollicitudine nimia factum ineptissime, quod nescio quis, homo ille quidem rudiculus, l. I. Decret. sacri Stephani accuratissime scripto cap. VII. ad voces: Principum, Baronum, Comitum, Militum, nomen Nobilium, id temporis splendidissimum primumque, ad calcem appendit filo, quod nemo non videt, crassissimo. Ad sarcinam hanc Ignatius Comes de Bathiány Praesul Transylvanorum celeberrimus animum pridem advertit; aliam Kovachichius in vocibus: id est Servientem detexit, ex margine fortasse ad textum cap. XXI. lib. II. transpositis. Nobilem appellari, inter nomina honoris, apud nos non secus, atque in Curia Imperatorum Pontificumque Romanorum olim [2]) amplissimum; id vero plane ex more

[1]) LL. EE. T. II. p. 54.

[2]) Nobilium et clarorum virorum alii ex divitiis claritatem consecuti sunt, alii ex praestantia generis, alii ex virtute, alii ex doctrina et similibus, quae ex eadem differentia dicuntur, habet Arist. Pol. l. IV. c. 4. Jul. Caes. de Bel. gall. I. 21. „multis sese nobilibus, principibusque populi Romani gratum esse facturum.“ Cic. ad Attic. L. I. 1. „Cum perspexero voluntates nobilium, scribam ad te“ Liv. I. Nobilitate praeferrent, quorum avos Consules viderant. Ceterum vide Alexandri Adami antiquitates romanas per I. L. Meyerum in germanicum conversas T. I. p. 54 et Glossarium D. Du Cange Henschelii ad vocem hanc; et quae Rubino in suo: Untersuchungen über römische Verfassung und Gesch. p. 190. longe vero copiosissime Funke operis „Realschullexicon“ auctor celeberrimus ad vocem Nobilitas docet. His compendii causa adjungo literas Mathiae Notarii Belae Regis, (VII. 4. p. 82) ex quibus quantam et hominum

Hungarorum fuit, ut Reges, quoad viverent, Magnificos (Nagyságos) et naturales Dominos (természetes Urok) adfarentur;[3]) mortuos honoris „nobilium" praefatione recolerent.[4]) Neque hoc iis non gratum, quando ipsi, verbi sui regii sanctimoniam, adseveratione nobilitatis hujus adfirmare consveverunt.[5])

---

et rerum copiam voces: „terrae nostrae nobilis" significent, facillime intelligi cum possit; a dilatanda nota hac abstineo; hoc tamen testor confidentius, verba item celeberrimi Gvizoti „la noblesse est l'oeuvre du temps" (Essais sur l'hist. de France p. 233) utcunque haec de Francis veteribus se habeant; de Hungaris quidem verissima esse.

[3]) Lit. a. 1238 „Cum nos a Magnifico Domino Bela illustri Rege Hung. judices fuissemus constituti." Recepi literas Magnitudinis Vestrae, scribit Favus Abbas s. Mart. de monte Pannoniae ad Belam IV. (Cod. Dipl. IV. v. 3. p. 123) Ladislaus de avo hoc suo a. 1273 „privilegium Domini B. quondam magnifici Regis Hungariae." Aliae de a. 1274 habent „Privilegium Domini Andreae quondam Magnifici Hungariae Regis." Et rursus aliae a. 1305 „Agnes Magnifici D. Andreae quondam Regis Hung. relicta" cet. Quid tam multa? quia cum eruditissimo Schwartnero, mihi negotium est.

[4]) Legenda s. Lad. (Tudom. tár. a. 1834 v. 1) passim „nemes László Király et természet szerént való országos Urok."

[5]) Carol. Rob. in lit. a. 1315 „attendentes, quod regiae munificentiae promissum legitimum sortiri debeat effectum, ut juxta nobilitatis suae legem id, quod sponte tribuit, se debere existimet." Idem alibi, „ex debito nobilitatis regiae."

§ 51.

summisque tantum in regno viris,

Principio itaque ad Duces, Optimatesque in utraque rep. viros;[1]) post, ubi Praelatos venerabilium, Reveren-

---

[1]) S. Lad. l. III. c. 2. Nobiles majores. In fund. Demes. de a. 1138 Nobiles aulae nostrae ministri. In aliis Ec. Bud. de

dorumque Patrum nomine penitius discerni in consuetudinem vertit, amplissimus hic epitheti nobilium honos ad Barones regni et proximos his Magistratus pertinuit. Palatinus quidem, reddita muneri suo legibus Andreae II. prisca Judicis communitatis auctoritate, jam ipsis adeo Regibus Comes magnus,[2]) nonnullis strenuus miles; stylo tamen diplomatum constanti, et ille et Vajvoda Transylvaniae et ceteri Barones nobiles et honesti Domini appellabantur. Ex his satis superque intelligitur; Comitem Palatinum, ceterosque Barones regni, non olim, quam hodie, auctoritate minores; sed vim, decus, excellentiam appellationis: nobilium, honestorum, dominorum, prisca simplicitatis morum gratia integra, multo fuisse maximam, et quibusque nostri hujus aevi amplissimis titulis ampliorem.[3])

---

a. 1148: cujus rei causa multorum regni Nobilium signata est testimonio, quorum ibi praesentia adfuit (Episcoporum et Primorum.) Steph. III. a. 1165. „quae causa ut firma sit praesentia meorum nobilium: Lucae Archiepiscopi, Ombud Palatini, cet. adscribi feci.“ And. II. a. 1223 praesentibus nobilibus: Dionisio Palatino, Jula Bano cet. Praestito ab ipso Rege et Nobilibus suis, qui tunc praesentes erant, publice juramanto dicunt Praelati Hungariae a. 1223. Thu. P. II. cap. 39, 73, 84. Nobilium epitheto pro magnatibus et cap. 84 pro viris valde magnificis utitur. Apud Not. Belae R. vox ea capite 44 de Csepel insula „ut ducalis esset insula, et unus quisque nobilium personarum suam ibi habeat curiam et villam“ utique viros principes significat.

[2]) Bela IV. in lit. a. 1260: a magno Comite Rolando Palatino. Mich. Ország Math. Rege Palat. in Script. min. rer. hung. t. II. p. 30 aeque magnus Comes vocatur. Vide etiam hist. inaugur. Beatr. apud Schwandtnerum.

[3]) Lit a. 1247 „Coram nobili et honesto Domino Steph. Palat.“ Item a. 1264 „C. Dionisius Domino Rolando Palat. viro nobili et honesto“ a. 1275 „viro nobili et honesto Petro Pal. C. Simeghien.“ cap. Jaur. a. 1281 „quod nobilis vir Joannes

Palat.“ alibi de a. 1346 „cum ipsi citassent ad praesentiam nobilis viri R. Palat.“ Capitul. Varad. a. 1320 Literas nobilis viri et honesti Dause Vojvodae; „alibi: Constitutis coram nobis nobili viro Chelleo Vajvoda cet. Quid ni itaque dicere nobis item cum Corn. Nep. in Milti. liceat.“ Eandem omnium Civitatum esse naturam; ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti, sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Non igitur nullo etiam ad § 181 Introd. in rem dip. laudati auctoris temperamento opus est.

§ 52.

qui dignitate praestabant, tributum

Honorem Hungari, non honoris vocabulorum affectantes luxum, summum bonum in libertate, ac quod iis aeque magnum, synonimumque, in honestate posuerunt. Et cum huic militiae conditionem innexam, hanc vero totam in obsequio legitime imperanti debito sitam intelligerent; qui liberi, iidem Servi ejus dici adeo non recusarunt, ut in antiquo Szolga Geur, recentiorique Szolga-Biró, ipsum vernaculum Szolga nobilitarent,[1]) appellationemque liberorum Servientium cu-

---

[1]) Pudor quidam subrusticus in causa fuerit, quod nostrates locum apud Hartvicum, biographum d. Stephani, ex quo milites, servosque synonima Majoribus nostris fuisse nomina clarissimum fit, silentio praeteriverunt. „Multi e servis, scribit ille apud Schwandtnerum, quosdam gladiis caedentes, illorum res omnes abstulerunt“ subjicit deinde „Rex iis auditis, misit ocius ad tribunum, sub quo militabant illi, et ad certum diem jussit coram se sisti omnes.“ Vide etiam edit. Podhr. p. 79. in nominibus his plene consentientem. Peregrinus legum d. Ladislai compilator Szolga vernaculum latino ministri nomine expressit l. III. c. 21. § 1. „Si Comes fuerit; dupliciter cum 55 pensis; si minister: dupli-

pidis etiam auribus acciperent; siquidem perfectae haberet consummatissimaeque et virtutis et status sui civilis dulcedinem. Quod itaque d. Stephanus filium monet, ne quem eorum, quos patres illi fratresque esse velit, Servum nominet, non eo spectat, quasi vero ab appellationibus etiam Szolgám, Fő ember Szolgám, quibus pro insito sibi blandimento non aliae Majoribus nostris gratiores erant, universe abstinendum praecepisset; vis tota consilii huc pertinet: ut cum res grata, ingratissimaque alia, tam tenui distent confinio; summa caveat ope, ne quos dulci servorum suorum devincire sibi posset nomine, servos compellando, pro mancipiis habere, seu ut propriis rem verbis ejus dicam, in servitutem velle redigere videatur. [2]) Atque hic nominibus Szolgám, Fő ember Szolgám, seculo etiam septimo decimo, apud nos perstitit honor, [3]) aequalis ei, qui per Anglo Saxones vocabulo suo Knige habetur. Quod quidem ego cursim attingo; causam enim hujus, propiorisque alterius inter

---

citer cum viginti quinque pensis" cet. Sed usus appellationem ministrorum apud nos Udvarnokis cessit; quos vero Zolga (Servientes) in vernaculo, hos regni nobiles, juxta illud Lad. IV. (V. v. 2. p. 490) „in numerum et dignitatem regni nostri nobilium, qui vulgariter Servientes vocantur" ipsosque Judices, Zolga Biro, Judices Nobilium appellavit; cum alioquin jam in tabulis pacis inter Belam IV. et Steph. V. anno 1262 (Kat. T. VI. p. 360) confectis formula „Servientes, seu nobiles," iterum, iterumque adhibita, diplomaticam quoque nacta dignationem fuerit.

[2]) Cui ad haec non succurant Hungaro ea Cic. de Off. l. II. c. 14. „Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum, sic enim accepimus, quibus praecipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militesque blande appellando deleniant." Magnum profecto Stephanum! si illud praeceptum suum ab his; majorem, si horum insciens, ex se sumsit.

[3]) Valentini Homonnai vide Diarium cura erud. Soc. hung. editum.

Huscarlos horum [4]) Huszarosque nostros similitudinis aliis rerum harum curiosis exputandam relinquo.

---

[4]) Langebeck ad scriptores suos rerum Danicarum T. II. p. 454 de hac Svenonis Regis Daniae Cohorte praetoria plura, de iisdem et Buscarlis lege sis Spelmanni Glossar. p. 95, 195, 305.

§ 53.

sed jam sec. XII. ad Eclesiarum milites vulgatum.

Quae itaque Petrus Rex apud Simonem de Kéza facit, de Spectabilibus et Clarissimis Judicibus, verba non ille ab Hungaris sed Germanis sumsit. Mos erat Praesulum gentis hujus, usu jam ex longo tritus tempore, ministerialibus Eclesiarum suarum nobilium adscribendi epithetum. [1]) Morem hunc Pontifices Hungariae indidem acceperunt. Verba quidem Decret. s. Lad. l. I. c. 41. „Si quis vero nobilium seu militum, aut Comitum" alia item l. II. cap. 11. „Si quis nobilium vel militum" Compilatoris sunt aetatis incertae; at vero in Synodo Laurentiana, Colomanno Rege, celebrata (cap. 53) Patres Eclesiae hungaricae jam populum omnem in nobiles et plebem dividunt, habentque in paenis quoque decernendis accuratam duplicis hujus conditionis rationem. [2]) Deinceps inde autem non solum liberos, aut milites per d. Stephanum Eclesiis assignatos, nobiles harum Jobbagiones appellant; sed hos item, quos ipsi ex colonis exemtos in illorum retulerunt ordinem, seu ut dicere amabant, nobilitarunt. [3])

---

[1]) Hüllmann o. c. p. 446.

[2]) Apud Péterfi p. 61. „Si quae mulier a viro fugerit suo, reddatur marito suo semel et bis: tertia vice, si nobilis est, adjiciatur poenitentiae sine spe conjugii; si de plebe: venundetur, sine spe libertatis cet.

[3]) Lit. Steph. V. de instaur. privil. Ecl. Agrien. (Katona T. VII. p. 581) „mortuo Cleto Episcopo conditionarius Eclesiae praedictae,

videlicet Samuel, propter excessum infidelitatis, dejecta nobilitate, quem idem Episcopus nobilitaverat cet. cet. Confer cum his alias IV. v. 2. p. 749, in quibus verba „in numerum Nobilium Jobagionum Eclesiae nostrae statuendo" idem significant cet.

§ 54.

Styloque Cancellariae Regiae inter veterem, novamque nominis, nobilium, acceptionem fluctuante paradoxa multifariam enata.

Usum hunc Praesulum Eclesiae hungaricae Bela nominis hujus Rex tertius probavit palam, quando in literis b. Petro Quinque Eclesiensi datis liberos, seu milites hujus nobilium Jobbagionum exornavit nomine. Servientibus itaque seu Regis, seu Regni hoc jam tempore non idem tribui epithetum non potuit. Quare liberi quoque homines de Vajka coram eodem Bela „se esse liberos, dicebant, et militari armatu in exercitu Regis equitantes, tamquam decet nobiles Servientes" [1]) nulla neque Regis, neque Regni (Servientium) mentione adjecta. Seculi sequentis ingenium varium, ac in Regesto quidem Varadiensi, per omnes hujus paginas serium et ad priscae accomodatum simplicitatis decus; in plerisque contra diplomatibus Emerici ac praesertim Andreae II. fluxum, nec obscure stylus horum ad peregrinam inclinabat artem, liberos homines, milites s. Stephani, et quae alia Ordinis equestris prisca in Regesto illo nomina sunt, per plures non sine intertrimento avitae jurium aequabilitatis dividendi, partiendique gradus, inter quos ad pensandum prisci Regum Comitatus damnum, aliquid dignitatis interluceret. Literae Belae IV. de a. 1244 „quibus Udvarnokos quorumdam fidelium Servientium Comitum suorum" inter nobiles et fideles Servientes regni sui constituit, ut ea, qua fideles milites et no-

---

[1]) Katona Hist. Cr. T. IV. pag. 313. Confer etiam not. ad § 16. in Not. pr.

biles regni sui libertate gaudeant, nulloque, alio servitio teneantur, nisi in suo exercitu generali sub vexillo regio militent" sunt illae quidem, ut mox primo apparet adspectu, scriptae accuratissime, omnique numero absolutae; quod tamen optandum erat, ut quae deinceps ederentur literae hujus generis, ad hoc veluti prototypon essent accomodatae, sperandum ab adolescentia hac styli curialis hungarici non erat, cui nihil plane idem placuit diu. Reges ad haec et Servientes regni creabant, et vero caeptae nuper consuetudini, quos vellent, in numerum Servientium Regalium, seu Aulicorum [2]) cooptandi inhaeserant. Alia igitur ex aliis subnata sunt paradoxa. Jobbagiones quosdam de generatione (primi illi, consentiente omnium diplomatum fide, verique et naturales erant nobiles regni) in numerum nobilium Servientium Regis, Bellatorumque cum avitis haerediis, nulla licet nova liberalitatis regiae accessione auctis translatos videas: tamquam nec nobiles antea, nec bellatores fuissent; quae tamen praedicata (nobilium, et bellatorum) literae aliae Servientibus quoque Castri vulgo: filiis Jobbagionum Castri attribuunt. [3]) Liberi s. Regis

---

[2]) Cod. Dipl. IV. vol. 1. pag. 333. His ad amussin similes, magnaeque in rem praesentem utilitatis sunt Literae Ladislai IV. de a. 1279 (V. vol. 2. p. 490) quibus Sagittarios de Zegyved in numerum regni nobilium refert. Utrumque Diploma hoc ex Praelatorum, Baronumque regni profectum Consilio gratae formulae „inter nobiles ac Servientes regni" luce se commendat, scriptoribus plerisque aut neglectum, aut dum solas totiesque jam exscriptas Emerici, Andreaeque et nepotum literas admirantur, quibus per nomina Aulitum, Familiae Regiae, Servientiumque Regalium plus splendoris adspersum, aut de vexillo Regio magis sonantia adjecta verba sunt, silentio transmissum. Supinam incuriam hanc usus posteri temporis redarguit; horum enim formula haec diplomatum (Nobilium regni) post, neque ita multo, triumphavit sobrietatisque suae laudem hodieque servat.

[3]) Lit. Lad. IV. (V. vol. 2. p. 504) „ad regalium Servientium seu aulicorum numerum transtulimus" Steph. V. a. 1266 „de

(nam ex his etiam aliqui seu prolixa Regum in eos voluntate, seu quod ipsi hunc peregrini luxum tituli concupivissent, Servientibus Regiis, familiaeque Regiae accensi sunt), jam olim semper agros suos, instar proprietatis verae, et praediorum [4]) haereditatumque, [5]) jure tenebant, tamquam Servientes regni; tamen totum literarum, quibus hoc Servientium Regalium honore donati sunt, textum si percurras, ita ille comparatus est, ut lectori incauto venire in opinionem possit: haud modicum, tantumque ferme inter hos, qui Regis; istos item, qui Regni dicebantur, Servientes interfuisse: priores illi ut nobiles essent; hi non item. Quid? quod in literis nomine Meliorum terrae Zaladiensis (ita Jobbagiones provinciae hujus aetate SS. Regum vocatos alibi diximus) a. 1231 exaratis hi „universi Servientes Regis" (naturales utique)

---

jobbagionatu castri eximentes, ad numerum ceterorum servientium nostrorum regalium duximus transferendos ita, quod tam ipsi, quam eorum haeredes inter aulicos nostros computabiles irrevocabiliter habeantur." Filii Banana et Vahud (in Regesto Comitatus Thurocz. Bubekiano) ad a. 1258, filii Jobbagionum de Thurocz iidemque ibidem ad a. 1266 „fuisse et esse veri nobiles filii Jobbagionum de Thurocz" per Belam IV. dicuntur. Plura suo loco.

[4]) Andreas II. (Cod. D. III. v. 1. p. 198) a. 1217 „quod nos nostri fidelis Uruz Jobbagionis S. Regis de Zala servitium nobis in adventu nostrae conjugis impensum cognoscentes, ipsum a Jobbagionibus s. Regis de Zaladiensi Castro penitus exemtum, liberum et immunem permanere praecipimus, statuentes ut liceat amplius ipsi una cum fratribus, cum praediis, pariter eorundem ad eos jure haereditario pertinentibus aurea et perpetua perfrui libertate et inter Servientes Regis annumerari perpetuo."

[5]) Steph. V. a. 1267 (IV. v. 3. p. 413) „quosdam homines Symarth de villa Basch, qui de altioribus Jobbagionibus castri Bolonduch oriundi fuerant, de Jobbagionatu et conditione castri, qui adstricti tenebantur, penitus eximentes ad libertatem et numerum ceterorum servientium nostrorum regalium cum terris, quas habent haereditarias, duximus transferendos.

scribuntur, Nobilium autem epithetum militibus Eclesiae Veszpremiensis apponitur. Et rursus alibi, quia aetas Regum stirpis virilis Arpadianae, Nobilium (nobilium inquam, ne hoc idem de liberis quoque dici putes) pro habitu facultatum suarum, in majores et minores descriptionem non novit, horum adjectivorum significatu alii Nobiles, Seniores Nobilium,[6]) Nobiles honestissimi,[7]) alii Jobbagiones castri [8]) iidem, qui Nobiles honesti vocantur.

---

[6]) In literis, ex Congregatione omnium nobilium existentium a parte Danubii versus orientem in Hajoholm et Heves celebrata, per Steph. V. a. 1271 (V. 1. p. 153) editis, vide sis lumina nominis hungarici, qui ibidem XXV. Seniores nobilium de Dioecesi Agriensi electi dicuntur, plane similes horum, qui St. Steph. Decr. L. I. cap. 7 honestissimi Seniores nuncupantur.

[7]) Nobiles honestissimi (IV. 1. p. 149) vocantur quidam praeclaro genere Salamoniorum editi.

[8]) Nobiles et Jobbagiones castri in Dipl. Lad. IV. pro Cumanis edito (V. 2. p. 512) occurrunt simul, in quo adhibiti nominis Jobbagionum castri sensum totus literarum harum textus; simile item Mathaei Bani Slavoniae de a. 1270 (V. 1. p. 87) diploma, et denique literae Palatini Omodaei interpretantur (VIII. v. 4. pagina 661) „Cum Jobbagiones castri de Hung ad terram suam Keregen vocatam, de haereditaria sua possessione irruentes, antiquis metis, quamdam particulam addidissent — cum nolimus, quod terra alicujus nobilis per nos occupetur; nec admittimus nostra jura ab aliis occupari.“

§ 55.

quae iteratis reprobata legibus, cessare cum fine demum sec. XIII. caeperunt.

Ambagibus his, quas, nisi removerentur, aequatae moribus legibusque avitis libertati gravissimam injuriam

allaturas pars populi longe frequentissima, Jobbagiones a generatione, milites, Servientes Regii naturales hoc querebantur acerbius, quod Servientium Regiorum plures, veterum Comitum instar, ab ipsa adeo Palatini eximerentur Jurisdictione; Andreas II. Bulla aurea de a. 1222 et Decreto de a. 1231; sed is Andreas itemque Bela IV. tabulis legum a. 1267 intra modum fere cautionis tantum occurrit; enimvero non causae etiam, quae in affectatione moris peregrini, velut salebra haeserat, per eos subventum est. Plus in rem hanc Stephanus V. praestitit: aemulas Servientium Regalium et Nobilium regni appellationes formula: „in numerum Servientium regalium et coetum nobilium regni" copulando, mentione vexilli seu regii seu regni quod par utrique ad nobilitatem veram nec divisum momentum inesset, intermissâ. [1]) Axioma naturalium Servientium Regalium non ante Ladislaum IV. novimus, qui perpetuum hoc non tam liberalitatis, quam aequitatis suae contra obtrectatores exstare ad posteros testimonium voluit. Andreas III. ulterius progressus, ex inaugurali Decreto suo, utramque et Servientium et Jobbagionum appellationem expunxit; omnium vero plurimum Carolus Robertus, longo namque huic legum, ususque contrarii diplomatum regiorum certamini finem fecit. Magnificorum hic epithetum Baronibus regni, [2]) Nobilium et honestorum virorum axioma Vice Comiti, Judicibus nobilium, [3]) generatim

[1]) Cod. Dipl. V. 1. p. 137. Idem in literis aliis p. 210. Nobiles regni, et Servientes Regales pro synonimis, iisque accipit, qui pari cum primis, veris et naturalibus regni nobilibus libertate fruantur.

[2]) Ita jam in literis Alexandri Jud. Cur. de a. 1327 „in praesentia Nobilis ac Magnifici viri Domini Philippi Palatini," Tudom. Gyűjt. a. 1836 v. IX.; in aliis de a. 1333: Magnifici viri Demetri Magistri Thavernicorum nostrorum plura; in Cod. Dipl.

[3]) Exemplo literarum anno 1344 ad Comitatum de Zala datarum.

Jobbagionibus (Magistratui) Comitatuum; naturalibus vero Jobbagionibus castri, et in horum receptis ordinem praedicatum „Nobilium regni sui, Servientium regalium [4]) jam conjunctim, jam separatim, sensu tamen plane aequali atribuit; se ipsum Excellentissimum, Serenissimumque dici jussit. Haec de Ordinibus regni generatim praecerpenda, mihique vicem quodammodo nomenclatoris fungendam ratus sum, prius, quam de iis speciatim dicere agrederer. Fieri enim hoc commode non poterat, nisi nominum quorumdam vi et potestate, uti par erat, explicita, praemissoque notionis Nobilium non tam examine, quam locupletiori quodam argumenti, quod deinceps tractabitur, indice. Haud parvi enim refert jam hic intelligere: ingenuos, liberos Leonis sap. et s. Stephani, fuisse eos quidem primos, verosque omnino, et naturales nobiles; sed haec totidem faustissima epitheta, seculo demum tertio decimo delecta et in pulcherrimam hanc colligata esse paraphrasin. Usu populari varia iis nomina, sed quae cuncta in milites s. Stephani, ordinem equestrem Regesti Varadiensis, Nobiles denique Servientes regni Belae IV exeunt. Appellationem Servientium Regis eminentiorem aliquamdiu, sed aliam Servientium Regni semper populo gratam magis; illam itaque huic conjunctam, et circa finem sec. XIII. penitus aequatam; omnes denique has cum illius exitu desiisse simultates; prisca d. Stephani Seniorum et juniorum; Comitum et militum, notione, in formula, qua in praesens utimur: Dominorum et nobilium ad primaevum orbem suum redeunte.

---

[4]) In lit. de a. 1327 (VIII. 3. p. 215) „eave praerogativa gaudeant, qua universi nobiles Servientes regni nostri regales fruuntur“ cet.

De Ordine Comitum seu Seniorum s. Stephani; Dominorum nempe:

I.

De Praelatis Eclesiarum.

§ 56.

Horum apud Augustos, quos Stephanus imitatus est, auctoritas.

Quae d. Stephanus filio suo de ordine Praelatorum praecipit, ne nimia, aut cum Engelio ante tempus occupata existimes, e re est meminisse, quanta horum apud Gallos, Anglos, Germanos circa primordium sec. XI. fuerit auctoritas. Fuisse hanc summam vel ex locis per Pütterum, Hallamiumque selectis, generatim vero ex celeberrimo Guizoto patet; sunt namque alia praeterea specialia hujus rei testimonia oppido quam multa. Praelati omnium, qui aliquo apud gentes eas numero erant, primi censebantur; praerogativa hac suique a tribunalibus judicum non sacerdotum, omnium praeterea vectigalium immunitate, priscis religionum apud Gallos interpretibus pares; [1]) hoc vero superiores etiam, quod non ipsi modo, sed ne populi quidem eorum, tributa cum reliquis penderent.

---

[1]) Jul. Caes. de bello gall. c. VI. 13. 14.

§ 57.

Praelatos itaque dignitate superiores esse voluit,

Hos itaque consectatus d. Stephanus, Pontifices illos tamquam Christos, a ceteris hominibus segregat, primo-

que post regiam dignitatem collocatos gradu et in Curia et in foro, generatimque in navanda republica sacra et profana, principem tenere locum jubet, omnique aliorum, praeter suam successorumque, jurisdictioni eximit.

§ 58.

providitque, ne fortuna inferiores essent.

Ordine, qui sic superiores facti sunt, fortuna ceteris Comitibus, Senioribusque inferiores ne essent, dotem Eclesiae cujusque emensus est. [1]) Largam sane, ut quae non modo ad satisfaciendum necessitati, sed ad copiam quoque sufficeret. Legem praeterea tamquam cumulum huic suae in Ordinem illum munificentiae adjecit, qua potestatem liberis fecerat singulis: sua dividendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque atque parentibus, sive Eclesiae. Quis legis hujus vix dum conditae proventus fuerit, ipsa adeo justa auctoris spe major, satis inde apparet: quod intra breve non plane unius seculi spatium, qua Regum, qua privatorum largitate, [2]) opes Eclesiarum huc increverunt, non vana ut animum Colomanni solicitudo invaderet, ne rerum, quibus eae monasteriaque jam abundarent, usui aulae regiae decerptarum penuria, honor, dignitasque hujus vilesceret. Exstat ejus hanc in

---

[1]) Speciminis instar sit constituta per eum dos eclesiae monasterii Pécsvaradiensis. Dotavimus, ait d. Rex, populis tam liberis quam servis, liberis scil. 200 militibus; ministris, qui serviunt cum equis, item ministris, qui serviunt cum equis, curribus; vinitoribus, aratoribus, apiariis, tributariis fori, piscatoribus, fabris, praeparatoribus vasorum ad celarium, torneatoribus, pistoribus, cocis, figulis, retiariis, pistardis, aurifabris, carpentariis, molendinariis, opilionibus, agazonibus, subulcis, ministris hospitum, ministris infirmorum, pulsatoribus, balneorum servituti deputatis, quos a stuba stubarios vocare possumus.

[2]) De dote ecl. Veszprim. magnam partem per privatos collata vide literas C. D. T. I. p. 448 et IX. p. 631 et seq. vulgatas.

rem lex, non invitis Praelatis, condita, cujus ex spiritu, ut privatorum quoque juribus, quoad fieri posset, consuleretur, data inde cognatis facultas, terras haereditarias, si Eclesiis collatae essent, redimendi. Itum denique recta adversum legem eam, collationesque hujusmodi, praeter conscientiam et consensum Regis fieri non posse, certe non debere Bela IV., ut erat jurium Fisci studiosissimus, primus edixit; dedit tamen suae in Eclesiam Strigoniensem pietati, ut Udvarnicis et Thavernicis regiis demtis, nobiles quosque possessiones suas ei donare, legare, sine speciali consensu Regis posse concederet. Quod filius ejus Stephanus Varadiensi quoque eclesiae largitus est.

§ 59.

De territoriali Praelatorum jurisdictione.

De jurisdictione, territorialem quam dicimus, ratione causarum civilium, omnibus omnino;[1]) ad capitales vero quaestiones cognoscendas, nonnullis[2]) Praelatis addicta, suo loco; hic compendii causa pericopen damus literarum b. Petri Quinqueeclesiensis, quibus Bela III. jura ei per d. Stephanum collata instauravit. Ita vero ille: omnes possessiones et bona ejusdem eclesiae tam habita, quam habenda volumus esse libera, tam ab Auditorio nostrae majestatis, quamque ab judicio Judicis Curiae nostrae; similiter etiam ab omni jurisdictione et potestate Comitis nostri, qui pro tempore exstiterit, Palatini; prout etiam a nostris Comitibus provincialibus seu parochianis;[3]) sed solum coram Episcopo

---

[1]) Uti monasterio Pécsvaradiensi a. 1015.

[2]) Atque etiam eclesiae de Zala a. 1024. His consonae sunt literae Belae IV. super juribus eclesiae Albensis in Transyl. 1246. Eclesiae Agriensis 1261 editae.

[3]) In hunc modum enumerat judices Stephanus V. in lit. de a. 1272. Abb. de Pásztó datis „quod populos suos et eclesiae de

vel ejus officialibus debeant dicti populi tam in criminalibus, quam in pecuniariis conveniri; verum tamen si justitiam conquerentibus denegarent; idem Episcopus ad Regiam possit et debeat praesentiam evocari; si vero Praepositus et Capitulum ejusdem Eclesiae conquerentibus justitiam denegarent, solius Episcopi sui et non alterius stabunt judicio.

Pastouth, nec Palatinus, nec Judex Curiae, nec Comes novi castri, nec etiam aliquis judicum seu Comitum, possit vel debeat aliquatenus judicare."

§ 60.

De Decumis.

De Decumis, quas ex sententia literarum Belae III. commodum citatarum „cujuscunque fastigii Baro, Nobilis, serviens regius, castri vel castrenses, hospites vel Regis vel cujuscunque alterius de regno liber homo vel servus" universi itaque, qui de Dioecesi Quinqueeclesiensi essent, de omnibus rebus eclesiae illi quotannis debebant, similique cunctarum eclesiarum cathedralium jure postea videbimus. [1])

---

[1]) De his ita legenda major de vita S. Gerardi p. 328 apud Batthyan „Ego autem (s. Steph. ad Gerard.) Comitibus meis praecipiam, ut a populo tempore suo decimas exigant, in bladis, quibus uteris; volo autem, ut nullus remaneat, qui eas non reddat." Bene „bladis" etiam fide instaurati a. 1271 primaevi Ecl. Agriensis privilegii Katona H. c. t. VII. p. 581.

§ 61.

Possessiones Eclesiarum ab onere descensus (Commeatus) immunes.

De hoc ita eaedem literae Belae III. „Praeter nostram Majestatem et charissimae consortis nostrae,

nullus omnino Baronum nostrorum, quacunque praefulgeat dignitate, super bonis et possessionibus Eclesiae descensum facere audeat." Quod paulo etiam clarius est, quam illud Marculfi: ne judex publicus mansiones, aut paratas vel fidejussiones in villis Eclesiae tollere praesummat.[1])

---

[1]) Apud Baluzium l. I. form. 3.

§ 62.

Praeter communia haec, specialia item nonnullis Eclesiis, Episcopis nempe,

Haec de communibus omnium cathedralium eclesiarum juribus hactenus; nam quod literae illae Belae III. de collata praeterea populis b. Petri Quinqueeclesiensis per regnum commeantibus telonii immunitate habent, ex specialibus privilegiis est, quae pluribus licet communicata Eclesiis, naturam non mutant suam. Horum varia sunt genera religione voti, aut in praemium singularis meriti Praelatorum, per Reges Eclesiis nonnullis donata, in quibus soli itidem Metropoli Strigoniensi is semper habitus honor est: nihil ut esset quidquam, quod alicui per ambitum regni concessum Eclesiae, non huic pariter tribueretur; velut quae locum primatis jam a d. Stephano tenuit, cujusve Antistes, ut rem verbis Belae IV. dicam, „ex perpetua consuetudine unus e primis erat, qui Regi consilio et auxilio, in omnibus arduis et secretis regni negotiis assistere debuit."

§ 63.

Abbatibusque, collata per d. Stephanum privilegia sunt.

Et diplomatibus d. Stephani et legibus antiquissimis Abbates quoque et Praepositi Eclesiarum Praelatis

accensentur; horum tamen omnium nullo non tempore praecipuus Abbas Ordinis S. Benedicti de monte Pannoniae fuit. Cui privilegium, quo Antistites monasterii in monte Cassino fruebantur, ut in consiliis publicis pari cum Praelatis suffragii jure pollerent, jam per S. Stephanum diserte affirmatum est.

§ 64.

Sacerdotii medii aevi,

De sacerdotio medii aevi inter omnes convenit: et reliquias literarum ejus asylo conservatas; et vero moribus barbaris filum quoddam solidioris doctrinae moralis, quo non singuli modo, sed gentes ipsae quodam velut necessitudinis sensu, invicem propius adducerentur, ejus intextum labore; [1]) usum ipsum auctoritatis judiciariae, quam sibi sacrorum quoque codicum obtentu vendicabat, non mediocri humanitatis commodo cessisse.

---

[1]) C'est au christianisme, á la societé religieuse, que nous devons l'esprit de moralité, le sentiment et l'empire d'une regle, d'une loi morale, des devoirs mutuels des hommes. Gvizot. Confer Herderi Ideen zur Philos. der Gesch. d. Menschh. IV. 14—146.

§ 65.

speciatim vero Eclesiae Hungaricae Antistitum

In Hungaria Regis imitati exemplum primi Eclesiarum Csanadiensis et Quinqueeclesiensis Praesules, in sua quisque urbe, de rudimentis literarum et musici cantus tradendis providerunt. Episcopales hae scholae, quas ut in urbibus illis jam sec. XI. frequentiores fuisse concedamus; tamen nec reliquis Episcopis fuit quidquam antiquius, quam ut pro se quisque huic Regis curae naviter inserviret. Negotium hoc Scholasticus et Cantor neces-

sarii eorum adjutores [1]) obibant, quorum opera sic brevi effloruit, plures ut essent, qui primis literarum elementis domi instructi Romam, urbesque superius indicatas ad capiendum ingenii cultum concederent, reducesque aliis, hanc facerent literarum sitim, ut vix dum conditas deinde Bononiae, Parisiisque sublimiorum scientiarum sedes Hungari quoque inviserent; cum cives universitatis Bononiensis in duplicem cis et ultramontanorum classem descripti fuerint, cum Anglis, Gallis, Alemannis, inter Ultramontanos; [2]) Parisiis ex quatuor, in quos alumni dividebantur, nationibus principalibus, Anglorum seu Germanorum censi nomine. [3])

---

[1]) Recole Lehrb. d. Kirchenrechts von Ferdinand Walter. Bonn 1836 p. 390. Constitutiones item Caroli M. de scholis per singula monasteria et episcopia instituendis Capit. I. ad a. 789 c. 70.

[2]) Vide Frid. Carol. Savigni Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter, III. Band p. 187.

[3]) Vide Savigni l. c. p. 349 et cit. ibi. Jacques du Breul theatre des antiquités de Paris p. 456. Ugrinum, filium fratris Ugrini Colocensis Archiepiscopi, virum literatum et naturali facundia praeditum et maxime in divina pagina eruditum, subministrante sumtus Ugrino patruo, Parisiis studuisse refert Thom. Archidiac. Hist. Salon. c. 47. De aliis consule Cod Dipl. et Dissert. Steph. Horváth Tud. Gyűjt. a. 1833 fasc. X.

§ 66.

praeclara

De initiis religionis Christianae apud Hungaros, qui scripserunt, graecissare quidam; horum patronis alii, qui haec latinae asserere Eclesiae pergunt, latinissare dicuntur; neque aliud est litis, ad quam seculo superiori inter partes ventum, si recte eam aestimes, pretium. In hoc namque communi Eclesiae utriusque laudis genere, par est haec item utriusque causa, ut negotium iis cum populo esset, ad cujus animum, nullo idolorum cultu oc-

cupatum, a sobria verò sentiendi ratione laudatum etiam, doctrina Christi aditum haberet haud difficilem,[1]) promtum imo apud eos, qui per Praecones linguae hungaricae usos commercio discrimen, quod inter Deum Majorum suorum, verumque Deum esset, edocerentur.[2]) Successus laboris pro natura et industria Principis se dedit, qui nascentibus initiis praefuit. Et apud Transylvanos quidem bona Gyulae voluntas pietasque rem religionis sacro sanctae haud mediocriter adjuvit; apud Hungaros singularis Stephani ardor munus, quod a Deo sibi assignatum accepit, facto omni potestatis suae usu admirabili ea peregit constantia, ut Magister populi sui factus ipse, judicio quoque Eclesiae universae Hungarorum sibi conficeret Apostoli nomen. Quo factum, ut non jam obstinatio populi,[3]) sed aemula potius in reci-

---

[1]) Legenda major vitae b. Gerardi: „Confluebant ad eum (s. Gerardum) nobiles et ignobiles, divites et pauperes postulantes, in nomine Trinitatis deificae baptizari. Ducebantur etiam multi per Comites, quos constituerat Rex, et baptizabantur in monasterio s. Joan. Bapt. Stabat enim multitudo populi ad januam; nec erat quies his, qui eos baptizabant, praeter in nocte, et erat eis grandis labor; tamen pro Christi nomine ipsum laborem aequanimiter et voluntarie tolerabant. Populus autem licet adhuc novae plantationis existeret, tamen verbum Dei ferventi spiritu audiebat, meditando in lege Domini die et nocte.“

[2]) Ibidem: „In festivitate b. Joannis Bapt. accesserunt ad Episcopum, quasi 100 viri postulantes sibi sanctificari loca, pro Eclesiis construendis, de quorum devotione Episcopus non modicum laetabatur, factoque convivio ipsos ad mensam invitavit; cumque surrexissent a mensa, obtulerunt Episcopo varia dona et munera et clenodia, equos, boves, et oves, tapetia plurima; mulieres vero anulos aureos, et monilia. Quibus dicebat Episcopus: numquid? propter hoc vos invitavi? Cui responderunt universi dicentes: quia Pater s. audivimus te hodie in sermone Dei protestantem: sicut exstinguit aqua ignem, ita elemosyna exstinguit peccatum.“

[3]) Ita porro legenda ea: „Illi autem praefati septem Monachi (viri literati et ungarica lingua interpretes expediti p. 327) praeci-

piendo sacro fonte contentio molesta Praeconibus esset. Utcunque tamen haec sint; me si audias, quiqui seu Stephani seu jam Geyzae aetate, in hujus partem laboris venerunt: venerunt vero primi, qui Saroltam, Geyzae nuptam Duci comitabantur, latini deinde ac praesertim sodales s. Benedicti; horum tu neminem justa impensae in propagationem religionis apud Hungaros operae laude frustraveris; feres tamen simul, quod dicam: alia esse (rem si ira et studio procul, penitius introspicias) prope majora, quae Clerus Hungariae non tam ille quidem, peregre huc qui delatus est, neque paucos parum grato in eam animo hospites dedit; quam hic in ulnis ejus genitus (patriotae in legenda b. Gerardi vocantur [4]) per omne aevum intermedium ita praestare perseveravit, ut altero post conditam summa Praesulum ejus ope a. **1222** Bullam auream Andreae II. de a. **1231** Decreto, Archi-Episcopi, Episcopi diserte jam pro pauperum, infractaeque libertatis vindicibus, ordoque eorum, pro potestate sacro sancta contra vim Olygarcharum, ad auxilium legitimi juris erecta, per populum celebraretur. [5])

---

bant Episcopum praedicando et baptizando populum, per quos aplicabatur Domino innumerabilis credentium multitudo, quorum oblationes susceptas in urbem transmittebat Morisenam" cet.

[4]) Apud Batthyan p. 328.

[5]) Art. 2. 1231. Praelati Eclesiarum et Archi-Episcopi et Episcopi, ad pauperum querimoniam audiendam et infractae forte libertatis confirmationem tenentur interesse judiciis Albae celebrandis.

§ 67.

in utramque remp. merita,

Omnia profecto usque ad aetatem suam Hungariae tempora animo complexus est Mathias Corvinus, dum in suis ad Paulum II. Pont. Max. de a. **1465** literis [1]) Prae-

---

[1]) Has integras dedit Katona T. XV. p. 78. cet.

latos regni hujus „in rebus spiritualibus Praesides et Directores religionis; in temporalibus vero maximam esse partem roboris et firmamenti publici" scriberet. Atque hoc tantum et tam praeclarum de Praesulibus Eclesiae hungaricae judicium fecit ille non semel, sed quod alterae quoque ad Pontificem illum literae ejusdem testantur, totidem magnificis verbis iterum;[2]) non minori meritorum hierarchiae hungaricae, quam suae ipsius aequitatis laude. Nemo enim unus magis cognitum habebat: non unum Hungariae Joannem Alemanum Episcopum, Archiepiscopumque fuisse,[3]) itaque juxta magnas multorum virtutes, magna in aliquibus vitia exstitisse; haec tamen amplissimae illarum utilitati condonanda, et humana hominum,[4]) non Deorum aestimanda esse natura sapienter censuit.

---

[2]) Ibidem pag. 81. „hoc unum tamen repetere dignum duxi, quum Praelati regni nostri in spiritualibus negotiis judices et patroni sint, in temporalibus vero ex magna parte directores et columnae, tum maxime statum nostrum et communis defensionis expeditionem recte procedere sentimus, quum Praelati ipsi plurima pollent auctoritate."

[3]) Hunc Magno Varadiensem primum, dein Strigoniensem, Praesulem avaritia et, quibus in Hungaria potitus est, grandibus enimvero pro temporum illorum ratione opibus, in Fridericum Imperatorem Mathiae aemulum, collatis infamem Pray apellat in Spec. Hyer. Hung. De eodem vide plura apud Keresztury in Compen. Descript. Episc. Magno-Varad. p. 290.

[4]) Quae de moribus Cleri sui temporis Mathiae opinio fuerit, testatur Galeott. Mart. cap. 11 de dictis et factis Math. apud Schwandtner.

§ 68.

solidissimae d. Stephani in Ordinem hunc liberalitatis laudes sunt;

Verba excitavi Mathiae, quo non alter Regum nostrorum dignitatis suae studiosior fuit. Omnia illum usque

ad aetatem suam Hungariae tempora complexum adscripsi ea, quae veritatis studium professo mihi convenit, fide optima; usque adhuc enim Antistites Eclesiae Hungaricae Pontificibus Maximis, dum intra fines evangelicae missionis suae versarentur, obsequentes; quoties Regis aut populi adfectarant jura iis pro virili obsistentes, eosque constanter vides, qui Conciliis quidem per Philippum Firmanum et Gentilem legatos pontificios celebratis adfuerint, et quae ad disciplinam salutaria essent, suo etiam probaverint assensu; contra, quidquid seu hi, seu Pontifices ipsi autonomiae, juribusque regni, aut civilibus officiis suis adversum imperitassent, non tantum rejecerint, verum in tutanda temporibus necessariis consilio, auctoritate, armis, patriae adversus peregrinum arbitrium libertate, reliquo Dominorum ordini pares, pares autem? immo saepe superiores fuerint.

§ 69.

simulque

Hunc Praesules Eclesiae hungaricae privilegii, latarumque causa sua legum usum fecisse, ac quod paulo ante attulimus, non unius hoc Mathiae, sed populi universi constans de illis fuisse judicium; plurimae praesertim inde ab aevo Andreae II. literae confirmant. Ex his colligas: plures, quum a Regibus equestri adlecti ordini Regioque vexillo auctorati fuissent, hunc eorum erga se animum deprecatos, Eclesiarum renunciari nobiles;[1]) alios in

[1]) Sic Jacob. de Chege per Lad. IV. Nobilium adscriptus numero a. 1291 impetrat ab Andrea III., ut inter jobagiones Eclesiae Alben. referretur, eaque gaudere libertate possit, qua alii puri veri, et naturales nob. Joh. Alb. gratulantur VI. v. 1. p. 113. Cod. Dip. T. IV. v. 3. p. 396. Petrus et Paulus Jobagiones castri Keu terras suas Eclesiae B. M. V. conferunt; se ipsos in Jobagiones dictae Eclesiae transferendo ita, ut de terra sua Eclesiae collata, quantum ad eorum usum sufficit, recipiant pro se ipsis, sicut Jobagiones liberi Eclesiae subjecti.

harum se conferre clientelam, quam Olygarcharum potentiam libertati suae timere maluisse. Neutrum falsa aliqua de numinibus sanctorum opinione factum, nec quod capti superstitione animi, uti quidam vulgarunt, quaestui sacerdotibus fuerant; sed comperto: vires Eclesiae hungaricae, quae novella dum esset, brachio regali opus habebat, post ubi peregrinis sacerdotibus indigenae successerunt, horum in Patriam studio laetius augescentes, ad id roboris brevi pervenisse, ut qua auctoritati regiae, qua libertati populi, contra vim et dominationem privatorum validissimo essent munimento; nec locata in se per nobiles regni, in compendium rerum suarum abuterentur fiducia. [2])

---

[2]) De nexu hujusmodi resoluto exempla exstant Ecl. Veszprém. VIII. v. 3. pag. 121. item IX. v. 7. pag. 688; de Strigoniensi VIII. v. 3. p. 121.

§ 70.

providum indicant, in deligendis his, Juris Patronatus usum Regum.

Jure supremi Eclesiae hungaricae Patronatus d. Stephanus, suo ipse arbitratu, Antistites Eclesiis praefecit, quos ad hoc muneris maxime idoneos comperit. Eadem usus auctoritate s. Ladislaus, Duh Bohaemum Eclesiae Zagrabiensi pastorem delegavit. [1]) Par Colomanno animi robur, Pontificibus licet acrius jam obnitentibus. Sanctorum enim Regum illorum secutus vestigia, [2]) non tantum

---

[1]) Vide compendii causa Katona Hist. Metr. Ecl. Coloc. P. 1. p. 231, 232. qui primum apud nos postulationis aut electionis exemplum in Joanne Colocensi a. 1205 ad sedem Strigoniensem translato editum esse docet.

[2]) Ita Geyza II. a. 1158 (LL. EE. T. II. p. 247): concessa mihi etiam b. Petri sedis auctoritate (Sylv. II. literis) volo, ut ubicunque eclesia (Nitriensis) haberet possessiones in provincia cujus-

Praelatos Hungariae libere delegit, sed Dalmatinis etiam deligendi, quem ex medio sui vellent, Episcopi copiam largitus est. [3]) Operam itaque ludunt, qui Regem vel ad admittendum in Hungariam Pontificis legatum difficilem, in dimittendo hoc supremi Eclesiarum Patronatus jure facilem se exhibuisse contendunt. Aliorum ea Regum fuerit seu ignavia, seu pro temporum ratione, erga summos Pontifices indulgentia, ut jus eligendi, vel postulandi Praelati Canonicis remitterent. Hujusmodi quidpiam Emericus, nequid Coronationi Ladislai infantis adversum Hyerarchia tentaret, admisisse videtur, neque tamen vel is jure hoc ita penitus supersedit, ut non ageret plura, de quibus ei Innocentius PP exprobraret. Ex antiqua et aprobata regni consuetudine, in electionibus Praelatorum, assensum Regium postulandum fuisse [4]) literae testantur, quibus Bela IV. Zelandium per Canonicos Veszprimienses „assensu suo, qui commode requiri poterat et de jure debebat, minine requisito“ electum Episcopum apud Pontificem queritur. [5]) Idem Pharensibus e medio fidelium ad Hungariam spectantium sibi Praesulem eligendi potestatem fecit, conditione adjecta: ut electus Regiae praesentetur Majestati et ab ipso jura episcopalia recipiat. [6]) Quid plura? una satis Synodus Budensis Philippina cap. XII. testatur: juri Patronatus Regum Hun-

---

cunque Episcopi, vel Eclesiae; cum dominio temporali habeat spirituale; quia etiam sic ordinaverunt S. Reges. Auctor memoriae Ep. Nitr. p. 131. pro temporali recentius „terrestrali“ posuit.

[3]) Idem juramentum quod Salonitani Archimystae Pontifici praestare solebant, interdixit, ut juribus Regum Hung. adversum Kat. Hist. Ecl. Coloc. P. 1. p. 167.

[4]) In literis Innoc. III. ad Capit. Strigon. de anno 1205 Kat. loco citato „cum in venerab. fratrem nostrum Coloc. Archiepiscopum postulandum a nobis, contulissetis unanimiter vota vestra, et Regium super hoc obtinuissetis assensum“ cet.

[5]) Katona Hist. Cr. T. VI. p. 56. Alias nervosas literas ejusdem vide ibid. p. 170, 180.

[6]) Apud Bath. LL. EE. T. II. p. 364 de a. 1243.

gariae adversum quorundam Pontificum Romanorum arbitrium, stirpe virili Arpadiana superstite, in solidum evelescere usum nequivisse.

II.

De Baronibus majoribusque Ministris Regis, et ministerialium apud Hungaros conditione.

§ 71.

Notio Baronum et Ministrorum majorum

Divo Stephano sequentibusque Regibus vocabulum Baronum (in vernaculo: Főemberek, országbeli Főnép) honestissimos quosque Seniores; et Comites igitur Palatii, qui hodie Barones regni appellantur et Episcopos, et denique Comites Castrorum significabat. Colomannus vim vocis hanc integram servavit, sed Institutum Comitum Palatii ad amussin Capitularium Regum Francorum penitius dum excoleret, [1]) Barones archiofficiis regni praefectos, (Udvari Főemberek) nomine ab iis mutuato Majores Ministros Regis apellavit. Nomen enim Ministrorum aevo medio, proinde ac Jobbagionum commune et Barones [2]) et Pristaldos [3]) et Ud-

[1]) Simon de Kéza App. c. II. § 5: Conditionarios Kolomannus Rex ad tantas maneries variavit.

[2]) In lit. Belae II. de a. 1137 „Fanzal Palatinus Comes, Georgius Comes, alii quam plures ministri nostri.“ Geyza II. a. 1158 „decrevimus auctoritate Regia, ut non liceat alicui hominum Bano, Principi et aliis meis Ministris ipsum Archiepiscopum (Spalatensem) molestare.“ Stephanus III. a. 1163. Andreas II. a. 1198. „ut non liceat Bano, Principi, Comiti sive cuilibet Ministrorum nostror.“ cet.

[3]) In lit. s. Ladislai a. 1093 de finibus Dioecesis Quinqueeclesiensis.

varnokos,[4]) colonosque referebat.[5]) Qui Colomannum sequebantur Reges et Baronum et Ministrorum utuntur vocabulis. Sed hos deinde Andreas II. in Bulla aurea Jobbagiones habentes honorem (ország Jobbágyi) apellavit, tituloque Baronum impertivit etiam Episcopos. [6]) Ab aetate Caroli Roberti jam Barones quoque, nomine, ut dici amat, tales, habemus. Sigismundus itaque honorarios Barones hos Decr. VI. art. 20. Barones seu majores Nobiles; illos Archiofficiis Praefectos Barones majores regni scripsit.[7]) Mathiae denique Corvino hi Barones ex officio, intersertisque Principibus in Hungaria, Nobiles majores Sigismundi Barones dicuntur naturales; [8]) idem art. 50. 1459 Baronum et Spiritualium et Secularium meminit plane ex veteri vocis hujus apud nos consuetudine, in qua explicanda, magni refert, non Prisco tantum, sed Hincmaro quoque ac Spelmanno paullo, quam per nostrates usque adhuc factum est, uti familiarius. Haec de titulo; jam argumentum capitis, si lubet, exequamur.

---

4) Regesti Varad. num. 212, 364 cet.

5) In lit. Geyzae I. de a. 1075. Cod. Dip. I. p. 434.

6) Verbis: venerabilis Episcopus Quinqueeclesiensis Baro noster.

7) In literis, quibus oppida Scepus, pignori locat: „tunc duo Praelati et totidem Barones majores regni nostri."

8) Schwartner Introd. in rem dipl. Budae 1802 p. 267.

§ 72.

ex Ordine Palatii Caroli M. Capitularibusque ejus explicatur.

Vetus est: purpuram ad purpuram esse dijudicandam. Nobis vero Hungaris d. Stephanus, dum Monarchiam suam antiquos, et aequales aetate sibi Augustos

imitando constituisse testatur, si plus in re hac videre volumus, ipse quodammodo instituta sua cum exteris contendendi ostendit consilium. Quod Carolus Belius secutus de Archiofficiis regni jam seculo superiori disseruit, tanta nominis sui gloria, ut qui de hoc postmodum argumento tractarunt, aut exscribere illum, aut ad ejus provocare lucubrationis auctoritatem satis haberent. Posterius fecit Prayus, animo tam solicito, ut quamquam Belium quoque nonnulla hujus generis fugisse adnotaret, quae tamen ea sint, non expromeret; verecundia, credo, ne tam diligenti Scriptore plus sapere, aut ejus

„haerentem capiti tanta cum laude coronam"

velle attrectare videretur. Quo magis in difficili mihi labor est, non a Belio tantum, sed hoc etiam Historiarum hungaricarum Patre, et quod vel fateri arduum, fatendum tamen est, ab omnibus discedenti Scriptoribus, qui hoc institutum ab aula Byzantina arcessere pergunt. Neque ego isti eorum rationi meam praeferrem, si Reges primum, non jam Duces Hungariae ministeriales hujusmodi habuisse edoctum, ac non potius testimonio Herodoti [1]) exploratissimum esset: Scytharum regiorum Principibus tum maxime et pincernas, et coquos, et equisones, et ministros suos ac internuncios fuisse. At vero haec illi praetereunt, et in uno loco Decretorum S. Stephani, de antiquis et coaevis Augustis, tota mente defixi negligunt alterum, qui est de moribus Majorum, institutisque, uti ipse, salvis reip. regalis, religionisque rationibus fecisset, rite servandis, porro quoque scythicum illum [2]) neque eo minus ferme pulcherrimum omnium. Quod igitur usque adhuc tenui peragendi operis consilium, ut festinarem lente, sententiamque non nudam, sed amictam rationibus, ex coaeva-

---

[1]) Herodot. l. IV. 71.

[2]) Idem l. IV. 80. De Scyle ad graecos converso mores, caesoque „Adeo sua Instituta Scythae observant, et iis, qui externos ritus adsciscunt, tales irrogant poenas."

rum poenu literarum sumtis, sine arrogantia et trepidatione, eumque ad modum proponerem, non ut ipse rem verbosa contentione, sed res, sua se sponte explicaret; hoc in praesenti argumento, tantaque secus sentientium multitudine, impendio magis tenendum perspicio, neque eo minus enitar, ne sim longior. Idcirco, quid Priscus de Onesegio? [3]) quid de ministris dapiferis et poculatoribus ad coenam Atilae inservientibus? ad memoriam consignaverit; [4]) quae Barthii de coena hujus et simili deinde solemnium apud Principes Europae epularum magnificentia probabilis conjectura sit? commemorare supersedeo. Ipsos adeo praecipuos Andreae I., s. Ladislai, Colomanni duumviros: Comitem et Judicem in aliud differo tempus; ad Francos properans Hunnorum apud celeberrimum Gvizotum aemulos, Carolumque Magnum, quem d. Stephanus semper ille quidem in oculis ferebat, in perpoliendo tamen Palatii Ordine maxime; quod tanta Ministrorum ejus, cum his, quibus Stephanus Atilae Arpadique more [5]) adhuc utebatur, esset similitudo, ut eum imitando non alieni auctor, sed domestici locupletator instituti fore videretur. „Palatium Caroli, ita Hincmarus Archiepiscopus harum rerum scientissimus classicusque testis, per hos Ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, et Comitem Palatii, Senes-

---

[3]) Cap. II. § 17. cum Atila pro tribunali sedit.

[4]) Ibid. § 19. Idem Priscus homo graecus „Hic pincernae, ut mos est in illis regionibus (non ergo Bizantii) calicem tradiderunt. Deinde primus in medium accessit Atilae minister discum carnibus plenum ferens, post ipsum, qui reliquis ministrabant. Convivis aurea et argentea pocula, quibus bibebant, suppeditabantur.“ Cubiculariorum ejus Simon de Kéza l. 1. c. 4. § 4 meminit.

[5]) Belae R. Not. c. XLIV. Arpad agazonibus suis magistrum praefecit quemdam Cumanum nomine Sepel et propter Sepel magistrum Agazonum vocata est insula illa nomine Sepel. Cap. XLVI. „Fercula, pocula portabantur Duci et nobilibus in vasis aureis, Servientibus et rusticis in vasis argenteis.“

calcum, Buticularium, Comitem Stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum."[6]) Age sis jam, si tibi videtur, ad apriciora veniamus, et si tuum ex meo aestimari sensum pateris, jucundissima. Cum isto Camerario Caroli, s. Stephani Camerarium, regiae Camerae praesidentem, Tárnokque Hungarorum, utroque antiquius; cum Comite Palatii apud Francos, (Juri ad Curiam, Curtem, Aulam, latusque Regis [7]) dicundo praeerat) Comitem Andreae I. s. Ladislai et Colomanni, Comitem Curialem s. Stephani (Kujár fuit) compara; Senescalco, si nomen hoc etiam per Andream II. usitatum displicet, usitatius Dapiferorum aut Magistrorum Curiae Regis apud Belam II.; Buticulario, Pincernarum Magistrum, in vernaculo Pohárnok nostrum, Buchariis in Regesto Varadiensi praefectum; Comiti stabuli (Lovásznok Hungaris) Agazonum Magistrum vel Mareschalhum apud Andream II. substitue; nam Mansionarius nostris olim et Cubiculariorum et Janitorum Regalium Magister vocabatur. Hos longa sequitur Venatorum Regiorum et Falconariorum in Regesto Varadiensi series, et quem apud Francos, hunc apud Hungaros claudunt Palatii Ordinem utrobique similem plane; sed nempe apud Hungaros superstite insuper, quam in Galliis non multo ante sublatam Sismondius docet, Judicis Communitatis, Judicis Andreae I., s. Ladislai et Colomanni, auctoritate, Comitis item Praeconum (Internunciorum) Regiorum dignitate longe splendidiorem. Hincmarus summam dignitatis Ministrorum Caroli amplitudinem, ex no-

---

6) Epist. III. cap. 16.

7) Hincmarus l. c. cap. XIX. „Comes Palatii de omnibus secularibus causis vel judiciis suscipiendi curam instanter habebat." Cap. XXI. „Comitis autem Palatii, inter cetera paene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quae alibi ortae propter aequitatis judicium Palatium adgrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse judicata ad aequitatis tramitem reduceret" nunquam non Curialis hoc apud nos Comitis erat munus.

tione Comitatus ejus explicat;[8]) hunc vero iisdem ferme exhibet verbis, quibus Priscus in repraesentando Atilae Comitatu utitur. Nihil addo: satis enim vel ex his et initium instituti utriusque ad Francos, ab his ad alios derivati perspicitur et arctissimae Ordinis Palatii apud Hunnos, Francos, Hungarosque affinitas. Utrobique Ministri, quos usu jam longaevo Thavernicorum, Dapiferorum, Pincernarum, Agazonum Magistros dicimus, Venatores item et Comes Praeconum Regiorum, singuli homines habuerunt Jurisdictioni obnoxios suae. Quo magis itaque mirandum est, tantam non in quibusdam de vulgo hominibus, sed viris alias bene institutis inesse dissimilitudinem, ut cum ministerialium horum hominum aetatem conditae apud nos Monarchiae aequalem agnoscant; Ministros tamen, quibus obnoxii erant, alios aliis tardius, nec ante, quam muneris eorum in Diplomatibus sequentium temporum occurrat mentio, constitutos, paucissimos igitur fuisse existiment, quorum ortum ad d. Stephanum auctorem referre liceat. Sed haec illi viderint; nobis persvasum sit nihil in ulla Institutorum Hungariae parte a Byzantinis sumtum; in hac autem minus nihilo.

---

[8]) Epist. cit. c. XXIV. „Sensus autem in his omnibus talis erat, ut nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has praecipue inter ceteras necessitates vel honestates;" c. XXV. „primo, ut sive generaliter majoribus sive specialiter, vel singulariter quibusque minoribus recedentibus, omni tempore et multitudine congrua, sine qua rationabiliter et honesta esse non posset, semper esset ornatum palatium et Consiliariis condignis nunquam destitutum" cet. Cap. XXVIII. „In quibus scilicet denominatis ordinibus absque his, qui semper eundo et redeundo Palatium frequentabant, erat delectabile" cet. Confer cum his alia, quae lib. I. § 10, l. II. § 38 attulimus.

§ 73.

Inde ministerialium quoque notio arcessenda.

Sequitur, ut fidem de vulgo ministerialium paulo ante datam liberem. De his Kollárius disseruit, bene ille quidem, quin unus omnium optime; plura tamen sunt, quae, ut in re perantiqua, etiamnum latent. Aequum igitur est eniti, ut haec quoque detegantur, rebusque ita exploratis, notioni ministerialium (ministris item, Udvarnokis et Officinariis [1]) apud veteres nomen) aliquanto lucis plus affundatur. [2]) Aetate Ducum Hungariae ingens captivorum multitudo adducta, partimque, ut Dominis visum, in bellatorum numerum adserti, partim et praecipue artifices, aut aliud quodpiam opificii genus edocti qui essent, mutuato a Gallis opulentioribus more, [3]) domesticis eorum mancipati obsequiis sunt. Horum partem longe maximam, Christi nomen qui profitebantur, d. Stephanus redemit, et, quoniam Ordine Palatii Caroli M. adoptato, suapte consentaneum erat, ut Curiam quoque suam ad Capitulare Imperatoris illius de Villis [4]) acco-

---

[1]) Reg. Var. n. 83. 364. ministeriales Regis; n. 100 Udvarnici Regis, qui impetunt alios, quod sui essent Conservi; n. 103 Udvarnici Regales. Geyzae I. in lit. a. 1075 Udvarnici et Hudvordienses; in lit. a. 1093 officinarii. Verba itaque Feliciani Archiep. in lit. a. 1133 „qui etiam eidem Eclesiae Officinarios de Simeghiensi et Zaladiensi Comitatu ordinavit, male quidam pro Sacerdotibus nuper sumsit.“ In lit. Abb. s. Mart. ad PP. a. 1212 Regis vel Reginae conditionales, qui vulgo Regales Servi vocantur. Car. Rob. a. 1326 „terram Servorum seu Conditionariorum Regalium in fine Civitatis Zolyom“ cet.

[2]) Ministeriales alibi quoque potiori prae ceteris conditionis obnoxiae hominibus loco fuisse docet Aug. L. B. Fürth in coronato Coment. suo: Die Ministerialen p. 13.

[3]) Sismondi cit. op. T. III. p. 386, 388.

[4]) Baluz. T. I. p. 331. Capitulare de villis Car. M. cap. 45. „ut unus quisque Judex in suo ministerio habeat bonos artifices, id est: fabros ferrarios et aurifices vel argentarios, sutores, torna-

modaret, redemptorum alios, ad obsequia hujus servavit sibi, Eclesiis cessit alios. [5]) Hic de Udvarnokis regiis sermo nobis est, commodo aerarii sic distributis, nullum ut neque ad Aulam, neque in praediis regiis ministerii servilis esset genus, in quo ad rationes obeundo, non plurimi in quaque regni parte ministeriales [6]) elaborarent, Majoribus Ministris, horumque Vice Comitibus, Villicisque suis parentes.

---

tores, carpentarios, scutarios, piscatores, aucipites, id est: ancellatores, saponarios, ficeratores, id est: qui cerevisiam vel pomatium sive piratium vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit, facere sciant; pistores, qui similam ad opus nostrum faciant; retiatores, qui retia facere bene sciant, tam ad venandum quam ad piscandum, sive ad aves capiendum, nec non et reliquos ministeriales, quod ad numerandum longum est.“ Congruit his et quae dicemus paulo post, caput XXI. LL. Edvardi Conf. et Regis Angl. „Ut Archiepiscopi, Episcopi, Comites, Barones etiam milites suos et proprios Servientes scilicet: dapiferos, pincernas, camerarios, pistores et coquos sub suo frieburgo (Curia) habeant, et item isti suos armigeros vel alios sibi Servientes sub suo Friburgo.“ Apud Vilkins.

[5]) Literas recollige d. Stephani superius ad § 59 citatas (c. D. I. p. 296) alias Andreae I. Abbatiae de Tihany (ibid. p. 388) et maxime Belae II. s. Margarethae de Demes (II. p. 94) concessas, Belio, Kollaroque ingratas ob prodigalitatem, mihi vero tam gratas, ut nihil supra; plane ipsa enim retinent Carolinae legis de villis verba, nominaque ministerialium; adeo verum est: institutum hoc ex Capitularibus Caroli M. apud nos esse excultum.

[6]) Sine jam verba his et notae ad § 10. l. I. (4) allatae subjungam Libanii de Juliano Augusto. „Oculos ad imperatorium ministerium reflectens, cum turbam inutilem frustra ali vidisset, coquos quidem mille, totidem tonsores, pincernas autem plures, ministrorum examina, etenim otiosis hominibus id erat perfugium, ut ministri Principis vocarentur et haberentur; hos damno potius, quam ministerio esse ratus confestim expulit.“ Vide notas Val. ad Julian. Ammiani Marc. Ex his colligas, inter istos Byzantii sedentes aliena ad pabula fucos, et hos ruris, militiaeque laboribus adustos Caroli, Stephanique ministeriales quantum discrepet.

§ 74.

De Comite Thavernicorum regalium et ministerialibus thavernicis.

Secundum Duumviros causis in Curia et per provinciam ordinaria auctoritate cognoscendis, Thavernicus ex vernaculo Tár, Tárnok (promptuarium, promptuario praefectum notat) ita dictus, Ministris aliis nullo non tempore praestantior fuit. Huic omnis illa suberat Udvarnokorum multitudo, quibus Comites monetarum, Comites salium, tributorum horreorumque regiorum praeerant. In his monetarii numerantur, ferri fabri, urburarii, carbonarii, salinarii, et qui tributa fori, pensa ad dies solemnes debita (Úrpénz) colligebant, Udvarnoki porro ad arandum et curriferi, seu plaustrales (szekeres) Hungaris.[1])

---

[1]) His praefectus in lit. Belae IV. de a. 1255 Major plaustrorum vocatur.

§ 75.

De judiciaria M. Thavernicorum in Cives Albenses auctoritate.

Divum Stephanum privilegio, quo Albam Regiam condidit, causas civium arduas, si his definiendis villicus par non esset, ad praesentiam suam vel Magistri Thavernicorum deducendas constituisse, ex literis urbium colligitur, quibus libertate civium Albensium donari flagitantibus (plures, ut patebit inferius, fuerant) Reges sequentes hanc ad se, aut Magistrum Thavernicorum provocandi facultatem concesserunt.

§ 76.

De Comite Dapiferorum regalium et Udvarnokis ei subjectis.

Dapiferorum regalium Magister (Asztalnok) coquinae regiae curabat necessitates, coquis regiis, pistoribus,

scutellariis, molendinariis, apiariis praefectus. Huic suberant etiam piscatores et carinarii.

§ 77.

De Comite Pincernarum regalium et ministerialibus ei obnoxiis.

Pincernarum regalium Magistrum bucharii seu buticularii, [1]) et pincernae, tunnariique et qui ad cellas Regum vinarias, aut ad parandum mulsum seu cerevisiam inserviebant, dominum reverebantur.

[1]) Regest. Var. Nr. 83. Ministeriales Regis, quorum officium est, buctinia portare, ideo etiam buctiniferi dicti. Bela IV. in lit. a. 1240 Comitem pincernarum, Comitem buchariorum vocat; in lit. autem a. 1247 nomen utrumque jungit ,,terram Sarkan, quae fuerat terra populorum diversae conditionis, videlicet falconariorum, Szolgageurii, Udvarnicorum et Pincernarum, qui Bucharii appellantur.''

§ 78.

De Comite Agazonum et quibus hic praefuit.

Agazonum regalium Magister rei equariae satagebat; ab illius pendebat nutu omnis ea udvarnicorum Agazonum turma, qui custodiendis aptandisque freno equis occupabantur. Ostiarii praeterea, usque dum his Colomannus distinctum Magistratum, Comitem janitorum regalium, praefecit; Sagittarii denique, arcuum paratores, et selliferi Agazones.

§ 79.

De Venatoribus regiis

His auctoritate amplitudineque muneris proximi Venatores regii, quorum alii sylvis et Udvarnokis, qui

venatores, faristarii (ex forst germanico), sylvarum custodes,[1]) falconarii,[2]) aucupes, draucarii,[3]) leporiferi, caniferi, vulgo besnici,[4]) retiferi nuncupabantur; custodibus alii armentorum diversi generis, pecudumque intendebant. Venatores bubalorum, decurionesque, et vicarium judicem Comitis venatorum reperies in regesto Varadiensi.[5])

---

[1]) Reg. Varad. num. 255. Lit. C. de Zounok et Bakon (Dionisii) de a. 1258 Custodum quoque sylvae et centurionis eorum, sociorumque hujus seniorum et juniorum meminerunt. In Privil. Civit. Poson. a. 1291 „concessimus, quod ratione sylvae vel lignorum aut quorumlibet aedificiorum Comiti Venatorum pro tempore constituto nullum debitum et nullam solutionem dare debeant."

[2]) Andr. II. a. 1216 quatuor mansiones, quas de nostris falconariis ad custodiendam praedictam sylvam et falcandum foenum contulimus. De falconariis in Habla Lad. IV. C. D. v. 2. p. 273.

[3]) De draucariis, aucariis et ex drauch ducta origine vocis Darócz, vide supl. ad Anal. Scep. p. 96.

[4]) Andr. III. (in supl. ad Anal Scep.) caniferis nostris de Somog, quos vulgaris locutio Besuncos (ex slavico bežím) appellat.

[5]) Num. 267, 290, 300.

§ 80.

De Comite Praeconum Regiorum.

Praecones regii literarum rudi aetate ea, quod rex majoresque ejus ministri praecepissent, ad inferiores Magistratus aut privatos perferebant, quaeve publici fieri juris oportuit, in foris per eos proclamabantur. His Comes Praeconum praefuit; discernendus ab Archipraecone, qui unus de ordinariis provinciae cujusque Magistratibus, praeconum eandem accolentium, veluti totidem cursorum publicorum agmen duxit, per Comitem suum Curialem adjutus.

§ 81.

De conditione

Udvarnici inter populos castri, intra cujus territorium degebant, censi [1]) frequenter Udvarnici quoque Castri, sed his, qui accuratius scripserunt, passim Udvarnici Regales; Regis vel Reginae conditionales; aut servi Regales dicuntur. Hi dum instituta d. Stephani floruerant, jure, quod vocant ministerialitatis, habiti sunt apud Hungaros ad eum descripto modum, ut agris assignatis, ex perpetuo gentis more in civiles exercituantesque divisi, [2]) fide testimoniorum suorum liberis pares essent [3]) omnes.

[1]) Bela IV. in lit. a. 1236 „a terris castri Udvarnicorum Regis." In aliis „quamdam terram Udvarnicorum nostrorum in Comitatu Neogradiensi sitam."

[2]) Vide L. II. § 5. ad [1]) subnexa, et l. III. § 34, 41.

[3]) S. Steph. l. II. cap. 50, 55. quae penitus congruunt cum LL. Visigoth. l. II. tit. 4. cap. 4. „servo penitus non credatur; exceptis servis nostris, qui ad hoc Regalibus servitiis mancipantur, ut non immerito Palatinis Officiis liberaliter honorentur; quibus utique vera dicendi, vel testificandi licentia, sicut et ceteris ingenuis hac lege conceditur."

§ 82.

ministerialium

Sine Regis tamen aut Reginae (nam huic etiam, imo vero Regi quoque et Reginae juniori proprii Udvarnici fuerunt) disserto assensu, iis in alterius concedere domini potestatem fas non erat. Lex igitur vetustissima Eclesiae, [1]) ne curiales aut conditionis obnoxiae homines

[1]) Greg. M. Pontif. Max. ab a. 590—604. Epist. ad Episc. Squill. II. 37. edit. Paris. de a. 1705. Idem Epist. IV. 26. „quae-

ad sacros ordines accedere permittantur, apud Hungaros usu constanti viguit. Et pro hac conditione sua Udvarnoki, de terris suis disponendi facultatem neutiquam habuerunt. Bela IV. igitur literis, quibus per nobiles, possessiones suas eclesiae Strigoniensi legari admittit, diserte adjicit: „salvo eo quod Udvarnici et Thavernici ac ceteri servilis conditionis homines regiae et reginali Majestati subjacentes, et ad certa servitia deputati haec facere non possint, nisi super eo, per successores Regis requisitio et privilegialis concessio specialis de novo habeatur.“

---

rendum quoque est, ut fuerit bigamus, aut ne obnoxius Curiae compellatur post sacrum ordinem ad actionem publicam redire.“ Adde Leon. IX. ad a. 1053 „nos ipsam tuam promotionem taliter aprobare, si non hanc neophitus aut curialis, seu bigamus, obtinuisti.“ Confer cum his Andr. II. Decretum de libertate Eclesiastica a. 1222 „istud tamen auctoritate regia firmiter praecipimus, quatenus nullus nostrorum Udvarnicorum seu Civilium, seu cujuscumque servitutis jugo subditorum, ad tonsuram clericalem ab aliquo Praelatorum admittatur.“

§ 83.

Regalium et Reginalium

Udvarnoki omnes, seu domesticis aulae obsequiis mancipati fuerint (Udvarnoki per eminentiam), seu procul aula, ad ejus tamen rationes operam suam in excolendis variis reddituum aerarii ramis exercuerint (Thavernici et generatim servilis conditionis homines dicti) dimidium tantummodo collectae aut tributi, quod per plebeae conditionis homines alios praestandum erat, solvere tenebantur. [1]) Parsum iis hac parte est, ut ce-

---

[1]) Vide in lit. Emerici Regis de a. 1198. Capit. Strig. datas (C. D. VII. vol. 5. p. 145.) Item de quolibet curru frumenti unum pondus datur; exceptis servis Regis, qui dimidium tributum sol-

teris ordinariis oneribus sufficerent. Et Palatini namque Udvarnicis Regiis utebantur; [2]) nec fere minus Comitibus sibi praefectis debebant; licitum denique, aut potius libitum in eos Comitibus quoque Parochialibus non nihil fuit. [3])

---

vant. Bela IV (ibid. p. 346) praedictos Conditionarios sive Udvarnicos, qui secundum suam libertatem, dimidiam collectam, et dimidium tributum solvere debent, nullus ultra id (etiam apud novum Dominum) molestare audeat, cum Conditionarii seu Udvarnici sint, et ipsorum conditio id requirat ex antiqua consuetudine regni nostri aprobata.

[2]) Simon de Kéza c. 2. § 2. et supra § 35. not 1.

[3]) Cum fructu hanc in rem leges Literas Belae IV. a. 1240 Nyulensibus datas.

§ 84.

generatim.

Vicis, quos servi conditionalesque Regales colebant, Regalibus nomen. Hos, quin legibus d. Stephani fraus fieret, conferri alii posse inveteravit opinio;[1]) nihil itaque

---

[1]) Carol. Rob. in lit. a. 1327 ita de terris regalibus et castrensibus „cum nos universas terras castrorum nostrorum alienatas recaptivari praecepissemus, hominesque nostri ad hoc deputati terram Dobine per nostram Majestatem collatam, nomine terrae castri recaptivassent, idem proposuit, quod praedicta possessio nunquam fuisset terra castri, sed nostra regalis, et nostrae de jure pertinuisset collationi;“ nos autem praesertim „qui fidedigna Praelatorum et Baronum nostrorum relatione non castri alicujus fore vel fuisse, sed nostram Regalem, et nostrae collationi de jure pertinentem cognovimus; praefatum privilegium, accedente consensu et consilio Praelatorum et Baronum nostrorum, confirmamus.“ Haec tum ita; ab ejus temporibus et Udvarnicorum et Castrensium terrae sine discrimine Possessiones regales vocantur.

tam fuit curae prodigis quibusque Regibus; quam ut permisso sibi jure hoc uterentur, seu, quod res saepissime erat, abuterentur. [2])

[2]) Sismondius c. v. T. II. p. 277 monet: quartam territorii regni Francorum partem aequasse terras, quas Carolus opera servorum Fiscalinorum coli jussit. De Hungaria unum id dicere habeo: prima hujus aetate, post Castrenses, maximam in quoque Comitatu Udvarnokorum fuisse frequentiam.

III.

De Comitibus parochianis.

§ 85.

Varia horum, castrorumque nomina.

Comitatus [1]) pro regione, et principalium, in quas territorium Hungariae, publicae administrationis causa, divisum fuit, partium aliqua acceptus, a Castro plerumque, quod ei nomen mutuabat, hungaris Vár megye; [2]) in veteribus chartis parochia; [3]) paroecia; provincia item in Regesto Varadiensi perfrequens, [4]) Civitas praeterea Districtusque, [5]) et apud Ranzanum prorsus apposite pagus

[1]) Occurrit nomen hoc in literis a. 1001. Eclesiae s. Martini de Monte Pannoniae per d. Stephanum collatis neque semel tantum, sed iterum. In Regesto Varadiensi ne semel quidem.

[2]) Colom. L. 1. cap. 12, 37. Mega Megye hodiernum est; sed ita Dioecesin quoque vocamus; Vármegye Comitatum accuratius reddere videtur.

[3]) In lit. Martirii Archi-Ep. Strig. de anno 1156 (C. D. II. p. 142) in parochia Strigoniensi, parochia Nitriensi, parochia Bors, in parochia Hunt. Ita Comitatus appellatur in Reg. Varad. n. 346, 368. s. Lad. l. III. c. 16.

[4]) Num. 93, 97, 207, 212 cet. Incolae n. 20, 213, 214 Comprovinciales.

[5]) S. Lad. l. III. c. 1. In lit. Colom. Regis de anno 1111 (Cod. Dip. VII. 4. p. 57) „Moyses ejusdem Civitatis Nitriensis tem-

vocatur, prisco vocis hujus apud Julium Caesarem et Tacitum sensu.[6]) Nomina itaque Comitis Castri, Comitatus, Districtus, Comitisque parochiani supremum provinciae Magistratum, Comitem seu Rectorem[7]) designant, qui cum intra territorium hujus, omnes civiles, aeque ac militares rationes, Regis auspiciis curaret; stylo veteri Cancellariae, non abs re, inter Barones sensu lato: (Fő emberek) censebatur.

pore illo Comes." Lud. Tubero l. IV. § 10. „ex duobus et septuaginta conventibus sen civitatibus." Fel Sebes in Districtu de Sáros a. 1307. Mikach Comes de Sáros et Judex in eodem districtu per Regem deputatus 1317. Comitatus Zoulom, Thurócz et Liptó Belae IV. etiam praedia sua vocantur.

[6]) Jul. Caes. de bel. gal. I. c. 8. omnem Civitatem Helvetiam in quatuor pagos fuisse divisam. IV. 1. Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima; ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt. Tacit. de mor. Germ. c. 12.

[7]) Lit. Steph. V. de 1270 „nec per praedictorum Comitatuum Judices, Comites, seu Rectores" cet.

§ 86.

Institutum castrorum

Numerum limitesque provinciarum hujusmodi, et plures pauciores, in quos a principio divisae fuerant, Centuriatus (Processus, Járás hungaris) multiplicis item muneris Comitis parochiani, aliorumque Magistratuum, quibus, velut manibus uteretur, partes, conditionem denique Castrensium d. Stephanus descripsit, distribuitque, ac tanto hoc perfunctus labore Legendam, rectius Album Castrensium conscripsit.[1]) Itaque institutum Castrorum, quod Arpado, ut diximus, auctore conditum ad eam adduxit perfectionem, ut ipse illud condidisse plerisque ante Timonem scriptoribus crederetur.

[1]) Not. praev. § 28. ad (2).

§ 87.

d. Stephanus excoluit.

Plus a vero discedunt, qui initiis rerum hungaricarum longe posteriores non nullos chronographos secuti, liberos omnes, quos perpropere Nobiles appellant, aut suo quemque arbitrio terras, ubi libuit, occupasse, aut sortito accepisse contendunt. Primorum haec valentiorumque, ac Jobbagionum naturalium fuerit sagacitas; non reliquae item multitudinis, seu Notarium Belae Regis, qui Majorum populi Hungarici; seu celeberrimum Guizotum consulas, [1]) qui ceterarum bellicosarum gentium naturam, moresque altius inspexerunt. Gloria multitudinem hanc per provincias accuratius a se descriptas ita distribuisse, ut singuli agrorum sibi assignatorum cultui semet dederent, omnes vero, licet in posterum non jam simul, sed separatim viverent, militiae securitatisque externae rationibus inservirent, propria d. Stephani est, qui, ut eum non imbutum modo arte regendi, sed praeclarissime instructum videas, sapientissimo consilio hoc ita usus est, ut belli simul pacisque artium componeret rationes, et cum castrensium alios vacare armis, alios alia, quae non minus militiae essent, munia praestare inferiora, publicasque facere operas vellet, quot per Hungariam provincias, totidem perpetua quodammodo castra conderet ejusmodi, in quibus iidem bellatores, iidem agricolae essent, [2]) genera tantum armorum mutarent.

---

[1]) Hist. de la civilisation en France Tome I. edit. a. 1840. p. 249.

[1]) Veget. de re milit. l. I. c. 3.

§ 88.

De castrensibus

Hi Györienses vulgo et Várjobbágyok, Várnépe ex instituto d. Stephani liberi fuerunt omnes; sed pars, Servientes castri qui vocabantur, gentium quoque et exercitualium compellati nomine,[1]) armis facile parabilibus; pars longe major, castrenses, sensu strictiori, agresti meruerunt opera, finitimi Udvarnokis, quos, in testificando liberis his pares, prae reliqua plebe levissima habitos conditione diximus. Binae classes hae, ac Udvarnokorum quidem aliquo libertatis; Castrensium vero quodam liberalis servitutis numero accedente, ita invicem alligabantur, ut nuspiam clarius gradum et quasi processum libertatis videas, quae sic ad omnem, praeter mancipia, multitudinem derivata et fundamentum et compagem conditae Stephani auspiciis Monarchiae hungaricae constituit.

---

[1]) Bela IV. anno 1253: item villam Vágh a castro exemtam, cum populis castrensibus habitantibus super illam, qui exercituales dicuntur. Vim vocis literae quoque explicant, quibus Rex idem (IV. v. 3. p. 420) nonnullis monasterii Tihanyiensis Jobbagionibus equitibus, in Jobbagionatu et Officio equestri relictis; ceteris admensa dimidium fertonem (sex pondera) monasterio quotannis pendendi conditione admittit, ut sicut hactenus, porro quoque exercituales Regis existant.

a) de Castrensibus rusticis seu civilibus.

Prisca Udvarnokorum conditione ex crassis, quibus eam sepultam Skerleczius queritur, antiquitatis tenebris utcunque eruta, sublucet jam nihilo minori obsitus caligine status Castrensium rusticorum, seu Civilium politicus. Hi, cum pro conditionis suae officio ad castri bellique spectarent usum, Udvarnokis seu servis regalibus,

reginalibusque, existimatione civili, multo superiores habebantur. [1]) Castrensium horum erat: parare, incidere indagines (Gyepű? Andreae II.[2]) vocantur) ducere fossas, erigere aggeres, serere in his et texere, pro vetustissimo gentis more, vimina; apparatuum militarium curare advectus; excubias ad carceres agere; agros (várföld), prata (várrét) castri colere; pabulum, materiam advehere, et quae sunt hujusmodi, exequi. Censum praeterea terragii nomine pendere; praestare denique descensum (victualia) Comiti Castri tenebantur;[3]) veri nominis **Munifices** Romanorum,[4]) quia munus non privatis, sed rei publicae faciebant.

---

[1]) Nihil itaque ad Castrenses interdicta Regum attinebant, quae de Udvarnokis, sine speciali assensione sua, Ordini sacro non auctorandis, negataque his fundos Eclesiae Strigoniensi conferendi facultate paulo ante commemoravimus.

[2]) In literis, quas vide sis in Tudom. tár. a. 1843 de mense Septembri; item C. D. III. v. 1. p. 73.

[3]) De his castrensium officiis Regestum Varadiense affatim, Diplomataque alia. Sic Bela IV. villas Heymus, et Lethon cum omnibus suis utilitatibus, terragio, et victualibus, quae singulis annis Comiti seu Castellano de Scypus dare et solvere tenebantur, omnino eximit a castro de Scypus a. 1250 in suplem. ad anal. Scep. p. 53. Ibid. p. 448. Andreas III. et ab opere Castri de Scepus et a dandis victualibus largitur immunitatem. Adde ad haec literas per Carolum R. (VIII. 7. p. 158) populis Eclesiae b. Petri de Posega datas.

[4]) Tacit. Ann. I. 17, 4. Ibid. I. 35, 2. Hist. I. 46, 3. Vegetius l. 2. capit. 7. „Hi sunt milites principales, qui privilegiis muniuntur; reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur.“ Ibid. cap. 19. „Fascicularia tamen, id est: lignum, foenum, aquam, stramen etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quod haec munia faciant.“

b) de Servientibus, bellatoribus, vulgo filiis Jobbagionum castri.

Servientes castrenses, exercitualesque, nec enim vereor, ne errem, **Beneficiarios Romanorum**, immunes

operum militarium, in unum pugnae laborem reservatos repraesentabant,[1]) inter castrenses rusticos seu Civiles et Ordinem equestrem (primos et naturales Jobbagiones) medii; ab illis enim immunitate census, et laborum, quos superius percensuimus; ab hoc, justaque militia inprimis nomine: filiorum Jobbagionum castri; titulo deinde dominii terrarum suarum, quas speciatim, in libertate filiorum Jobbagionum tenuerant,[2]) non infrequenti denique Praedialium apud latinos;[3]) in vernaculo a descensu, quem Comiti Castri praestabant, filiorum Jobbagionum Kalácsadó dictorum appellatione distinguebantur. Aetatem degebant vita frugali et modica, nullaque magnificentiae rerumque afluentiae cura, sed hoc magis apta ad id assequendum virtute [4]), ut plurimi eorum rebus bello fortiter gestis, per Reges una cum possessionibus suis conditioni filiorum Jobbagionum exemti, in Ordinem procerum, altiorum-

---

[1]) Vide sis Veget. II. 7. ad finem; Caesar de bello Civ. I. 75. III. 88. Livius VII. 7. Plin. ep. 10, 12, 36 et Gruterianum Indicem eorum, quae ad rem militarem pertinent.

[2]) Andreas III. a. 1293 (Kollár amoen. Vol. 2. p. 93) dictam terram non in libertate filiorum Jobbagionum de Scepus, sed eo jure et libertate, quibus nobiles regni nostri terras suas dignoscuntur possidere. His similes alias habet C. D. V. 1. p. 57, 215. VI. 1. p. 245. VII. 2. p. 251. VII. 4. p. 142, 151.

[3]) Literae Stephani Bani Slav. de a. 1255 (IV. 2. p. 347) quos invenimus ex castrensibus indebite factos esse Jobbagiones castri vel Praediales, reddidimus in pristinam libertatem, quos vero invenimus Jobbagiones et Praediales, illos in statu suo cum terris suis pacifice duximus dimittendos.

[4]) Quam ne inopiae rei agrariae eorum adsignes, memineris Dominicum filium Csemae Jobbagionem Castri Ung (VII. 2. p. 227) villas duas in possessione habuisse, et generatim ,,hactenus eos adjumentis bonorum fuisse instructos, ut virtutis officia possent obire.'' Aristot. Pol. l. VII. v. 1.

que castri Jobbagionum referrentur [5]) quive adhuc Servientes castri, deinceps Servientes Regales dicerentur. Fuit tamen jam antea, praesertim post Andreae II. et Regesti Varadiensis aetatem, status eorum velut armigerorum, pro communi per reliquam Europam more, tanti pensus, ut his item Jobbagionibus nobilium contribueretur axioma, quod eo valuit, ut illorum adscribi numero percuperent plures, [6]) nec pauci astu eorum subreperent consortio. [7]) Usum epitheti hujus Bela IV. pluribus adfirmavit literis suis; quo facto, non aliud jam inter nobiles filios Jobbagionum, verosque nobiles reliquum erat discrimen, quam quod illi titulo feudi [8]) dominiique utilis, hi titulo proprietatis et tamquam veri haeredes fundos suos tenebant. Qui itaque horum se inseri coetui id vero est: ex illo argenteae, ad eximium aureae libertatis evehi gradum cupiebant nobiles filii Jobbagionum castri; non ratione personae tantum, sed una cum possessionibus suis, eximi privilegio Regum [9]) numero ceterorum Nobilium castrensium debuerant.

---

[5]) Lad. IV. (V. 2. p. 544) Strenuos actus militiae nobilium Jobbagionum castri et praedialium suorum in Comitatu de Ryucse considerans, eos in numerum naturalium Servientium Regalium (Altiorum, Majorum, Honestorum Jobbagionum) transfert.

[6]) Exemplum in literis habes, quibus Andreas III. Nicolaum de Badyn e primitiva conditione, in numerum et collegium seu libertatem filiorum Jobbagionum de Zolyom refert VI. v. 1. p. 345 aliis item supra VII. 2. p. 251. Kevélyiis de Szelnicza per eum collatis.

[7]) Ut supra num. 3.

[8]) Verba recollige Simonis de Kéza edit. Podhr. Append. cap. II. § 4. „Joobbagiones vero castri sunt pauperes nobiles, qui ad Regem venientes, terram eis tribuit de castri terris, ut pheuda castri et castrum guerrae tempore custodirent“ per Scriptores a genuino sensu, qui ad nobiles filios Jobbagionum castri refertur, violentissime detorta.

[9]) Dilucidum hoc est ex literis superius num. 5. citatis; aliis item C. D. V. 3. p. 91 et VIII. v. 2. p. 215 et rursus aliis IX. 3.

p. 684, quibus Ludovicus Michaelem et alios dictos Nagy de Chaphord in Comitatu Sopron. de Jobbagionatu aliorum Nobilium castrensium dicti Comitatus eximit et eadem, qua alii et veri ceteri Nobiles regni Hungariae utuntur, donat; et denique Diplomate Stephani Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Regis Nicolaum filium Katehk nobilem Jobbagionem castri de Morucha et filios patruelium ejus similiter Nobilium castrensium de eodem Comitatu Moroucha, simul cum possessionibus suis de praemisso nobili Jobbagionatu castri eximi petentes, hac purorum Regni nobilium et Servientium regalium praerogativa donantis. C. D. IX. v. 6. p. 286.

§ 89.

De numero Comitatuum.

Bela III. Hungariam in duos supra septuaginta Comitatus [1]) divisam perhibet. Idem multo prius, quam Diploma hoc nuper detectum esset, ex Rogerio, Ludovico Tuberone, aliis comperimus. [2]) Etsi itaque non primaevum, eum tamen, qui Seculo XII. fuit, Comitatuum numerum certum plane et exploratum tenemus. Ex his minores aliquot jam aetate Regum stirpis virilis Arpadianae, alii post hanc desierunt, junctique aliis, in Syllabo Comitatuum Verbőczii non comparent. [3]) Atque inter hos

---

[1]) Cod. Dipl. III. p. 217.

[2]) Rogerius in mis. Carm. cap. X. septuaginta duos habet Ungaria Comitatus; ex his Reges habebant delicias, divitias, et honores; Lud. Tubero Dalmata in Comment. de temp. suis l. IV. § 10. ita hanc in rem „atque cum totum regnum ex duobus et septuaginta conventibus seu civitatibus constet, omnes in 14 dioeceses distributae sunt, quibus singulis praeest Pontifex" has ibi § 9. recenset, Zagrabiensi quoque et Sirmiensi ac Diakovariensi numero huic inclusis. Otto Frisingensis „quum praedictum regnum per LXX. vel amplius divisum sit Comitatus. Bonfin: „septuaginta circiter quinque Conventus, quos Comitatus appellant, numerat."

[3]) De Comitatibus Valko, Posega et Syrmiensi praeter ea, quae Bonfinius, Ransanus, Brodericus (atque hic quidem in Sla-

mihi Bana, [4]) Benke, [5]) Bolonduch, [6]) Galgocz, [7]) Potok, [8]) Szoboszló, [9]) censendi videntur, quod proprius illis Comes, ceterique ordinarii Magistratus olim fuerunt.

---

vonia natus) legesque annorum: 1478, 7, 1498, 16, 1505, 30, 36, 37, 1525. Belius Hung. nov. T. III. p. 207. § 12. monent, plura vide sis apud Podhradczkium, Fejérium, et Stephanum Horváth, qui Joanne etiam Listio Episcopo quondam Veszprémiensi et Cancellario Regio nixus (vide Kovachich Script. minor. T. I. p. 32) tribus Slavoniam Comitatibus: Zagrabiensi, Crisiensi et Varasdinensi, in plaga nempe Dravo, Savoque fluminibus interclusa exhibet; plurima vero in dissertatione Georgii Gyurikovicsii: de situ et ambitu Slavoniae et Croatiae a. 1844. Pestini edita et externorum etiam judicio laudata in österr. Blätter für Literatur und Kunst II. Jahrg. N. 46. Quibus an et quantum responsa decerpant a. 1847 Zagr. reddita, hocque momento accepta per me, non vacat inquirere.

[4]) Lit. Vincen. Ep. Nitr. de a. 1258 ex speciali mandato Belae Regis super judicandis terris castri de Bana et revocandis Castrensibus. Item partem terrae ad castrum Bana Zulgageur pertinentem. Et lit. Mathaei Palat. de a. 1270. Palatinatu in Comitatibus: Simeghiensi, Sopronienši, et de Bana sublimati.

[5]) Lit. a. 1272 Jobbagiones ipsius castri Benke: Major exercitus, Major castri cet.

[6]) Reg. Varad. num. 360. Lit. de a. 1266 „de villa Bást, qui de altioribus Jobbagionibus Castri Bolonduch oriundi fuerant."

[7]) Terrae Jobbagionum Castri Golgoucz in literis de a. 1258 (Cod. Dipl. T. VI. p. 460) in quibus aliae item ad castrum Nitr. spectantes recensentur.

[8]) Steph. V. in lit. de a. 1263 turrim in castro Potok C. Michaeli confert, huncque a judicio caštellani eximit, Kollár amoen. II. p. 56. Vide et Thur. P. II. cap. 96. De Mgro Donch Comite de Zolum et de Potok (VIII. 2. p. 495) Nobilibus Jobbagionibus de Potok (VIII. 3. p. 743) Comitatus hic a longissimo jam tempore pars est Comitatus Zemplén. Szirmay not. Com. Zempl. p. 3.

[9]) Regest. Varad. num. 329. „Jobbagiones de Zobozló: Igeben Dux exercitus, Bede et centuriones cet. castri Zobozló."

Neque nihil in limitibus aliorum quoque complurium Comitatuum mutatum, non tam lege publica, quam Regum in eos indulgentia, quibus praedia sua viciniori adscribi Comitatui commodius visum est. Huic tamen arbitrio articulus 28. 1500 modum posuit.

§ 90.

Lex d. Stephani de castris hujusmodi in praedia non conferendis

Consiliorum Stephani principes: Deodatus, Astricus, Paznanus, Gerardus erant. Atque horum ego doctrina, praeclaraque in novam patriam voluntate factum puto, ut constituta per d. Stephanum vixdum virum Monarchia patria, ad omnes experientiae diuturni regni, historiaeque temporum, ac maxime systematis gubernationis Caroli M. informaretur cautiones. Inter has refertur constitutio ejus art. 30. Bullae aureae Andreae II. servata, de duabus dignitatibus nemini uni conferendis. [1]) Lex item altera Bullae hujus, qua cavetur, integri Comitatus vel dignitates in praedia seu possessiones ne conferantur; [2]) vim et sapientiam utriusque, nemo in rebus politicis tam hospes est, qui non perspiciat. Utraque ad avertenda ab Hungaria mala dirigitur, quibus impulsam Germaniam veterem, Galliamque Francorum de statu suo demigrasse honoratissimi gentium harum Scriptores dum queruntur, nos simul, quid Ste-

---

[1]) Mon. S. Gall. l. I. Providentissimus Carolus nulli Comitum, nisi his, qui in confinio vel termino barbarorum constituti erant, plus quam unum Comitatum concessit.

[2]) Art. 2. a. 1291 „item, quod nullum Comitatum regni nostri Eclesiis vel earum Praelatis, Baronibus vel Nobilibus alicui, vel aliquibus in perpetuum conferemus; imitantes in hoc sanctorum Progenitorum nostrorum, Regum illustrium Hungariae vestigia pro modulo et pro posse.“

phano, quid Consiliariis ejus, quid sanae, docilique Majorum, in amplectendis constitutionibus his menti, raraeque in iis observandis constantiae debeamus, aptius, quam fieri hoc per me posset, admonent.

§ 91.

De auctoritate Comitum Castri et quos muneris sui adjutores habebant

1. in re militari.

Comes Castri in negotiis, quae ad militares muneris sui rationes referebantur, per Officiales suos: [1]) Majorem exercitus (Hadnagy) Principem vulgo, Ducemque exercitus; Castellanum (Várnagy) eundem, qui etiam Praefectus et pro prisca selectus verborum indiligentia, non raro Comes castri vocabatur, intra receptum hujus judiciaria quoque auctoritate instructum; [2]) et Centuriones adjutus; ex primaevo instituto, praeter personas religione sacras, et qui Comitum, Seniorumque exornati nominibus de Comitatu Regio censebantur, omni reliquo, intra fines provinciae sibi creditae militi praefuit. Sed de hac ejus auctoritate suo loco.

---

[1]) Lit. Reg. de a. 1272 „ita, ut comes castri ferrei et Major castri, seu quicunque officialis ejusdem Comitis, nullum jus ibi habeat.“ V. 1. p. 256. Endre Major exercitus pro Domino suo Stephano Comite Castri Veszp. a. 1266. C. D. IX. v. 7. pagina 675.

[2]) Bela IV. turrim in castro Potok C. Michaeli dum conferret, vult simul, ut possessores (turris) judicio Castellani castri adstare teneantur. And. III. Korotnokios non tantum a Comitis, sed Castellani quoque jurisdictione eximit.

2. in rebus civilibus.

a) in jure dicundo.

Civilis Comitum Castri auctoritas duplicis erat generis: in speciebus causarum, quae a summa Curiae Regis, proxima Palatini, et perampla Sedium episcopalium jurisdictione reliquae fuerant, ordinaria; in aliis delegata saepissime auctoritate, quod mox videbimus, judicabant. Qua muneris parte Curialis Comitis (Al-Ispány) usi sunt opera.

b) in procurandis reditibus regiis castrorum.

Iidem statos quoque debiti, seu census Castrensium, uti aptissime Regestum Varadiense loquitur, reditus regios, et proventus curabant liberorum denariorum; neque istos tantum, sed ut deinceps clarius patebit, alios

---

[1]) Inter censum aut pensionem castrensium, liberos item denarios multum discriminis est; ille solvebatur per castrenses centurionatui subjectos; hi per liberos hospites centurionatui non subjectos. Utrumque ex Reg. Varad. patet. Sic num. 206. Castrenses de Heves impetunt quosdam, quod essent eorum coofficiales (simili, ut num. 360 habet: officio, id est debito castrensi subjacentes) illi autem dixerunt: non esse subjectos centurionatui, sed debitores liberorum denariorum; num. 253. Jobbagiones castri Zounok impetierunt quemdam dicentes, quod eorum esset contribulis et castri Zounok jobbagio; ille autem contendebat, se filium latini hospitis esse, et absolute liberum. Similia vide sis Nr. 276, 300, 367. Castrensium pensio pro ratione facultatum fuit; illi ad num. Reg. 44. pro debito censu sex marcas solvisse videntur. Metales filiorum Csukár Jobbagionis Castri Posoniensis (ad Modram) de a. 1256 „vadit ad villam Modor, ubi sunt homines, qui dicto castro quinque pondera solvere tenentur. Plurimique fuerunt populi quinque pondera solventes, et conditionarii solventes medium fertonem seu pondera sex.

plurimos, quorum pars tertia iis in sumtus castri, sortemque salarii cessit. Non itaque ex publicis olum muneris sui ratione, sed officio quoque privatarum rerum suarum, magno solliciti fuerant opere, ne leges d. Stephani de rebus, militibus, servis, et quidquid ad regiam dignitatem pertineret, integre servandis conditae violentur. Neque tamen vel sic diu salvis his esse licuit; quod initio per Petrum Regem facto, Reges alii in favorem Eclesiarum territorio castri decerpserint, alii contribules castrensium e numero horum exemerint. Quod ne Comitibus parochianis detrimento esset, datum, quod conjicere licet, per Petrum exemplum [2]) huic locum consuetudini fecit, ut ii, qui ex castrensium numero eximerentur, descensum Comiti, [3]) victualia, puta, vel horum vicem aes paratum deinceps etiam praestarent, alteroque ac tertio saepe vix consequi Regum privilegio possent, ut ab hoc castrensium debito plenius eximerentur. [4])

---

[2]) In hanc quoque doctrinam praecipui usus est Diploma b. Petri Quinqueecl. „Item, quia Eclesia Quinqueeclesiensis (structa per Petrum Regem) est fundata in Comitatu de Baranya et exemta ab omni judicio cujuslibet judicis regni nostri, volumus tamen, ut et semper comperimus, quod debeat solvere, ipsa Eclesia, Comiti de Baranya, annuatim singulas tres marcas frisat. eximentes omnia bona, possessiones et populos ipsius Eclesiae a potestate omnium villicorum. Sic vero Jobbagiones de castrensibus Zagrabiensibus exemti (v. lit. Lad. IV. de a. 1279), ratione descensus, Comiti suo decem et octo pensas, Bano octo marcas solvere tenebantur. Recollige literas quoque gentis Komlósiae ad notionem Jobbagionum § 30. citatas.

[3]) Victualia, quae descensus titulo praestabantur, panes erant, aut tortae aliquot, pulli item aut gallinae, pecus pascuale, cerevisia, avena, quarum mensura variabat, pro consuetudine locorum. Vide inter cetera in Supl. ad anal. Scep. p. 324, 397, 415. et in Cod. Dipl. plura.

[4]) Hujusmodi debito Comites parochiani plures, contra jus etiam inhaeserunt, sicque factum, ut licet e. c. Marcellus Jobbagio castri Zolgageuriensis ab Andrea II. jam obtinuerit, ut a debito, in

quo praedicto castro ipse et ejus filii tenebantur, plenius essent exemti et inter Servientes Regis censerentur; filii novum Belae IV. eflagitaverint privilegium „ut deinceps castro de Zolgageur nullo servitio, seu debito sint adstricti, sed servientium regiorum ipsi et haeredes perpetuis temporibus gaudeant libertate (VI. pagina 138)." Haec ad explicandum familiaris veterum Diplomatum formulae plenius exemti sensum.

c) *de Centurionibus et Praeconibus.*

In curanda re tributaria Comiti parochiano operam dabant Centuriones, pro amplitudine territorii castri, plures pauciores, et Archipraecones; sed enim muneris horum aliae etiam erant partes. Et centurio quidem, alter veluti Comes districtus [1]) sui, et rem militarem et tributariam et denique in causis minoribus, rem etiam judiciariam procurabat. Boves, aliud collectarum, tributorumque genus Archipraecones colligebant; [2]) vagorum quoque pecorum in aerarium publicum redigendorum cura iisdem commissa. Qui in hac et ea muneris parte longe antiquissima, ex qua litigantes ad diem praefixum in judicium accersebant, et edicta per fora, villasque provinciae vulgabant, per subjectos sibi Praecones egerunt plurima.

[1]) Centuriones per partem territorii castri sibi creditam, et rem militarem et tributariam (Col. l. I. cap. 79. Reg. Varadiensi num. 44) procurabant, et vero verba cap. Caroli M. l. 4. c. 62, 63. „Judices minores per centenas jus dicunt, et Comiti subsunt" sibi scripta rati sunt; pro hac enim auctoritate sua judicavit Codaba Centurio super duabus marcis, Reg. Varad. 264.

[2]) Reg. Var. num. 258. „Bosur Archipraeco Békesiensis, dum poneret rationes ex consuetudine sui officii, de bobus regiis, dixit se a Joanne Praecone de villa Scevef quatuor boves nondum accepisse."

d) *De Praefecto Urbis.*

In partem denique curarum Comitis parochiani, secundum castellanum, juvit etiam Praefectus ur-

bis[1]) idem, qui Major etiam villae seu judex loci vocabatur. Locum hic intellige, qui castro subjectus (Várallya) levioribus eidem servitutis legibus[2]) tenebatur, et tum ea re, tum vero, quod personis rebusque ampliorem securitatem, modum vero merendi etiam faciliorem suppeditavit, numero incolarum jam principuo frequens, deinceps, postquam d. Rex alienigenarum per se redemtorum partem, opifices maxime, castris addixisset, comparatis per hos opibus etiam ditior fuit. Loca hujusmodi, urbes etiam, civitates; incolae vero urbani, suburbani, cives,[3]) et a burgo burgenses appellati, suum quidem illum Magistratum habebant; erant tamen et hic et ipsi incolae Castellano, Comitique castri, et solis modo hospitibus demtis, omnes etiam Centurionibus obnoxii.[4])

---

[1]) Regest. Varad. § 79.

[2]) Hae in summa ex pacto inter cives Scardonenses et Banum partium illarum a. 1284 inito cognoscuntur, ex quibus apparet: illos ad castrum vigilias servare, vineas et terras colere, aquam portare, itinera et alia servitia consueta facere debuisse, et pro oneribus his Bano annuas bis mille libras, pro macello autem, telonio, piscatione cet. libras 600 venetas solvendas in se recepisse.

[3]) Reg. Var. § 367. Cives de Borsod impetierunt quosdam pro concivibus suis, illi autem dixerunt: se esse liberos et filios hospitis Boemorum § 253. ille autem contendebat se filium latini hospitis esse et absolute liberum: § 276. „Sama, impetiit, Pousam, quod suus esset concivis, hic dicebat se liberum et teutonicum genere. 300 Castrenses de Carasna impetierunt quosdam, quod sint concives eorum. Illi se dixerunt liberos et genere Ruthenos."

[4]) Ibidem num. 206. illi autem dixerunt non esse subjectos centurionatui, sed debitores liberorum denariorum. De ceteris castri incolis hujusmodi valet illud Steph. II. Regis de a. 1162: hunc hominem in Sproniensi castro manentem, nomine Forkos a civili jugo subtraxi, tantaque dote libertatis sublimavi, ut ubicunque vellet, libere et secure famulari possit.

§ 92.

De Bilochis.

Sunt, qui Bilochos etiam in numero Magistratuum castri collocent, parum integra utique veritate; non enim castri, non municipii Magistratus, sed regia auctoritate nominati judices erant, qui de furtis, latrociniisque [1]) per homines conditionis servilis patratis cognoscebant. Radix vocabuli vernaculum billeg, [2]) quod stigma seu infamem notam significat, qua ex legibus divorum Regum fures latronesque inurebantur. Auctoritas muneris, dum judicium capitis penes Regem tantum et Judices regni Ordinarios esset, amplior; post ubi potestas similis judicii pluribus obvenit [3]) imminuta sensim, et licet jam ante conditum art. 5. 1222 ita exercita fuerit, ut Bilochi soli rarissime, passimque cum Comitibus, Curialibusque Comitibus castri vel Dominorum judicarent; [4]) tamen per Belam IV. detestata, eodemque auctore, nisi fallor, generatim sublata est, [5])

---

[1]) Ordinarie; nam Reg. Var. num. 200 etiam de homicidio judicat.

[2]) Consentientem mihi habeo Batth. LL. EE. T. II. p. 320.

[3]) Sic Priv. Ecl. Budensis de a. 1212 Regia auctoritate firmamus, ut nullus Bilochus, nullus Comes, Comes Curialis sive aliquis alter populum Budensis Eclesiae praeter loci ejusdem Praepositum quoquo casu praesummat judicare.

[4]) Confer num. Reg. Var. 57, 72, 149, 164, 168, 178, 200, 239, 256, 260, 263, 265, 272, 274, 318, 386.

[5]) In literis anno 1240 (C. D. IV. v. 1. p. 194) Nyuliensibus elargitis „Bilotum omnino abolemus.“ Res ipsa indicat, de tristi officio Bilochi obliterato sermonem hic esse, a quo mihi Biloti nunquam non discernendi videbantur. In literis certe, quas Isabella Regina a. 1274 (Cod. Dip. V. 2. p. 216) edidit, verbisque harum „ut medietatem illius terrae, quae praesentibus et consentientibus Bilotis (non uno igitur, sed pluribus) et aliis Jobbagionibus (Primoribus) exercitualium nostrorum in portionem ejus exstitit devoluta“ munus horum longe diversum;

sed opinionis eorum error, qui vestigium invisi muneris in voce Biró manere prodiderunt, in glossa ad art. 5. 1222 subnexa, incautis pro vera sese usque adhuc venditat sententia.

---

versum; quod tamen illud fuerit, nec ex aliis Elisabethae Reginae (ibid. vol. III. p. 96) literis, quae sequentia habent „introduci faciendo in possessionem terrae Sykar per Togodon bilotum, hominem nostrum" eruere, hoc itaque tantum asseverare possum: ut in birsagio nostro, ita in byrzogio Goldasti, Lydii cet. Biro nostrum videre me; in biloto non videre.

De ordine equestri.

§ 93.

Milites d. Stephanus vocat;

Florem gentis, roburque virtutis hungaricae nomine hoc d. Rex appellat, vehementerque auctor est filio, ita Regum antecedentium (Ducum), suumque sequatur exemplum, ut in regundo, avitos mores (jura intelligit) vel inprimis observet, securitatemque regiae dignitatis suae, in cunctorum amore militum positam constanter meminerit.[1]) Offensionem Primatum regni non eam quidem gravissima carere invidia, eo tamen esse multo periculosissimam, quod fortitudo militum adferre ei etiam perniciem possit.[2]) Ad haec enim caput IV. et VIII. Libri Decretorum ejus primi redeunt.

---

[1]) Comites et Principes aliquos, ceteros milites vocat d. Rex cap. IV. l. 1. Decr. plene itaque consentit Hartvico, qui operis sui edit. Podhrad. p. 43. Primates et Ordinem sequentem loquitur. Atque de hoc jam ordine omne id, quod Aristoteles Pol. l. IV. c. 9 de Civibus mediis, mediocribus Civibus promit, isthic dictum puta.

[2]) Lex Visigothorum similis obversabatur divo Regi, de qua vide plura apud Guizot Cours d'hist. mod. I. p. 275.

§ 94.

hisque avitam in perpetua tempora libertatem

De hac nos jam apud Hunnos et in Hungaria sub Ducibus diximus.[1] Quod igitur scriptores alii, praeeunte Humeio, qui scita Eduardi Confessoris ex Magna Charta Angliae elicere contendit, apud nos faciunt idem, ut, ex Bulla aurea Andreae II. edissertare praerogativam pergant, quam d. Stephanus equestri asseruit ordini; nobis facere necesse non est. His Belae Regis Notarius seculi XIII. scriptor axioma Nobilium tribuit; maximum vero Arpadi convivium ita describit, ut hujus quoque sub exemplo, milites, dominosque, ex perpetua generis nostri lege, eadem, aurea nimirum praefulsisse libertate eluceret. Sed hunc etiam illius locum jam patefecimus[2] antea. Ne itaque nihil agamus, Prisci Rhetoris in memoriam verba revocamus testantis: Lege Hunnorum quemque, apud eos qui degeret, tolerato bellorum labore, sine ulla vitam peragere sollicitudine; unum quemque nempe eam bonorum, quam ei fortuna indulsit, fruendorum habere potestatem, nemo ut illi qua demum cunque in re, ne minima quidem, negotium exhiberet, aut molestus esset.[3] Adscribimus item verba juris consuetudinarii Hungariae ex art. 2—3 Bul-

---

[1]) Vide supra l. I. § 14. l. II. § 29. Ad quos Romano si loqui ore velis, ea Festi ,,ut qui optima lege fuerint; optimo jure; eo jure, quo qui optimo" item ,,cives optimo jure, optima lege vel conditione" penitus quadrent.

[2]) Supra § 32. ad 3.

[3]) Supra l. 1. § 14. Nec imperare mihi possum, quin capit. Caroli calvi X. (Baluz. T. II. p. 263) subjiciam ,,et si allodo suo quiete uti voluerit, nullus ei aliquod impedimentum, facere praesummat, neque aliud aliquid ab eo requiratur, nisi solummodo, ut ad patriae defensionem pergat." Quae manifeste ex Prisco, id est, moribus Hunnorum sumta sunt.

lae Andreae II. composita [4]) quae ita habent: tertia est, quod justis eorum juribus et omnibus proventibus, intra terminos territoriorum suorum adjacentibus liberam semper, prout volunt, fruendi habeant potestatem, ab omnique conditionaria servitute ac datiarum et collectarum, tributorum, vectigalium, tricesimarumque solutione per omnia immunes et exemti habeantur; militare duntaxat pro regni defensione tenentur. Hisque positis tuum jam esto judicium, quid illa ad initium Bullae „concedimus eis libertatem a sancto Rege concessam" significent? Mihi quidem grati haec animi verba posterorum sunt, quorum ex sensu, quod Rex fecit, qui summam hanc avitae libertatis, uti paulo ante citatis ad filium monitis consentaneum erat, et sanctione sua, et praeceptis moralibus confirmavit, persimile fuit concedentis.

---

[4]) Oper. trip. Verb. 1. tit. 9.

§ 95.

a s s e r i t;

Sana Hungarorum mente, nunquam non plurimum ad libertatem in eo situm erat, ne quis indicta causa opprimatur judicio. Et Stephanus quidem scripta etiam hanc in rem lege cavit; de qua etsi alio dicendum loco sit, non tamen committam, ut sine aliquo hinc munusculo discedas. Verba accipe Hartvici, qui Bissenos quosdam mercatores a vi quorundam militum pervenire ad Stephanum, facultatibus integris, non potuisse praefatus, subjicit: misit itaque Rex ad illum, sub quo militabant, tribunum et, die constituto, omnes jussit in conspectibus suis praesentari, et ad discutiendum in praesentiam sui statui. [1])

---

[1]) Hartv. edit. Podhr. verba p. 78.

§ 96.

nec militibus, quos majoribus sacerdotiis assignavit, exceptis.

Liberos, seu milites, d. Stephanus majoribus sacerdotiis ad praesidium, decusque assignavit, plures amplis donatos agris. Obtinebant illi hos pari et eodem, quo milites ceteri, dominii jure. Erant praeterea et hi ab omni tributo, vectigalique (a lucro Camerae, ait Sigismundus [1]) Rex) nunquam non immunes, et in juramentis, homagiis et testimoniis eodem (verba itidem Sigismundi sunt) modo et jure, quo veri Nobiles regni, acceptabantur, reputabanturque semper; cum tamen milites hi (Bellatores eos Jobbagiones Eclesiae, Regestum Varadiense numero 80 et 88; Nobiles Jobbagiones Eclesiarum [2]) Diplomata aevi sequentis vocant) jurisdictioni Praelatorum suorum subessent, causaeque eorum in distinctis cognoscerentur congregationibus suis, aut Magistratuum per Praelatos constitutorum

---

[1]) In eruendis antiquitatibus hungaricis Diplomata Sigismundi magni sane usus esse alibi saepiusque adnotavi. Ad locum hunc classicae sunt literae ejus de a. 1411. Cod. Dipl. T. VII. v. 5. p. 43. Confer etiam Bel. Notit. Hung. T. IV. ac praesertim Literas Belae IV. super nobilitate et statu Jobbagionatus primorum, verorum, et naturalium ceterorumque Ecl. Alb. Jobbagionum IV. 3. pag. 517. multis titulis commemorabiles.

[2]) Nolim hos, velut qui (VI. p. 206) numerum Nobilium Jobbagionum Eclesiae exercituantium specialem constituebant, cum Jobbagionibus equitibus, Jobbagionibus exercitualibus Eclesiarum confundas. Hi libertini erant majoris libertatis, in quorum conditionem recepti, Nobiles non dicebantur (IX. v. 7. p. 701) verum distincto Praelatorum egebant privilegio, ut in horum adoptarentur Ordinem (IX. 7. p. 708).

foris; ob hanc rem maxime, militibus regiis nunquam non inferiores erant, suntque etiam de praesenti. [3])

[3]) In gerendis tamen rebus Eclesiarum civilibus omnibus, tantundem his Praelati Hungariae, quantum Nobilibus suis Pontifices Germaniae tribuebant aevo medio.

De Vulgaribus.

§ 97.

Significatus nominis.

Qui de Comitum aut militum Ordine non erant, ex Decreto s. Stephani vulgarium nomine censebantur. [1]) Cujus sententia vocabuli latissime patet; ad quasque enim non plenissimae, seu ut Majores nostri loquebantur, aureae libertatis personas, ipsos itaque etiam castrenses prominet. Sed de horum, Udvarnicorumque regalium conditione res sic satis jam explorata: de Familiaribus Dominorum, Udvarnokisque aliis Praelatorum; et denique majoris minorisve libertatis libertinis restat dicere; post hos namque servi erant, meliori quidem, quam apud Romanos conditione habiti, sed tamen servi. De his jam ordine; modo unum praeponi concedas: d. Stephanum privilegio, quo monasterium de Bakonbél condidit, disertis verbis constituisse „ut homines, quos ad se pertinentes, s. Mauritio dedit, secundum ordinem conditionis suae, ita plane serviant Abbati, sicuti solebant servire Regiae Majestati.“ Curabant hoc etiam successores ejus, et qui ex his jurium suorum maxime fuerant prodigi, dum suas aut castrorum terras aliis contulerunt, conditionem praesentem incolarum pari fine, aut saltim ne deterior reddatur, in literis suis plerumque adnotarant.

[1]) Lib. II. c. 14, 15, 18, 25, 33 passim etiam minores et pauperes.

§ 98.

De Udvarnokis seu familiaribus Dominorum generatim;

Hi operam suam Dominis, impensa horum, navabant. Sigismundi Decr. IV. art. 3 familiares, aetate vero Mathiae Corvini, resuscitatis veteribus nomenclationibus, explanatius: Senescali, Dapiferi, Pincernae provisioni Curiae Nobilium quadamtenus statum Baroniae ultra ceteros Nobiles habentium; item (art. 36. 1459) Servientes Nobilium: videlicet aratores [1]) fabri, praediales, et sartores, victum et amictum de curiis Nobilium habentes nuncupantur. De his plane jam liquet: a primis conditae Monarchiae Hungaricae initiis ab omni collecta, lucro Camerae et tributo liberos fuisse. [2]) Quod ita se nostra etiam aetate habet. [3]) Sed haec hactenus; nam de lege d. Ste-

---

[1]) In syll. Decr. art. 37, 39, 459 et b. 463. Supra citatus art. 36. 1459 „qui de domibus Dominorum suorum terrestrium vivunt, vel quicunque artifices seu servitores, qui de manibus suorum dominorum sustentantur. Si autem pro se vivunt, vel terram suam colunt, solvere tenentur. Udvarnokos hos art. 2. 1475 etiam factores et praediales nobilium vocat.“

[2]) Literae Steph. V. de a. 1272 (C. D. V. v. 1. p. 272) quia et Udvarnici et servi a solutione collectae per conditionem suam excusantur, et hi, qui de collecta principali sunt expediti, ad solutionem denariorum superfluorum (qui collectoribus obvenisse videntur) nullatenus tenerentur cet. Decr. Car. Rob. de a. 1342 § 19. „servi conditionarii, exercituantes et servientes etiam privatorum, erga juramentum dominorum suorum, a lucro Camerae eximuntur.“ Lud. 1. art. 5. 1351 servos, villicos, servientes, in propriis (dominorum) possessionibus commorantes. Sigism. art. 3. 1411 villicos, habet, operarios et familiares dominorum terrae.

[3]) Imo vero condita Comitiis a. 1825 lege, de peragenda Conscriptione portali, in omne deinceps aevum puncto Instruct. 8, extensum est. Vide Acta Comit. horum T. II. p. 779.

phani, qua de Familiaribus Curiae Dominorum praefectis constituit, horum ut testimonium de Domino interfecto inter Comites recipiatur,[4]) commodior erit in re judiciaria dicendi locus.

[4]) l. II. cap. 50.

§ 99.

De Udvarnokis Eclesiarum specialiter.

Episcopos Hungariae plurimos et Dapiferorum et Pincernarum, et ceterorum officiorum hujusmodi Magistros olim habuisse, non est, quod asseveranti Ignatio Comiti de Batthyán opponas. Posteri Udvarnokorum, quos d. Stephanus his addixit, primaeva conditione sua fruebantur diutissime;[1]) nomen enim ipsum Udvarnokorum, alio nihilo minus miti, et aequitate temperato vocabulo: conditionalium, libertinorumque majoris libertatis sensim paullatimque commutatum esse, ex literis Ladislai IV. intelligas, ad Comitem et Curialem Comitem Jaurinensem ac collectores tam denariorum, quam victualium datis, quibus „etiam ex aprobata regni consuetudine, qua inter alia Cathedrales Eclesiae ac Monasteria regni fruuntur, annuit; ut conditionales (horum) populi, ad collectas Regias dimidiam collectam dare, et solvere teneantur;" propria enim; ut alibi adnotavimus, primaevorum haec erat Udvarnokorum Regiorum conditio.

[1]) Confer etiam Reg. Varad. n. 80 et 88.

§ 100.

De Libertinis.

Liberis Servi opponuntur in diplomatibus d. Stephani, qui horum alios ministros vocat; alios in mancipiorum habet numero. Sequentes Reges pro ministris libertinorum, libertorumque adhibent vocabula, hosque

in libertinos majoris et minoris libertatis, seu ut Regestum Varadiense num. 241 habet: superioris et inferioris conditionis discernunt; quos autem Stephanus mancipia, aetas posterior Servos dixit. [1])

[1]) Vide testamentum, quod Boleslaus Vaciensium olim Pontifex condidit, per Andr. II. a. 1214 confirmatum, et alias de condito monasterio Csatariensi; dote Eclesiae Lelesziensis cet. literas.

a) Libertini majoris libertatis.

Erant, qui in equo suo (verbis utor Andreae II.), sicut Jobbagiones servire tenebantur [1]) id vero est: militiam facere. Hi Jobbagiones etiam liberi, conditionalesque veteribus vocitantur propterea, quod inde a principio Monarchiae hungaricae reliquis Colonis velut veri nominis beneficiarii praestantiores erant; ex his namque gentes Dominorum utriusque ordinis legebantur. Conditio eorum liberalis censu fixo et praestandis ad diem nativitatis Domini, paschatis, et assumtionis B. M. Virg. muneribus praefiniebatur; [2]) salva, si mallent, alio se transferendi facultate. Qui itaque hanc Jobbagionibus, lege demum Andr. III. (art. 70. 1298) datam existimant, in hoc bis falluntur; primo: quod Andream legi per Carolum Robertum conditae auctorem praetendunt; deinde, quod libertatis hujus initium apud Hungaros generatim ab hac demum exstitisse lege existimant. De Decreto illo Andreae alias; hoc jam isthic indicare par est: de antiquissima Hungarorum consuetudine Jobbagiones liberos, si contra jus, fasque premerentur, depensis titulo terragii (föld-vám in vernaculo)

[1]) Cod. Dipl. IX. v. 7. p. 646. Literae And. II. de a. 1217.

[2]) Jobbagiones liberi monasterii de Tihany (VIII. v. 7. pag. 139) ad festum b. Georgii 25 et totidem denarios ad festum b. Mich. pro censu, et tria quotannis munera dabant. Cum literis his confer art. 2. Sigism. Decr. V. ex quo prisca Jobbagionum horum conditio sic satis elucet.

singulis marcis, quo vellent, concedere potuisse.[3]) Nihil igitur hac parte per Carolinam eam legem quidquam constitutum novi, sed primaeva Hungarorum liberalitas, peregrino sic deformata arbitrio, ut in magna exemplorum sententiae huic meae adversantium frequentia, difficile factu sit, non credere, hos etiam Jobbagiones cum gleba et capite ad Dominos suos pertinuisse, propriae restituta laudi suae et per Regem eum egregie fortem ad cunctos extensa rusticos est.

---

[3]) Benedictus Comes parochiae Albensis (VI. v. 1. p. 207) a. 1292 Servum suum Petrum in coetum libertinorum suorum assummit ita, ut secum et filiis suis exercituare in exercitu regali teneantur; si autem ipse, aut filii paupertate praepediti exercituare non possent, dominis eorum unciam dare pro expensa teneatur; si autem filii ejusdem Comitis ipsos ultra statutum Servitium voluerint agravare, tunc singuli, datis singulis marcis, ut mos est libertinorum (a. 1292 ante superius citatam itaque legem, hoc dicitur) se possint liberare et apud dictos dominos suos, vel apud alios, si voluerint, libere et sine impedimento commorari „Ex classico monimento hoc intelligas, quid in lege sequiori memoratum significet consuetum terragium."

b) Libertini minoris libertatis.

Horum, neque tamen Uxorum etiam ac prolium, opera industriaque omnis ad herum spectabat; glebae adstricti cum hac vendi, transferrique in alium poterant;[1]) mansit tamen conditio prior, et saepe mutato Domino melior iis fortuna illuxit. Sic Joannes Pontifex Strigoniensis, magni utique vir animi, et sane quam dignissimus, cujus nomini assurgas, quinque et decem libertinis de Zonok emptis per se, arbitrium deligendi fecit, quo deinceps servitii genere Eclesiae Strigoniensi subesse vellint? Illi pincernariam delegerunt servitutem: Joannes vero et hoc ratum habuit, et petentibus concessit literas, quibus in

---

[1]) Regest. Var. n. 374.

posterum quoque statueretur, ut hoc buchariorum de generatione in generationem sequantur officium. [2])

---

[2]) Schwartner Intr. in rem dip. p. 338. Alias similis argumenti literas magni Praesulis hujus vide sis C. D. III. 1. p. 72.

§ 101.

De Servis.

Hi jam non ipsi modo, sed conjuges etiam, prolesque Dominis in mancipii lege serviebant, moribus hungaricis ita temperata, ut liberis quidem matrimonium inire cum his, nisi eidem submittere se jugo servitutis vellent, nefas esset, atque hoc ex scitis reliquarum per Europam gentium isthic quoque valeret; quod tamen apud nonnullas harum usu viguit, jus primae noctis, jus connagii [1]) obscaenum, et a moribus Hungarorum, etiam dum maxime barbari haberentur, alienissimum, semper herus quisque horum satus genere abhorruit. Humanum istud; hoc etiam civile fuit, quod in servorum nati conditionem, si fidem, industriamque dominis suis probassent, non oblata solum, sed quaesita etiam ocasione ac ingeniosis quibusque titulis per hos manumissi, [2]) quidam cum terris, quas colebant, libertati asserti, alii Eclesiis lenissima obsequii conditione cessi, plurimi libera migrandi facultate donati sunt. [3]) Haec de Servis; atque

---

[1]) De his et jure laxandae costae synonimo plura cel. Muchar, o. c. P. II. p. 192.

[2]) Quod in Regest. Varad. Bagha fecit, ut servum suum redimi per Jobbagionem suum servi illius socerum admitteret; imitati sunt plurimi, vimque exempli habuit illud item Belae II. „si Abbati placuerit, dent filias liberis, et ducant de liberis.“

[3]) Plenum est exemplis manumissionis hujusmodi Regestum Varadiense, ex quo discas, improbas similis Romanorum apud Dion. Halicar. l. IV. 24 liberalitatis causas nunquam Hungaris placuisse; intelligas praeterea, conditionem manumissorum, lenem

horum numero erant etiam capti bello, et qui severitate legum, ad hanc mortis civilis poenam damnati sunt; primi namque Reges, tum quod saguinis suorum parcissimi fuerunt, tum quod et ipsi et gens universa, a prima inde stirpis origine sic habuere: inter dira omnia, gravissimum hoc apud Homerum quoque maledictum,

„Cui neque Curia, nec Lex est, neque Vesta, Laresque“

omnino dirissimum esse; plerisque criminibus poenam servitutis sanxerunt.

---

omnino fuisse, e. g. ovis unius, triginta item panum et quatuor hydriarum cerevisiae semel per annum per servum cum agro manumissum praestandarum. Vide ibi num. 142, 154, 229, 341, 349, 350, 352, 353 cet. ad laudem liberalitatis hungaricae sane quam gloriosissimos, sed qui, dum manumissos exequiales nullibi proprio nostro, vernaculoque Tórlók (C. D. IX. v. 7. p. 704) verum nomine a Slavinis accepto, Dussenikos vocant, notatam alias hominum nostrorum incuriam idiomatis sui, totidem argumentis confirmant.

De Hospitibus,
qui Cives item in veteribus chartis dicuntur.

§ 102.

Studia d. Stephani in hospites hos, cum ingenio Hungarorum congruebant.

Regem alienigenarum Patronum esse Canutus M. lege, [1]) Stephanus toto vitae instituto professus est; quin ea re apud Hungaros, gentem natura sua hospitalem, et quae ejus a questu et mercimoniis justo etiam major erat aversio, sellularias artes externis lubenter etiam delegantem, offendisset. Quanti res commodi futura

---

[1]) Cap. 37. LL. Anglo Sax. Canuti.

esset, si rudera florentium olim in Pannoniis oppidorum Romanorum per hospites hujusmodi recrearentur, nemo non perspexit, nec multis opus verbis fuit, ut libertate industriae publicas quoque utilitates ali, genti suae Rex providentissimus persuaderet, eaque assentiente, securitati libertatis hujus lege quoque prospiceret. [2]) Et Regis igitur, et legis nixi praesidio hospites hi, brevi in eam se adduxerunt fortunam, ut non patriam suam in Hungaria reperisse, sed omnium soli sui genitalis temporum antecessisse inter Hungaros gratiam sibi viderentur.

---

[2]) Lib. I. c. 6. II. 20.

§ 103.

Rudera Romanorum in Pannoniis oppidorum, per hospites hos plura exculta,

Acincum, Contra Acincum, Arabona, Carpis vel Pons ad Herculem, Colonia Julia, Epurum, Mursa, Zambura, Osones, Sabaria, Peuce Romanorum per Pannonias olim municipia, per hospites maxime factum est, ut veteris Budae, Pesthini, Jaurini, Strigonii, Sopronii, Trencsinii, Eszekii, Temesvarini, Albae, Sabariae, Quinqueeclesiarum nomine reflorescerent. Szathmár Németum Bavari, qui Comitatum Gyzelae in Hungariam venientis assectabantur, condiderunt. Cibinium in Transylvania, (Hermannstadt Germanis) nomen statoris sui, Hermanni Norimbergensis, amplissimo orti genere praedicat.

§ 104.

ab integro structa alia.

Vernaculum nomen urbis, Város, a castro vel arce (vár) derivatum, ostendit suapte, primas, antiquissimasque in Hungaria urbes, aut potius species urbium notarum magis, quam nobilium, eas exstitisse, quarum nomen

Comitatibus inditum est. Proximae his aetate sunt, ad Eclesias cathedrales, sedesque Episcoporum positae, Episcopalesque dictae, quod ab horum pendebant jurisdictione.

§ 105.

Albam Regiam divus Stephanus condidit.

Gyula apud Transylvanos Albam; [1]) Albam aliam, in parte Hungariae trans Danubium sita s. Stephanus condidit, jam in primo ortu a Basilica B. M. V., ab annua deinde, ad hujus in caelos assumtae diem, omnium Ordinum frequentia celebrem. [2]) Sic enim fac existimes: in more fuisse Regibus gentium aliarum, ut festa tria (Paschatis, et Pentecostes et nativitatis Domini erant), cum maximo regii splendore apparatus, ad alterutram, intra fines suos, cathedralem agerent Eclesiam; [3]) Stephanum vero et haec observasse religiosissime, et pro sua in

---

[1]) Hanc ex ruderibus constitutae per Nervam Trajanum Coloniae Apulensis Gyula senior excitavit a nomine hujus Gyula Fejérvár hungaris, latinis Albam Juliam dictam. Idem priscum quoque collegii aurariarum aurilegulorumque laborem Romanis Dacia depulsis per Barbaros neglectum instauravit. Vide plura in Comment. Fanghii: Uebersicht der Gebirgsformationen in Siebenbürgen und angränzenden Theilen cet. Transylvania, period. Zeitschrift, 1. B. 2. H. 1833. p. 250—260.

[2]) Legenda major s. Gerardi apud Batthyán p. 314. „cum beatus Rex Stephanus pro celebrando festo b. Virginis annuali Albam venisset; tunc mos erat convocare Abbates et Episcopos, ut sacrae solemnitati simul interessent.“ Clarius haec eadem ipse Protorex in literis monasterio de Zala datis a. 1024 (Kat. H. C. T. I. pag. 313) „una cum Praelatis, et Baronibus regni nostri, anno milesimo vigesimae quarto, crastino festi assumtionis B. Virginis, quum essemus in Alba, inito consilio diligenti“ etc.

[3]) De his ad majora festa Conciliis Regum Angliae eruditissime, ad nostrum quidem usum opportunissime certe Spelmannus disserit ad vocem: Parlamentum.

Deiparam pietate addidisse quartum, Albamque delegisse, in qua ad statum diem illum quotannis solemnia Conventuum ejusmodi haberentur. Crevit igitur celeriter locus jam ab aetate Arpadi non infrequens,[4]) per Stephanum autem Regiae exornatus nomine Civitatis. Quod cum satis claram, singularis in hunc voluntatis ejus exhibeat significationem; multo tamen magis privilegio[5]) explicatur, quod Communitati Civium in praesentia legati apostolici[6]) dedit. Autographum magno historiae hungaricae detrimento amisimus. Exstant tamen Regum plurium literae Civitatibus Szathmár Német, Pestiensi, Jaurinensi, Tyrnaviensi, Nitriensi, Soproniensi concessae, quae dum conferri his beneficia testantur, quibus Albenses Cives uterentur, tanti sunt, ut privilegii illius jacturam aequo animo patiamur.

---

[4]) Chronogr. apud Thur. P. II. c. 3.

[5]) Exstantissimam privilegii hujus, praesente legato apostolico editi memoriam servant literae Belae IV. de a. 1237. Cod. Diplomat. IV. 1. p. 73.

[6]) Azo fuerit, in literis s. Regis per Jos. Koller in Hist. Episc. Quinqueecles. ex autog. a. 1009 transumtis disserte memoratus; Benedictum enim de Vetta Martino Senging, aut cui alteri notulae apud Bern. Pez Cod. dipl. epist. III. pag. 232 de seculo 15. auctori relinquo.

§ 106.

ad formam municipiorum Romanorum

Has itaque velut ex naufragio collectas tabulas, age sis, componamus; seu potius, quae pro varietate locorum tardius iis adglutinata sunt, resecemus; hoc namque facto, tam bene illae coeunt, ut plane certum sit, d. Protoregem ita l. 1. Decretorum suorum prisca Romanorum instituta laudasse, ut tam in describenda conditione Jobbagionum castrensium, quam condenda urbe Albensi ea sibi imitanda, imo penitus exprimenda summeret. Muni-

cipium enim isthic, seu Coetum fixit hospitum, qui ea conditione liberi seu Cives Hungariae essent, ut rem publicam separatam a cetero castri populo haberent; mererent quidem in legione, sed dignitates non caperent. [1])

[1]) Festus sub verbo: municeps. Confer etiam Aristotelis Polit. l. II. c. 9. l. III. c. 2 et 3.

§ 107.

Jura civium Albensium.

Inprimis enim Albenses a jurisdictione Comitis castri, et reliquorum castri officialium [1]) exemti, Judicem sibi ipsi elegerunt, qui Regia confirmatus auctoritate et Civibus et extraneis, secundum consuetudines eorum Civium jus redderet; testes speciatim non alios, quam qui e medio Civium essent, admitteret; Judex, si deesset officio, ad Regis, aut Magistri Thavernicorum Regalium evocaretur praesentiam. Cives rerum suarum omnium facultatem liberam, exercendi praeterea mercatus, et liberi, ut vocabant, fori educillique ac macelli jus, portorii denique per regnum imunitatem, d. Regis beneficio acceperunt. [2])

[1]) Comes Jauriensis et ejus officiales habet Dipl. Stephanus V. a. 1271 v. 1. p. 147.

[2]) Szatmár Németienses etiam deligendi Parochi facultatem adepti sunt. Quod Albensibus addictum fuisse, nec adfirmare, nec recusare velim.

§ 108.

Officia Civium eorundem.

Pro his Albenses horumque donatae per Reges alios juribus urbes, et liberae villae, (nam sic quoque

vocabantur) pondera (censum Regium, terragiumque notat), summam sane vel temporibus illis exilem, strenas item, seu, munera ex artefactis diversi generis ad initium anni cujusque Regi, Reginaeque et Baronibus praestare, Regem, dum in eorum medium diverteret, rebus ad victum necessariis providere; tempore denique belli ad exercitum regalem armatos quosdam expedire tenebantur.[1]) Atque his jam a primo conditionibus in Hungaria et collati Civitatibus, intra fines suos, juris municipalis auctoritas stabat, et Civium singulorum, qua quisque vellet, arte proba vires, industriamque exercendi libertas; eo apud Hungaros exorta tempore, quo Sismondius urbes alibi exutas privilegiis,[2]) Gvizotus vel tenues municipiorum intra fines Imperii orientalis reliquias Edicto Leonis philosophi sublatas queritur.[3]) Sint igitur Scriptoribus, suae cuique gentis, Majores chari, ut esse debent, charissimi; modo ita hos laudibus vehant, ne alius generis populos pergant laedere, suoque illo officio in horum obtrectationem abutantur. Frustra alioquin sunt, qui nostro hoc factitant impendio ac de ferocia veterum Hungarorum, cum quibus nulla, si eos audias, homini extero vivendi conditio fuerit, occentare non desinunt. Nunquam enim efficient, ut quemquam nostrum seu civitate, seu natura Hungari qui sumus, Majorum nostrorum, aeternaeque in unam tam munificam Patriam, nomenque tantis et fortitudinis militaris, et humanitatis, liberalitatisque laudibus clarum conjunctionis poeniteat.

---

[1]) In priv. Jaur. superius cit. „adhuc, quia paupertas ipsorum hospitum Jaurinensium constitit evidenter, de libertate Civium Albensium hoc solum excipimus, quod nobiscum, vel cum aliquo Barone nostro exercituare nullatenus teneantur. Szatmár Németienses Villicum cum quatuor personis sagittariis expedire tenebantur.“

[2]) Hist. des Franc. T. III. p. 384, 388.

[3]) Essais sur l'hist de Fr. p. 24, 25.

§ 109.

De specialibus industriae civilis apud Hungaros praesidiis.

Viae Hungaris, aetate d. Stephani, duplices: aliae exercituales, civiles aliae, quarum illis Hadút, his Országút in vernaculo nomen. [1]) Instituti hujus, ais, non eos fuisse auctores. Etiam; sed vel id impense laudandum est, humanos Romanorum mores imitari, securitatique commeantium consulere tanti eos duxisse. Lex de telonio, si qui commeantes injustis indebitisque vectigalibus vexarent, perdendo, a. 1546 (art. 49) primum condita vulgo Scriptorum creditur; sed horum opinio ista non longe ab ignorantia est; post detectas enim Belae IV. literas [2]) neminem ingenuum aevi Protoregis indagatorem latere potest: legem hanc jam aetate sanctorum Regum usu apud Hungaros floruisse; post datas per milites, qui, ut alibi diximus, mercatores quosdam rebus spoliarunt suis, meritas poenas tam observatam re-

---

[1]) Lit. Geyzae I. de a. 1075: transit ad metam, quae est, juxta civilem viam. Mitto cetera frequentissima viarum civilium vestigia. De Hadút: s. Lad. de finibus terit. villae Games: juxta quamdam Eclesiam ad praedium Regis, et ad viam Hadút. VII. 5. p. 78. Ibid. ad a. 1212 de locis monasterii de Tihony, „post haec venit ad magnam viam, quae dicitur Hadút" item „venit ad campum metis interpositis ad Hadút." V. v. 1. p. 295. Quod vocabulum in lit. a. 1376 de metis pagi Gelse in provincia Zala. VIII. v. 1. p. 608. in Hathur corruptum legitur; in lit. Andr. I. de a. 1055 (C. D. I. p. 389) hodu utu, non calami, sed temporis vitio ita scriptum.

[2]) Jam in privil. Ecl. Strig. de a. 1239 constituitur, „qui telonium a populis Eclesiae Strigon. exegerit, citatus ad Regis praesentiam vel Judicis Curiae, ablata restituat, et X marcas pro birsagio solvat. Et si contra facere attentaret, tributum perdat, prout a SS. Regibus ab antiquo est institutum.

ligiose, ut Hartvico teste, quoad d. Stephanus in vivis fuit, nemo quisquam hospitum de injuria hujusmodi quereretur.[3]) Quod in tam brevi spatio effectum qui miratur, concedit ultro: non quidem nihil doctrinam, severitatemque exempli, sed naturam plurimum, tantum namque ad repentinam hanc morum, anteacti temporis licentia corruptorum commutationem profuisse, ut in manu sit: Hungaros non ad novam operose adductos disciplinam, sed ad veterem Abiorum, sua revertisse sponte aequitatem.

[3]) Edit. Podhr. p. 79.

De Consilio Regis ac Regni.

§ 110.

Cap. V. lib. I. Decr. s. Steph. agit.

Consilium Regium,[1]) Regalia Consilia,[2]) ne legentem per longas ambages fatigemus, haud secus, atque Curia, in literis vetustis rarius pro collegio majorum Regis ministrorum, et Dicasterii specie quadam; usu communi pro Comitiis accipiuntur. His Consilium Regni[3]) synonimum, quod ante aetatem Andreae III. caeptumque novi appellationis hujus diverticuli usum, pariter Regni

[1]) Chron. Thuroczii P. II. c. 46. „misit etiam Rex clementissimus, ut de singulis villis vocarentur duo Seniores facundiam habentes ad Regium Consilium."

[2]) Albricus in Praef. ad libr. I. Decretorum Colomanni: „Regalia consilia."

[3]) Is Albricus ibidem „Regni consilium" habet. Colomannus libertates Cleri Dalmatiae a. 1119 „cum utriusque regni universo consilio confirmat." Bela II. monasterium de Chatar communi regni consilio fundat. De Consilio regni seu consiliariis Comitiorum regni delectu Andreae III. adjunctis suo loco. Itaque Decreto Alberti Regis Consilium regni dupliciter; et articulo quidem

significabat Congregationem. Hanc tamen jam principio conditae Monarchiae hungaricae pro generali populi concione qui accipiunt, varias hi Styli Curialis, historiaeque legum lationis aetates confundunt. Neque minus peccant, qui Regum Decreta, Edictaque ac Privilegia[4]) sine discrimine pro actu absolutae potestatis habent, aut Concessiones Regum, forma Capituli Car. M. Vorm. de a. 803, erga petitionem populi aut rogatu populi factas meram semper interpretantur gratiam. Classicus quidem in rem hanc locus est Oper. tripart. juris cons. tit. 3. Part. II.; sed nobis primae institutorum hungaricorum origines explicandae, quaeve his deinde crescendi copia facta sit, per gradus quodammodo edisserendum incumbit. Et de antiquissima quidem Regalis Consilii ratione, a prisco Communitatis colloquio haud modicum diversa, rem Protorex ipse in suis ad filium monitis Capite septimo expedit.

---

2. et 10. pro Comitiis; art. 15. et 20. pro Consiliariis summitur, atque ita particula art. 15. „absque quolibet consilio" quae videri singularis potest, dilucidatur.

[4]) Simon de Kéza Edicti nomine Scitum Communitatis intelligit L. I. c. 2. Hoc illud sensu adhibet etiam chron. Thur. P. II. c. 39. cui alibi (P. I. c. 10.) lex etiam Decretum generale dicitur. Decretum Sigismundi Regis V. Ladislai posth. II. Edicti licet vestita formam sint, Comitiorum esse Decreta in loco videbimus. Leges Privilegium dicere, non ante detectas circa a. 1137 Pandectas apud nos usitatum; nam apud Romanos (vide Gellium l. X. c. 20) secus se res habuit. Vulgo nomen id pro externa Diplomatum forma acceptum, sensim notionem Concessionis, gratuitaeque liberalitatis induit, deditque pervulgata opinio haec arbitrio locum, ut Reges plures, optimae ad posteros famae, auctores iidem, subversoresque legum essent suarum.

§ 111.

prorsus ad modum,

Hic ita sibi videri, ait: „Consilia a mediocribus non posse componi viris, sed a majoribus et melioribus

sapientioribusque ac honestissimis senioribus, exprimi debere et poliri." Vis sententiae hujus in verbis: componi,[1]) exprimi, poliri sita, refertur praesertim ad Nobiliorum, aetateque provectorum consilia[2]) genere, puta, et virtute celebrium opibusque et auctoritate potiorum virorum, qui in legibus Stephani Senatus Regalis audiunt.[3])

---

[1]) Ex voce componi recte Batthyanius LL. EE. T. I. p. 50. non de Dicasterio aliquo, sed regni consilio sermonem hic esse testatur.

[2]) Praef. l. I. Decr. § 1. Hi sunt, de quibus d. Stephanus in lit. fund. monast. Pécsvarad. de a. 1015 „omnibus, ait, regni Principibus ibidem existentibus confirmamus unanimiter." In similibus monasterii de Zala a. 1024 „una cum Praelatis et Baronibus regni nostri." S. Ladislaus, in literis monasterio S. Mart. in monte Pannoniae a. 1093 datis „ego Rex Ladislaus consilio omnium regni mei Primatum;" Decr. l. 1. capite 1. „omnes regni Pannoniae optimates" lib. 3. cap. 1. „totius Hungariae Principes" habet. Albricus in Praef. ad lib. 1. Decr. Colom. „Regni Principibus, monet, congregatis, totius Senatus consultu, Regis sanctae memoriae Stephani legalem textum recensuit. Atque verborum formulae hujusmodi, aut quae literis s. Jacobi de Silisio a. 1061 exaratis continentur: „Regia, omniumque Majorum hujus regni probatione," mihi pro certis Comitiorum regni monimentis sunt; verba autem haec Steph. V. literis de a. 1272 (IX. v. 7. p. 685) comprehensa „cum Baronibus tam clericis, quam laicis, servientiumque regni Senioribus et honorabilibus convocatis" pro pulcherrima Senatus Regalis veterum Hungarorum definitione.

[3]) Instituti rationem § 5 capitis hujus explicat „ad hoc, quidquid negotii unicuique convenit aetati, in hoc se exerceat, scilicet: juvenes in armis, Senatores in consiliis." Quae jam Aristot. Polit. l. VII. c. 8. verbis: „prout ratio naturae postulat, quae ut juvenibus vires, ita Senioribus prudentiam largitur" occupavit. De instituto ipso etiam, quam penitus inter hunc et Stephanum conveniat, mox apparebit clarius. Cons. de Senioribus Sapientibus populi; Aldermannis item eruditissimum quoque Spelmannum.

§ 112.

quem in habendis Comitiis

Penes hos: Episcopos, nominatim, Abbates, Barones Comitesque, in Christo, ut dici amabat, renatos, fideles, et deligendi Regis potestatem et partem omnium de republica consiliorum esse ex lege etiam pacti fundamentalis jubet; subjicit tamen ad clariorem verborum, paullo ante citatorum, intellectum disserte: non eam sibi esse mentem, ut qui stylo aevi ejus juniores [1]) appellabantur, a Consiliis his absint; verum ut quoties cum illis consilium inibitur, etiam si, quod suaserint juniores hi, habile aptumque videretur; tamen semper ad Majores deferatur, idque, addita demum lima horum, sicque ratum sit, si Majores isti auctores fuerint.

---

[1]) Juniores hoc accipiuntur sensu etiam apud Thom. Archi-Diacon. Spalat. ,,Postera vero die juraverunt Spalatenses primo quidem Majores, deinde juniores, postea vulgus omne.“ Schwandt. Script. rer. hung. T. III. p. 557. Quibus cognitis Nieburium, si placet, adi o. c. P. I. p. 344 et seq. ad verba Livii II. 54 ,,circumeunt sordidati non plebem magis, quam juniores Patrum“ ita disserentem, ut seniores quoque et juniores d. Stephani interpretetur, meamque in his explicandis operam reddat supervacaneam. Conf. etiam Dion. Halic. l. II. 12. l. VII. 47.

§ 113.

Carolum M. tenuisse clarissimi nominis Scriptores memoriae prodiderunt.

Satis pro imperio: dicere aliquem audio, hominem nimirum levem, quem plura lateant. Et primo quidem sanctissimos Romae veteris viros, eosque libertatis populi studiosissimos de optimo, apud omnes bonos firmosque populos, rei publicae statu ad hunc praecepisse modum,

jamper Aristotelem pro capite prudentiae politicae commendatum, ut Senatus hujusmodi veluti princeps salutis, mentisque publicae, simul dominus esset Consilii publici. [1]) Stephanum igitur, dum hoc idem constitueret, non egisse arbitrio, sed sententiam illam diu et multum quaesitam, pensitatamque, suo etiam divino ad diuturnitatem rerum hungaricarum judicio comprobasse; consuetudinaria deinde lege, et collocata per hunc (op. Verb. III. tit. 2 § 8) in iis, qui dignitate et scientia praestantiores ac notabiliores essent, arce consilii publici consecratam. Quod ego non sine voluptate adnoto; plura enim de hoc juris hungarici capite nosse desiderantem, ad Aristotelem allego, qui hanc perfectissimae politices doctrinam primus tradidit; nec tradidit tantum, sed subjuncto simul ad imitationem exemplo illustravit. [2]) Ipse enim illi d. Stephani adversario hoc praeterea dicere habeo: Literas Henrici Romanorum Regis tota etiamnum Germania celebrari, quibus non Principes, non alios quosquam, nisi Meliorum et Majorum terrae consensu constitutiones, vel nova facere jura posse, his ipsis d. Stephani verbis edixit. Dedit has Henricus ex Comitiis Vormacziensibus a. 1230, [3]) nulla minorum, aut juniorum mentione facta. Quanto ampliora Stephanus: non hac modo parte, sed quidquid id est sapientiae civilis, quam Carolus M. in modo habendorum Comitiorum tenuit, sic aemulatus, ut omne illud de Consilio regni monitum suum, strictim ad sensum verborum redigeret, quae toties merito suo laudatus Hincmarus Ar-

---

[1]) Cic. de Arusp. Resp. 158. de Legibus l. III. c. 12, 17. Confer cum his Aristot. Polit. l. III. c. 1. l. IV. c. 6. et quae l. IV. c. 11. de ea Civitatis parte, quae consultat, et de ea, penes quam est moderandae atque administrandae Civitatis potestas, ita tradit: „utile esse cum omnibus quidem deliberationem in Concione communicare, sed solis Magistratibus consultandi potestatem facere.“

[2]) Vide sis Aristotelis Pol. l. VI. c. 1.

[3]) Habes eas integras apud Eichhorn o. c. P. II. p. 222 et seq.; confer etiam Hülmann c. o. p. 643 et seq.

chiepisc. Remensis eam in rem scripta reliquit. „Ad majora placita, (ita ei Comitia vocantur) generalitatem universorum Majorum tam clericorum, quam laicorum convenisse; Seniores propter consilium ordinandum; minores propter idem consilium suscipiendum, et interdum pariter tractandum." His addit: res mutuis tamdiu versatas consiliis fuisse, usque dum expolitae (nomen ipsum adverti velim per Stephanum quoque [4]) retentum) sacrum Principis obtutum subirent. His plura si velis: ad Conventum adeas in Civitate Jauriana in praesentia Episcoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque personarum anno **1009**; [5]) item ad Conventum Episcoporum et Baronum in Alba a. **1024** habitum; [6]) Conventum alium Optimatum s. Ladislai [7]) cum testimonio Cleri et populi in Szabolch celebratum; literas denique Geyzae II., quibus monasterium s. Bened. ad radicem montis ferrei fundat, a. **1158** e Conventu omnium Primatum editas, quibus et majores sacerdotes (Canonici) Eclesiae Bacsiensis et Jobbagiones castri plurimi pro populi testimonio subscripti sunt.

---

[4]) S. Steph. l. I. Decr. cap. VII. § 2. „sed a majoribus et melioribus, sapientioribusque et honestissimis Senioribus (consilia) exprimi debent, et poliri.

[5]) Kollár Hist. Epis. Quinqueecl. T. I.

[6]) Kat. T. I. p. 313

[7]) S. Lad. l. I. Decr. § 1.

§ 114.

accomodatum. Quo explicito, quae Kollárius de Comitiorum apud Francos, Hungarosque

Habes proram, ut ajunt, puppimque argumenti praesentis; quod enim ad cetera: de Comitiorum apud Francos veteres, Hungarosque similitudine, Franciscus Adamus Kollár, pro amplissima eruditione sua, nec minori sedulitate, libello singulari de originibus et usu perpetuo po-

testatis legislativae circa Sacra Apostolicorum Regum Hungariae disseruit; sed, qui dum leges quaspiam ante Regem Sigismundum, cum consensu populi apud nos perlatas esse, specie dubitantis negat, [1]) parum recordatur: Hungaros (verba ejus propria [2]) sunt) per Pannonias nunquam iis legibus ac reip. forma usos esse, per quam Reges de regno et populo jure et libito suo decernere potuissent. Nec satis verba expendit seu d. Stephani, qui legem Decretum Regalis Concilii appellat,[3]) seu Compilatoris Decretorum s. Ladislai, aqud quem Rex et totius Hungariae Principes et decernunt, et legem constituunt;[4]) seu denique Colomanni Regis, cui lex est, quod communi Consilio et Regi placet. [5]) Quod enim Geyza II. literis de a. 1148 de totius regni sui consensu; a. 1158 de Consilio et consensu suorum Principum; Martirius Episcopus a. 1156 de totius regni assensu testantur, ignota ei fuisse dubitare nolim.

---

[1]) Op. cit, p. 35.

[2]) In lib. de jure Patron. Reg. Hung. p. 59, 99.

[3]) Decr. l. II. cap. 19. Idem sonat Decretum Regalis Senatus ibid. c. 14 et Decretum secundum Regalem Senatum.

[4]) Decr. l. II. cap. 1. Hoc decreverunt; hanc legem tulerunt.

[5]) Decr. l. I. cap. 1. Albric. in Praef. Decreti hujus leges Senatoria totius regni decreta vocat. Valet igitur de LL. quoque hungaricis illud Car. calvi in Edicto Pistensi: legem consensu populi fieri, et constitutione Regia. Ita vero jam s. Steph. leges, quas Decretum regalis Senatus dixit, Regale Decretum c. 20, 28 appellat, Quibus plene consentaneum est, quod Verb. P. II. tit. 3 praecipit.

§ 115.

similitudine docet,

Comitia vetusissimo apud nos usu, pro numero Optimatum, qui per Regem conciti sunt, in particularia et generalia divisa, dum aula Regum ambulatoria esset,

plerumque ad festa majora, cathedralesque Eclesias;[1]) saepe in loco, quo consecrandae eclesiae causa conventum est, celebrabantur. Ex his quae generalia erant etiam Synodus regalis;[2]) commune consilium Principum[3]) plena item aut generalis Curia Domini Regis,[4]) communis Congregatio et Convocatio omnium Nobilium et Procerum Regni, Consilium habitum totius Hungariae, universa Congregatio Hungarorum; solennis et publica regni congregatio in Diplomatibus annalibusque appellantur. Quae quidem horum differentia nullo non tempore atque etiam num obtinet; seculo quidem XV. observatam eam fuisse ex literis Joannis de Hunyad ad Fridericum Imperatorem circa a. 1454 exaratis[5]) plane intelligitur, quae sunt ejusmodi: „novissime Nos una cum certis Praelatis Baronibus ac Nobilibus Regni Hungariae in confinibus ejusdem inferioribus, in oppido Varadino Petri certam dietam[6]) tenuimus; pro quibus et Nos certam

---

[1]) Similia fuerunt Comitia, quibus s. Ladislaus, cum pascha in Bodrog celebraret (secundum Thur. II. c. 59) a Nobilibus licentiatus est ad expeditionem sacram. Alia ibidem III. 2. p. 119 et rursus alia aeque ad pascha VII. 4. p. 71. Conf. etiam Spelman. l. c. et Eichhorn Weltgesch. II. Th. p. 32.

[2]) In Ingressu l. I. Decreti ejusdem; vide Opus quoque Benedicti XIV. de Synodo Dioec.

[3]) In Donat. Simoni de Aragonia a. 1223 facta, habito communi Consilio Principum nostrorum. (Cod. Dipl. III. 393.) In communi praesentia Principum nostrorum de a. 1166 apud Farlatum.

[4]) Thur. II. cap. 47. deinde festum Dominicae resurectionis ambo simul cum plena Curia Quinqueeclesiis celebrarunt, quibus mox adjicit: Universa ergo Congregatio Hungarorum laudaverunt Deum. Generalis Curia Domini Regis idem notat Colomanno in Priv. Ecl. Arben. de a. 1111.

[5]) Literas has in Tud. Gyűjt a. 1835 v. 3. Nicolaus Jankovichius vulgavit, a suo in illustrandas antiquitates patrias studio notissimus.

[6]) De acceptione vocis Diaeta, quae graecis teste Aristotele judicium arbitrorum notabat; latinis autem (recole, quae Gesnerus

diaetam, quinto decimo die festi Epiphaniarum Domini proxime venturi in civitate Budensi tenendam praefiximus; in qua universitas Dominorum Praelatorum, Baronum et Nobilium Regni Hungariae constituentur et cum Majoribus et Senioribus benevole et liberaliter ibidem tractabimus, et finaliter disponemus de instaurando et gerendo potenti et forti bello. [7]) Quae legentem, non est, quod admoneam, harum quoque literarum testimonio judicium summamque consiliorum de republica apud Majores et Seniores, Praestantiores et Notabiliores fuisse, quodve d. Stephanus consuluit, ut audiretur populus, sed iis maxime auscultaretur, qui auctoritate praestantissimi essent, vim regulae etiam post laxatam, ut videbimus sec. XIII., primaevam Consilii regni rationem tenuisse.

---

in novo linguae latinae thesauro adfert) modum vivendi; partem domus habitationi aptam, habitationemque in hortis designat. Joan. Frid. Pfeffinger in Vitr. illustr. perhibet Comitia quoque vocatas esse Diaetas, quia olim sub dio habebantur. Est nomen hoc apud nos quoque non solum pro Comitiis, verum aevo Regum Hungariae, qui Poloniae simul praefuerant, pro conventu quoque virorum, ad expediendas de finibus regnorum horum quaestiones, utrinque delegatorum apud Dlugossum.

[7]) Generalia haec fuerant regni Comitia; distincta ab universalibus, quae nescio, an nemini Commentarorum Juris pub. Hungariae nota, obiter hic commemoro, ne quem in loco plane imparatum deprehendam.

§ 116.

uberius patentur.

Kollárius, Balusio teste, Capitularia Regum Francorum plurima ex conciliis et synodis episcopalibus sumta rite observavit, recteque monet, id per primos quoque Hungariae Reges plane ad modum Caroli M. esse facti-

tatum, ut quaedam de capite sententiae, quaedam de medio, quaedam de fine adoptarent. Bina is hanc in rem exempla: s. Steph. l. II. c. 1. cum Conc. Mogunt. a. 847 Canone VI.; et Regis ejusdem l. II. c. 2. cum Canone VII. Conc. Mogunt. collatum; tertium de testibus Cornides adfert, caputque 3. l. II. s. Steph. ex parte posteriori c. 63. Canonum 73 ab Hadriano I. a. 785 collectorum iisdem desumtum verbis ostendit. Leges tamen hujusmodi paucae, plurimae namque in eam transfusae formam sunt, ut eas aliunde sumtas quidem, deliberatas tamen, et ad usum meditato accomodatas appareat. En exempli causa ex plurimis aliquas:

S. Steph. l. II. cap. 35.	Cap. III. Dagob. Regis sive legis Bajuvariorum tit. II. cap. 3.
Consensimus igitur petitioni totius senatus, ut unus quisque dominetur propriorum similiter et donorum Regis dum vivit, excepto quod ad Episcopum pertinet et Comitatum ac post ejus vitam filii simili dominio succedant; nec pro nullius causa reatus detrimentum bonorum suorum patiatur, nisi consiliatus mortem Regis, aut traditionem regni fecerit, vel in aliam fugerit provinciam; tunc vero bona illius in regiam veniant potestatem, ipse vero subjaceat sententiae, filiis inocentibus remanentibus.	Ut nullus Bajuvarius allodem aut vitam sine capitali crimine perdat; id est: si aut in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut Civitatem capere ab extraneis machinaverit, et exinde probatus inventus fuerit, tunc in Ducis sit potestate vita ipsius et omnes res ejus et patrimonium.
S. Steph. l. II. c. 15.	Caroli M. c. II. a. 805. c. 11. de perjuriis ad finem.
Si quis valentium fide commaculatus, corde pollutus, juramento confractus perjurio addictus inveniretur, perdita manu perjurium luat, aut quinquaginta juvencis manum redimat.	Et si quis convictus fuerit, perjurii, perdat manum, aut redimat.

S. Steph. l. II. cap. 52.	Caroli M. Capitulationis de partibus Saxoniae cap. 7.
Si cui Deus decem dederit in anno, decimam Deo det.	Similiter secundum Dei mandatum praecipimus, ut omnes decimam partem substantiae et laboris sui Eclesiis et sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter et liti; juxta quod deus Unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.

§ 117.

De Decretis s. Stephani generatim.

Decreta d. Stephani libris duobus continentur. Primus monita ad filium Emericum complectitur in capita decem jam per Hartvicum accurate indicata descriptus, qui in summa ad id redit, „ut non Dominationem et Servos, sed Rectorem et Cives cogitaret.“ Cui ejus sententiae plane similia Carolum Magnum quoque Ludovico filio praecepisse, Chronographis Francorum lubenter credimus. Alterum vetusta manus, per quam exemplum ejus Agriense exaratum est, apposite Recapitulationem inscripsit; miscellam enim et quasi confusaneam legum quarundam, eo Rege, pluribus Comitiis conditarum memoriam comprehendit, ex quibus illam cap. IX. de observandis quatuor temporibus, Canone Eclesiae a. 1022 in hanc perlato sententiam, recentiorem esse, Comiti Ignatio de Batthyán id asserenti cunctanter cedimus.[1]) Liber uterque sincerus, genuinusque est. Quod quidem de Collectaneis libri II. nemo fere unus, de libro I. non tantum male homines lite-

[1]) Non est quippe animus cum Praesule doctissimo tricari; at enim verba: quatuor temporum jejunia cunctis cognita, non recentem aliquem Canonem, sed quia de quatuor temporibus observandis jam in Capitularib. Regum Francorum (Lib. V. Anseg. cap. CLI. et Conc. Mog. de a. 813 cap. 34) antiquissimum exstaret praeceptum, atque hoc dies ipsi exprimerentur jejuniorum, lex d. Stephani ad haec respicere videtur.

rati, sed viri etiam docti nonnulli dubitant, complacentque sibi in causis, quas curam penitius inspiciendi libri aspernantes, pro suo quisque ingenio, studioque diversas praestruunt. Res enim longa affectae aetate facilius premi se, quam tractari patiuntur, easque, praesertim si solertia verborum adsit, impugnare, quam a veteribus literis inope hoc demum aevo, a duplici et temporum et ingeniorum injuria hac vindicare minus arduus labor est.

De potestate judiciaria.

§ 118.

Summa capitis I. l. 1. Decr. s. Stephani.

Stephanus in suo ad filium libello duplicis generis causarum meminit. Alias esse, quas Regem per se cognoscere conveniat; alias, ne auctoritas ejus inferiorum negotiorum usurpatione vilescat, Judicibus ad haec constitutis committi oportere, secundum legem suam [1]) decernendas.

[1]) Sua enim apud nos quoque, uti apud Francos veteres, (Meyer o. c. T. I. p. 195) jura et leges populo cuique manserunt.

I. De Foris judiciariis.

A. Secularibus.

I. Curia Regis.

§ 119.

Notio Curiae seu Auditorii Regii.

Primum igitur summumque tribunal erat Regis, quod Auditorium Regis, [1]) Audientia Regalis [2]) specialisque

[1]) Lit. b. Petri Quinqueecl. tam ab Auditorio nostrae Majestatis, quamque a judicio Judicis Curiae nostrae. Item: in nostri Culminis auditorio.

[2]) S. Lad. l. 1. c. 18. donec de justitia sibi illata, in Audientia Regis declaraverit. Corrige itaque Péterfium, qui nomen hoc Senatum Eclesiasticum interpretatur.

praesentia Regis in vetustissimis chartis dicitur,[3]) nam epitheto: specialis resecto, praesentia Regia[4]) Curiam Regis[5]) et Regale Consistorium[6]) significat.

---

[3]) Lit. a. 1270 (C. D. v. 1. p. 25) exemisset eosdem et haeredes ab omni jurisdictione vel judicio Palatini sui, et omnium judicum provinciarum, ita quod nullus praesummat, eos judicare praeter suam personam specialem vel Judicis Curiae suae.

[4]) Bela III. (apud Pray. H. R. 1. p. 169) ne aliqua causa in mei praesentia ventillata in irritum redigatur, negotium quodlibet in audientia Celsitudinis meae discussum.

[5]) In Reg. Varad. passim.

[6]) Andr. II. (Batth. LL. EE. l. III. p. 574) Regale consistorium decem virorum. Idem in literis alliis de a. 1212 „ex communi Principum nostrorum, qui ad discussionem hujus negotii in regali consistorio congregati fuerant. Et auditorii, et consistorii appellationem ex Jure Romano sumtam fuisse, videas apud Savigny o. c. V. 1. p. 163 locoque l. 15. Ammiani: ex quo consistorium est, in quo leges et quoscumque se adeuntes, Princeps admittit, et audit, et de causis cognoscit, inquirentibus et dispicientibus consistorianis.“

§ 120.

Caput hujus Rex.

Caput Curiae Regiae Rex, et ubi hic cum Principibus utriusque reipublicae viris nonnullis, ibi Curia Regia, haec itaque pro nobili temporum eorum simplicitate patulae saepius sub tegmine fagi fuit.[1]) Hactenus cum ceteris Jurispublici Hung. Commentatoribus convenit mihi; quod ad cetera enim, quae de primordiis Curiae Regiae tradunt, non iis idem sentio. Ipsum illud: Regi in reddendo jure Palatinum et Comitem Curiae adstitisse, concedo utique; sed adjicio: Comitem ordinaria auctoritate ad Larem Regium, Curiam, Curtem Regiam, non suam;

---

[1]) Lit. Belae III. per Prayum in Syntag. Hist. p. 166 citatae.

istum in Curia sua, et apud populum et pro frequentissima hujus concione in jure dicundo operam navasse Regibus. An etiam in principio conditae Monarchiae? Immo vero tum maxime. In numero adversantium meus etiam Fejérius est, ab edito Codice Diplomatico Hungariae clarissimus, qui de argumento, hoc professa opera disseruit.[2]) Quod quidem ille dum faceret, vellem sententiae suae aliquid ex diplomaticis quoque opibus suis impertivisset; tantumque a negotiis aliis nactus fuisset otii, ut caput 93. l. III. s. Ladisl. cum art. IX. Bullae aureae Andr. II., et Decreti de a. 1231 art. 20, quorum uterque cum lege illa s. Ladisl. ad literam consonat, omnesque simul de auctoritate agunt Comitis Curiae Regiae seu Comitis Curialis, paulisper contendere; caput deinde 25 libri illius de auctoritate Judicis ex Instituto s. Stephani ad solos milites et reliquum populum restricta, cum art. 8 Bullae aureae, quo haec instar Judicis Communitatis in omnes homines regni, ac proinde Comites quoque extensa est, conferre eidem vacasset. Quid tum? Is ipse auctor pro ea, qua in enodandis pluribus difficillimis quaestionibus usus est, et animi et ingenii facultate ceteros quoque meliora docturus erat, qui, personas horum officiorum commutant, tantaque uni et ad Curiam Regiam, et extra hanc mandant negotia, quantis simul recteque obeundis unius sufficere vires hominis nequeant; Judicem vero Curiae Regiae ad Colonos et hospites ablegant, et ut hanc auctoritatis ejus orbitatem quoquo consolentur modo, vel inopiam consilii d. Protoregis excusent, eum in cognoscendis Nobilium causis Palatino Vicarium primo constituunt, post ei Cojudicem assignant, et quod ante omnia dicendum erat, tandem, nescio ex quo tempore, praesentiam Regiam dicunt.

---

[2]) In praefat. ad volum. 6 Tomi X Cod. Dipl.

§ 121.

Huic proximus ex instituto d. Stephani Comes Curiae Regiae, ut qui constanter;

Nomen Palatinorum a palatio derivatum, usu vetustissimo, summatibus quibusque ad Aulam regiam viris commune,[1]) in proprietatem Magistratus sic nuncupati certam veramque seculo demum XII., et quod probabile est, auctore Bela III. pervenit; antea pro more Francorum Comes quoque Curiae Regiae appellari Comes palatii aut palatinus potuit, uti re ipsa per Collectorem Legum s. Ladislai l. III. c. 3. ita appellatur. Palatinus, Judex Communitatis veterum, Sigillum regium conservavit nunquam;[2]) semper hoc erat munus Comitis Curiae regiae proprium; sed qui ipse dum domum, aut peregre a Curia Regia discederet, Sigillum hoc vicario relinquere debuit suo. Curiales namque Comites proprie, signateque dicti nunquam non bini erant: major alter, alter minor jam Geyzae II. in literis a. 1158 Eclesiae Nitriensi datis ita nuncupati;[3]) uterque etiam praesentia Regia in Diplomatibus vocantur. Nec quisquam arrogantiam interpretabatur, quod et hic et ille, partes lite contendentes „in praesentiam regiam seu suam (nostram) evocatas" scribere consveverat.[4]) Quid? quod exstant lite-

[1]) Hartvic. in vita s. Steph. „videntes aegrotationem ejus invalescere, quatuor nobilissimi palatinorum" edit. Podhr. p. 83. In legibus Colomanni Palatinus, Judex vocatur; ejusdem tamen Regis literis per Archiepiscopum Laurentium a. 1111 (VII. 4. p. 57) editis: de Comitibus Joannes Palatinus subscribitur. Conf. etiam Seriem Palatinorum Prayi nuper editam. Qui loquendi usus per omnem reliquam etiam Europam viguit.

[2]) Judex hic c. 25. l. 3. s. Lad. non regium sed suum mittit Sigillum, C. D. VIII. v. 7. Sigillum Palatinatus dictum p. 843.

[3]) Itaque literae etiam b. Petri Quinqueecl. de a. 1190 et Judicis Curiae et C. Dominici minoris Curialis meminerunt.

[4]) Dabimus inferius ad tempora Andr. III. exempla plura.

rae plures Regum stirpis virilis Arpadianae, in quibus, quod in Diplomate Andreae III. de a. 1293 super terra Prouna verbisque: „concessimus, ut Judicio Comitis nostri de Zuolum adstare non teneantur; praeter quam nostro, Judicis Curiae nostrae et Palatini nostri" vides, Comes ille Judici huic praeponitur. Comites ad haec Curiae regiae summam se Judicatus reip. regni Hungariae ordinarie obtinere [5]) regiique perfrui apice tribunalis,[6]) nunquam non ferebant; nam populo Judex suus,[7]) velut domesticus antiquissimusque Magistratus, etiam post circumscriptam per d. Stephanum veterem ejus potestatem, prae Comite Curiae ad imitationem Principum exterorum instituto gratior, auctoritate vero illius prisca, lege And. II. restituta, in omnes potior fuit. His praemissis minus impedita jam, ni fallor, erunt, quae adhuc erant impeditissima.

---

[5]) Alexander Judex Cur. Regiae (C. D. VIII. v. 6. p. 104) „nutu divinae pietatis, volenteque Rege summam se judicatus reip. regni Hungariae ordinarie obtinere" scribit.

[6]) M. Lampertus Judex Curiae R. ad a. 1320 „favente supremi Judicis Clementia, Principisque inclyti Domini Caroli nutu," sui tribunalis apice se perfrui dicit.

[7]) S. Lad. l. III. c. 25. „Possit Judex sigillum suum mittere super quoscunque, exceptis Praesbyteris et Clericis nec non Comitibus." Simon de Kéza App. c. II §. 2. „Palatino regni, qui pro utilitate Nobilium praeficitur."

§ 122.

Judex enim (seu Comes Palatinus) ad Aulam Regis rarior fuit.

Andreas III. in literis, quas nunc admodum citavimus, Palatinum, plane ex mente d. Stephani, vocat suum. Fons enim, cor, clypeus juris omnis sub initium

conditae Monarchiae regia fuit auctoritas. Quidquid itaque id erat potestatis, summae utique, quapropter et Comes et Judex, ordinarii semper Regni Judices, seu ut s. Stephanus eos appellat, Curiales Comites regni habiti sunt; omnis haec eorum Jurisdictio, quam Comes, aut, uti aptissime, planeque literate in Regesto Varadiensi num. 77 vocatur, Curialis Comes Regiae Aulae, diu ad latus solum Regis, alter domi quoque suae exercuit, ab illa profecta est. [1])

---

[1]) Recollige, quae § 6. lib. hujus ex Jure consv. Verb. attulimus.

§ 123.

Personae, cum quibus ex instituto s. Steph. coram sola Regis Curia lite agi potuit.

Coram Curia Regis conveniebantur personae, quibus, ex mente d. Protoregis Cap. IX. l. 1. Decretorum Colomanni uberius explicita, indignum censebatur, se coram Judice inferiore sistere. Comites nimirum Majores et Seniores Stephano qui dicebantur. Episcopi hi erant et Abbates [1]) ratione causarum civilium, Majores deinde Ministri Regis, Principes Domus Regiae et qui Nobiles per eminentiam vocabantur, ut adeo dubitari nequeat, auspiciis d. Stephani constitutam fuisse legem ejusmodi: „Episcopi, Abbates et Comites, et potentiores quique, si causam inter se habuerint, nec se pacificare

---

[1]) Juramentum itaque Andreae II. de observandis Ecl. libert. a. 1233 (T. I. supl. ad vest. Com.) praestitum ad amussin legis d. Protoregis fuit comparatum in verbis: „Item volumus et consentimus, quod Clerici et personae Eclesiasticae respondeant et conveniantur coram eclesiastico Judice super omnibus, exceptis judiciis terrarum, quod judicia terrarum Eclesiarum et terrarum Clericorum semper consueverint agitari et terminari per Reges Ungariae, quicunque pro tempore exstiterunt.“

voluerint, ad nostram jubeantur venire praesentiam, neque illorum contentio alibi dijudicetur". [2])

[2]) Quod quidem Car. M. Capitulari 3. a. 1812 in haec decrevit verba. Atque hujus sensum legis prae se fert semel iterumque et paullo ante citatum s. Lad. D. III. c. 25.

§ 124.

species causarum, quae coram Curia Regia suscitari aut ei referri debebant.

In Curia Regis agebantur Causae omnes de jure proprietatis praediorum, aut de facto, ut nos loquimur, possessionario enatae; [1]) adversus milites tamen (nobiles hodie qui dicuntur) causas hujusmodi coram

[1]) Bulla aurea Andr. II. art. 5. Comites parochiani praedia servientium non discutiant. Vim phrasis hujus cognosces ex Kitth. Dir. meth. Cap. XI. Quaest. 1. § 2. cujus doctrinam confirmant Diplomata et usus antiquissimus. Ita Lud. I. a. 1353. „Abbatem in dicto monasterio pro tempore constitutum nullus Judicum et Justitiariorum regni nostri, praeter Comitem parochialem Comitatus Castriferrei in aliquibus causis et causarum processibus, exceptis solum factis possessionariis, quae judicio solum Palatini vel Judicis Curiae nostrae de regni nostri consuetudine reservata sunt, possit et valeat, quoquomodo judicare. Sententia his consonat Curiae Regiae coaeva (C. D. VIII. v. 3. pagina 158) per quam decisum Sedis judiciariae Comitatus Posoniensis abrogatur, quia „regni Hungariae ab antiquo aprobata consuetudo non alicujus Parochialis Comitis et Judicum Nobilium aliquorum judicio perpetuari possessiones requirat et admittat. Alia item de a. 1357 (IX. v. 2. p. 585) factum possessionarium non in praesentia Comitum parochialium vel Judicum nobilium, sed in nostra vel Palatini praesentia, fine debito, debet determinari. Et hoc quidem ita: „licet de facto jugeri solum grossis aliquot aestimati," quaestio fuit (VIII. 4. p. 618, 662). Latuerunt haec Kollárium, dum de potestate Judicis Nobilium ageret, a quo causas hujus generis via solum provocationis ad Curiam Regis deductas obtendit. Amoen. Hist. Jurisque publici Hung. V. II. p. 93.

Palatino quoque intendere licuisse mox dicemus. Tantum tamen neque hic ordinaria auctoritate potuit, ut notam infidelitatis libero cuiquam adscriberet. Hoc enim judicium Curiae Regis aut maximo servatum fuit Comitiatui; sententias item de aliis quaestionibus capitalibus contra milites latas exequi sine conscientia Regis nefas.[2]) Causae itaque hujusmodi ab inferioribus tribunalibus ad Curiam Regis perferri debebant; in aliis provocatio ad Regem, si sententia rite lata esset, non sine poena; quod provocare et judicem blasphaemare, aetatis hujus moribus, pari et in eodem delicti genere ponebatur; sed[3]) quod Petrus filius Pou, teste Regesto Varadinensi fecit, ut a judice inferiore colonos ejus latrocinii postulatos ad examen ferri candentis mittente, ad Regem provocaret, aliis item facere dominis, humanitate legum hungaricarum licuit.[4])

[2]) S. Steph. l. I. cap. 5. § 3, 5. Bullae aureae art. 8. § 1 18, 1231. His congruit Belae IV. privil. Tyrnav. de jure gladii ut loquimur, collatum „nisi nobilis exstiterit, cujus judicium Majestati Regiae reservatur.“ (IV. p. 132.)

[3]) Ex antiquissimo apud Siculos Transylvanos statuto (vide: a Székely Nemzet Constitutioi) causa haereditatis siculicae, si tres florenos aequabat, provocari ad Regem potuit.

[4]) Num. 282. Nihil hujusmodi apud Germanos, Francosque feudali pressos systemate obtinuisse ex Meyero o. c. T. I. p. 467 cognoscas.

II. De Judicibus regni Ordinariis:

a) Comitis Curiae Regiae auctoritate.

§ 125.

Comes Curiae pro persona Regis in Curte hujus judicabat;

Comes Curiae Regiae, quod sigillum conservavit Regis, pro praesentia Regia habitus, impedito idcirco

Rege tribunali ejus auctoritate ordinaria praefuit. Quoad in Regis versabatur Curia mittere sigillum hujus, et evocare quosque, sine discrimine conditionis, statusque jure disceptaturos potuit; extra Curiam praeter hos, qui a ministeriis aulae regiae fuerant, vel sua illum adire sponte voluerant, aliis causae dictionis diem constituendi, aut de ea jam dicta decernendi facultate caruit. [1])

[1]) S. Lad. l. III. c. 3. Ex quo per art. 9 Bullae aureae, cetera synonimum hoc unum laxatum, quod inchoatam in Curia causam terminare deinceps ubique potuerat.

§ 126.

a quo discernendi sunt Barones, de latere Regis transmissi,

Et hi persona regia (király személlye) sensu latiori; frequentissime Barones, dicebantur, de latere regio ad Comitatum unum vel plures transmissi, quos interea praesertim, dum auctoritatem Palatini Caput 25 l. III. s. Ladislai premebat, quavis ferme Regesti Varadiensis pagina habes obvios. Jus hi perinde, atque Palatini, Comitesque Parochiales, non intra muros, sed in Congregatione populi, unius vel plurium, uti jubebantur, Comitatuum reddebant, quae pro varietate Praesidum, seu Magistratuum, per quos indicebatur, in classicis b. Petri Quinqueeclesiensis literis „Congregatio generalis regni vel particularis provinciae alicujus a Comite Palatino vel Parochiali, vel Provinciali, vel quocunque Barone de latere regio transmisso indicta“ nuncupatur. [1])

[1]) Et in Civitate quidem Quinqueeclesiensi vel in aliqua villa Eclesiae sine licentia et expressa permissione Episcopi fieri vetatur. Cujusmodi privilegio cum aliae quoque Cathedrales Eclesiae plures, tum vero b. Petri quoque de Posega exornata fuit. VIII. 7. p. 158.

§ 127.

sed usus horum invisus populo, anno itaque 1298 leg[e] abrogatus.

Congregationes per Missos celebratae regios, plebi quam onus praestandi his, frequentissimoque Comitatu[i] suo descensus (commeatus) manebat,[1]) graves admodum, militibus vero, seu, quod usus eos erudiverat: Regulos hos non aequabilem juris in omnes tenuisse rationem; seu qua alia praeterea causa invisae, labante per ignaviam Andreae II. morum disciplina, detestatae ob avaritiam fuerunt. Auctoritas itaque Palatini art. 8. 1222 ad omnes homines regni „indifferenter" extensa. Cujus fiducia particulae sane quam generalis, cum ii in personas quoque religione sacras, et speciebus causarum, ex vetere instituto, ad Episcoporum jurisdictionem pertinentibus decernerent; id ne in posterum fieret, art. 17. 1231 cautum; anno vero 1298 art. 32. constitutum est, ne quaecunque deinceps potentum vel impotentum causae per Missos cognosci Regios possint: verum omnes hae ad Palatinum, dum provincias judicat, vel dum non judicat, ad Parochiales Judices referantur.

---

[1]) Condita per d. Steph. Basilica Albensis (vide privil. Belae IV. de a. 1254 IV. 2. p. 230) jam per illum hac donata immunitate fuit: quod Jobbagiones et populi ejus nec Palatini seu Vice-Palatini ad Congregationem generalem, aut etiam specialem et particularem, neque Comitum parochialium, seu eorundem simul cum aliis communem, vel sine aliis, victualium administrationem et solutionem, vel expensarum quarum libet pro ipsis elargitionem faciendam, ullo unquam tempore teneantur.

b) De potestate judiciaria Comitis Palatini, ac speciatim:

1. De generalibus Palatinorum judiciis.

§ 328.

materia horum eadem, quae antea judicii Rectorum Communitatis.

Sigismundus Rex generalia judicia Palatinorum, quibus in fures, latrones et malefactores alios condigna poena animadverteretur, inter instituta divorum Regum numerat; more apud alios quoque vetustissimos populos non infrequenti: praeclara Patrum instituta, ob eximiam excellentemque filiorum virtutem, ad hos tamquam auctores referendi. Milites namque s. Stephano, qui dicuntur, prima hac Monarchiae Hungaricae aetate, cognito facto, criminis quidem per Comitem Castri et provinciales postulari, sed rei coram Palatino solum aut Misso Regio peragi potuerunt. A condito tamen art. 8. 1222 Palatinus Comes jus dixit non jam militibus tantum, sed generatim omnibus, quos Comes Castri et provinciales aliquo se crimine hujusmodi adstrinxisse cognoverunt. Non igitur jam cunctandum est confiteri: per Constitutiones anni 1222 Palatinos omni, qua Rectores Communitatis apud Hunnos, Hungarosque fruebantur, instructos auctoritate fuisse, et Simonem de Kéza, non illum quidem, dum munus Rectoris Communitatis post tempora Geyzae Ducis desiisse scriberet, a vero scripsisse alienum; Judici enim illi, Communitatis electo sufragiis, postquam d. Stephanus jus mandandorum omnium regni Magistratuum sibi retinuit, Judex Palatinus Regis, potestate legibus circum scripta successit; si tamen Magistratus illius dare historiam voluisset, hunc nihilo secius postea quoque, unum omnium Archiofficialium regni

maxime popularem,[1]) potestatemque ejus, qua parte accisa est, per Bullam auream Andreae II. postliminio in integrum restitutam scribere debuerat. At de his olim; nunc enim dare jam generalis judicii Palatinorum exemlum juvat.

[1]) Quod igitur d. Stephanus cavebat, ne munus ejus diuturnum sit, observatum esse per sequentes etiam Reges ex Serie Palatinorum Prayi nuper edita patet.

§ 129.

Exemplum Judicii hujus antiquissimum

Quidam, de provincia Veszprimiensi, Udvarnikos Regis expilarunt. Iis igitur ad Comitis Palatini vocatis tribunal, hic ex testimonio plurimorum Nobilium, et maxime literis Renaldi Comitis Veszprimiensis, atque Comite illius Curiali intellecto: reos conventos, in horum praesentia, latrones et fures probatos esse;[1]) ex ordine judiciario, qualis tum viguit, decrevit, ut hi ex universis testibus suis eligerent quadraginta ad prae-

[1]) Generalis Judicii hujusmodi de quo nunc nobis sermo est, vestigium apud Francos in vita s. Amandi de sec. VII. exstat; Comes quidam ex genere Francorum cognomine Dotto congregata non minima multitudine Francorum, in urbe Tornaco, ut erat illi injunctum, ad dirimendas resederat Actiones; tunc praesentatus est quidam reus, quem omnis turba acclamabat dignum esse morte. Ita Bouquet T. III. p. 533. Confer Savigni o. c. T. I. p. 241 et 258. Eruditissimus auctor hic judiciorum hujusmodi quale Dotto habuit, exempla vel apud Francos rarissima exstare fatetur. Hoc quidem de quo dixit, Hunnorum in Europa dominatu posterius est, quorum consuetudo haec apud Hungaros (l. II. §. 40, 41) superstes, sensimque ad Romanorum propius adducta morem eum, ut Cognitio facti penes Comitem et provinciales esset, Judicium seu legis ad factum aplicatio ad Palatinum pertineret, usque ad Mathiae Corv. tempora perstitit.

standum sacramentum; hoc videlicet praestito: possessionibus eos privandos omnibus; a sanguinis tamen effusione relevandos, et solum, secundum quod judici videbitur, carceri mancipandos; nam secus duelli per eos examen subeundum, utrinque pugilem non progressum (tirunculum) adducendum, et si hic succumberet, ipsos ultra jacturam omnium facultatum, ad sanguinis effusionem damnandos. Rei posterius eligunt; sed non comparent; bona itaque illorum, cognatis et commetaneis emere se non valere declarantibus, in perpetuum vendita sunt. Quod illius judicium Rex adprobavit. [2])

[2]) Cod. Dipl. IV. p. 309. Sic de villa per notam infidelitatis amissa latam Belae jun. Regis sententiam Palatinus coram Rege declaravit, per hunc Magnatibus suis praesentibus revisam et probatam a. 1230. IV. p. 207. Simile judicium aliud contra Jobagiones castri Zolgagyör per Regem cum Baronibus perlatum de a. 1268 vide IV. v. 3. p. 464.

§ 130.

Furti et latrocinii convictorum bona, si cognati redimere nollent, aut non possent, Palatino cesserunt.

Ex bona enim et aprobata consuetudine totius Hungariae (haec Andrea II. teste [1]) vim legis obtinet) furum et latronum per Palatinos condemnatorum res et possessiones, ad hos devolvebantur, et terra, quae sic eis legitime cessit, non redimentibus cognatis rei conventi, nec contradicentibus, in perpetuum vendi per Palatinos potuit. [2]) Ita jure antiquo hungarico; cujus tantae huic pro-

[1]) Antiqua bona et aprobata consuetudo totius Hungariae vim legis obtinet, ait And. II. in lit. de a. 1229 IV. p. 469, et post eum Verb. op. trip. prol. tit. 10.

[2]) Vide axioma hoc juris antiqui hungarici integrum in lit. Palat. Moys de a. 1273 apud Pray in notit. prael. ad Hist. Regum Hung. pag. LXXX. item Cod. Dip. V. vol. 2. pag. 136.

digalitati finem Carolus Robertus posuit lege, qua bona ejusmodi, usque dum pecunia familiari satis fieret, pignoris judiciarii titulo teneri jussit, vendi prohibuit. [3])

[3]) Art. 50, 51. Decreti, quod hac etiam parte a. 1298 editum falso creditur. Sententiam igitur Fejérii praesentem Palatinorum donationis facultatem, fiducia literarum C. D. V. v. 2. p. 137 ex antiqua illa regula juris repetentis tueri non possumus.

§ 131.

De Assessoribus Judicii Palatinorum generalis.

Quod Praetoris olim, Proconsulis deinde apud Romanos munus erat „ut provinciam per conventus circumiret, Assessores, quorum Consiliis in jure dicundo uteretur, deligeret" [1]) hujus officium muneris d. Stephanus Judici palatino imposuit. Hos iste Assessores tribunalis sui seu Consiliarios [2]) aut delegit ipse, aut Communitas comprovincialiter, generatim nempe congregata eidem arbitratu adjunxit suo. [3]) Secundum hos et in Judi-

[1]) Alex. Adami et Funke opera ad § 51. (2) cet.

[2]) Congruunt his verba privil. Civit. Zágráb. de a. 1266 „nec in judicem vel ejus Assessorem sive Consiliarium."

[3]) Regest. Varad. num. 323. Paulus (Curialis Comes de Bichor ex praecepto domini sui Micae Comitis hujus causae Judex constitutus) jussit nominatum Pristaldum adducere, tunc adversarii objecerunt: eum falsum esse Pristaldum; Paulus itaque Judex praecepit Assessores Judicis, cujus se Pristaldum asserebat, adducere cet. Ibid num. 203. Palatinus dato termino, ubi ipse cum Comprovincialibus discuteret. Laurentius Palat. a. 1268 (VI. v. 1. p. 349) cum ad Comitatum Simeghiensem transmissi exstitissemus et quinque nobiles de ipso Comitatu electi per omnes nobiles, de eodem Comitatu, nobis per eum in socios deputati jure jurando cet. In lit. a. 1273. Nos Dyonisius Palatinus cet. in Comitatu Zaladiensi in Congregationis Collegio, ubi universi Nobiles et Jobba-

ciis generalibus, et omni omnino Congregationum hujusmodi genere, proximi exstimatione habebantur, qui ex quaque populi classe adfuerunt, Seniores. Analphabetis enim seculis his et memoria consuetudinum avitarum, et ad causam, qua de agebatur, ex municipalibus partium lite agentium juribus expediendam, promtissimum in his erat consilium.

---

giones Castri et Eclesiarum et alii convenerant, per eosdem universos filii Jurk latrones exstiterunt accusati, mediantibus ergo et consentientibus omnibus cet. duximus esse condemnandos. Lit. Palat. Nicolai a. 1343 in Congregatione generali omnibus Nobilibus Comitatus de Bodrogh indicta, cum nostris Assessoribus juratis per provinciales nobis assignatis et Judicibus nobilium (a. 1343) et nobilibus nobiscum assidentibus. Atque hoc illud est Sigism. art. 2. 1435 „Comitatus Nobilium comprovincialiter."

2. De proclamatis Congregationibus.

§ 132.

ad cognoscendos violentos, potentiarios vulgo actus.

Congregationes hae usu prius, quam nomine hoc cognitae, separatim saepius per Missos Regios, frequentissime cum generalibus Judiciis per Palatinos, non tamen ordinaria, verum delegata sibi per Reges potestate celebrebantur, legitimis possessoribus in jura, quibus vi depulsi essent, restituendis, ac generatim vindicandis facinoribus, quae in Regesto Varad. ad num. 329 forefactum (a gallico for fait) usitatiori autem in legibus nomine, actus potentiarii vocantur. Horum numerum post cladem Tataricam nimis quam increvisse, suo loco videbimus; plures itaque creati Palatini causis hujusmodi cognoscendis. Inde Scriptorum quorundam conjectura: jam a principio plures Hungaris fuisse Palatinos. In re vera altero quoque sec. XIII. dimidio (nec

enim ultra novatio haec tenuit) Magistratui illi unus duntaxat praefuit ordinaria, plenaque potestate. Hujus erat coercere portitores etiam, qui vectigalibus iniquis itinerantes vexassent, ac primum quidem pecuniariam his mulctam irrogare, sin fraus in consuetudinem vertisset, villam, quae sic instar spoliarii Civium fuit, abjudicare. [1])

---

[1]) De more et exemplo Majorum „possessionem similem cum tributo manibus Regiis confiscandam et per Palatinum aplicandam" decrevit Ludovicus privilegio, quod Hansgravio Rectori mercatorum de Vienna et Austria a. 1360 contulit; adjiciendo sequentia: nostra autem tributa conservantes (portitores Regii) honoribus suis spolientur, et tamquam transgressores mandatorum regalium puniantur per Palatinum.

3. De ceteris Causarum speciebus, quae Comite Palatino Judice disceptabantur.

§ 133.

fuerunt hae multiplices:

In summa ita velim existimes: nullum Causarum fuisse genus, quod, nisi lex aut privilegium prohiberet, coram Comite Palatino, velut omnis injuriae vindice, adversum milites, ordinemque equestrem nullo non tempore, post annum vero **1222** etiam contra Comites, Regiumque adeo Fiscum legitime peragi non posset. Illum gravissimas de jure gentilitatis, diversisque conditionis civilis gradibus quaestiones diremisse, et pro ratione temporum illorum, quae inter negotia politica et Praetore auctore gerenda, nullum noverant discrimen, et haec et illa in Congregationibus suis tractasse promiscue; quod de his item quae art. I. Bullae aureae a. **1222** quotannis ad diem d. Stephano sacrum habendae decernuntur, vel inprimis tenet.

§ 134.

Inde tanta semper ejus existimatio fuit, solo, ut minor Rege haberetur.

Comitis igitur Curiae Regiae, et Judicis Palatini Magistratum pro se quemque simul exstitisse, neminem esse credo, qui ex dictis non intelligat. Sed ille Oraculum Regis praesentis in causis Comitum; hic Regia procul, apud reliquum populum, in jure dicundo Prorex fuit. Ille in Consistorio Principum; Palatinus cum saepe ad latus Regis, ordinarie tamen in Curia sua [1]) et in Concione populi, et cum delectis per hunc Assessoribus ac quod gratissimum, subdiu judicavit. [2]) In his itaque duobus summis Magistratibus evenit, ut Comitum Curiae Regiae plures essent, quos ex Nobilibus tenuioris ordinis non fere quisquam; Palatinus nullus, quem semper omnes non novissent apprime. Hic de quaestionibus capitalibus, prius, quam Sententiam suam effectam daret, de aliis, dum ad Regem provocatio fieret, referre ad hunc debuit. Comes Curialis de Causis tantum, quas extra Curiam Regiam terminasset. Huic de victu et cultu ad Curtem Regiam suppeditabatur prolixe; Palatinus, quod ab hac majorem anni partem abesset, adsignatis sibi per ambitum regni Udvarnicis [3]) et jure Commeatus (descensus) usus est. [4])

---

[1]) Art. 19. 1231.

[2]) Art. 35. 1298.

[3]) Sim. de Kéza App. c. II. § 2. „Palatino regni, qui pro utilitate nobilium praeficitur, Rex suos Udvarnicos uti dedit“ Colomannum ille nominat, sed res ipsa loquitur, non alium moris hujus, quam instituti Udvarnokorum, fuisse auctorem.

[4]) E. c. Moys Palat. (C. D. V. v. 1. p. 80) pro descensu unum bovem tenuem, aut porcum bonum, decem gallinas, anseres duos, a villanis de Cosne descensus titulo habuit.

III. De jurisdictione Comitum parochialium.

§ 135.

ordinaria haec erat, et extraordinaria.

Limites ordinariae Comitum parochianorum jurisdictionis fuerant hujusmodi, ut in causis majoribus (erant vero hae effusionis sanguinis, furti, latrocinii) siquid horum per aliquem de genere Jobbagionum naturalium, aut servientium regalium patraretur, de facto Comites hi in Conventu provinciae generali cognoscerent; judicium tamen aut Regi aut missis ejus aut denique et passim Palatino de reis conventis his, integrum relinquerent;[1]) in ceteros creditae sibi provinciae incolas, nisi jurisdictioni eorum lege aut privilegio exemti essent, ipsi in praesentia tamen Jobbagionum (Magistratus) castri[2]) animadverterent. Comitibus parochianis Jobbagiones a generatione, et Servientes regales in solis modo causis ratione monetae, aut decimarum suscitatis; reliquus per territorium castri populus in quibusque causarum civilium speciebus, quae sacris servatae non essent foris, velut ordinario per provinciam judici suberant, ea instructo auctoritate, ut in ipsis adeo ministerialium (Udvarnokorum) causis definiendis, licite Magistris horum praeverterent. In Comites nulla iis potestas; invicem itaque sic satis securus populus hoc Judiciorum instituto; non etiam a vi potentiorum tutus fuit. Rege scilicet Stephano? non plus; quam apud Francos, superstite cum maxime Carolo Magno. Quorum utriusque, propria ea tantum excelsi animi virtus fuit, ut postquam potentiores quosque judicio suo servassent, et ne iis ad tenenda sua vel recu-

---

[1]) Factum idcirco est, ut horum, Palatinorumque Congregationes passim simul celebrarentur.

[2]) Bela IV. (IV. 1. p. 194) et Comes non judicet eos, nisi in praesentia Jobbagionum castri.

peranda obesse invidia posset, sic satis prospexissent; vicissim curarent omni auctoritatis suae usu impensissime, ne praerogativa haec tenuioribus in noxam vergeret, promtissimus itaque his ad Curiam suam pateret aditus. Atque haec praecipua d. Ladislai quoque cura. Ab horum tamen obitu apparuit mox, cum lege ea securitatem aliorum incolumem consistere non posse. Huic itaque consulturus Colomannus, maximi Princeps animi, consilium de instituendis Judiciis synodalibus coepit. Sed a fatis ejus res haec omnis retro lapsa est; non sine impulsu eorum, quorum a rationibus fuit, obliteratis judiciis his revectoque veteri systemate populum praesenti judicis ope destitui. Crevit malum prodigalitate Regum seculi XIII., qui ad sarciendam, ut alibi diximus, prisci Comitatus jacturam, multos Jobagionum omnis generis a jurisdictione Comitum parochianorum exemerunt. Haec rei judiciariae circa a. 1222 facies, quo de extendenda Palatini, seu quod res est, restabilienda antiquissima Judicis Comunitatis, in omnes auctoritate conventum est lege; nam id praeter legem invaluit, ut quos Ordinaria Comites parochiani judicare auctoritate non possent, velut Jurisdictioni suae exemtos; eos ex delegatione Principis aut permissione Palatini, extraordinaria itaque potestate judicarent. Per quod auctoritati quidem supremorum Comitum subventum; non tamen etiam conditioni populi, multiplicatas injurias, administrationemque justitiae ob necessitatem delegationis, sumtuosam querentis plene consultum. Anno itaque 1298 condita, quam jam alibi (de Missis Regiis) dedimus, lex est, ex qua omnes causae praeter eas, quae sacris assertae sedibus essent, ad Palatinum, dum provincias judicat, tunc vero dum non judicat, ad parochiales judices deferrentur. Ita lex scripta: longiori tamen opus tempore fuit, ut haec in usum abiret, articulo 21. anni 1486 expressum, quo non solum exemtiones anteriores abrogatae, sed ne deinceps aliquando fierent, prohibitum est severissime.

§ 136.

De foro Curialium Comitum Castri.

Castri, inquam, ut extemplo intelligas, de Vice-Comitibus parochianis sermonem esse, a Comitibus aulae seu Curiae Praelatorum, aliorumque privatorum Dominorum (nam his quoque sui olim Comites Curiales) oppido quam diversis. De munere horum Kollárius [1]) pro diligentia sua egit prolixe, longumque iniit causarum censum, quas horum definitas judicio ex Regesto Varadiensi accepit; sed quod amplius est, Comites hos Curiales, proinde, atque Comites parochiales Causas alias ordinaria, alias delegata potestate definivisse, fugit eum annotare; licet pluribus Regesti illius indiciis constet: Causas complures Comitibus parochianis commissas, horum mandatu Vice-Comites seu Curiales Comites hos pertractasse. Quod igitur easdem species causarum, personarumque lite agentium genera eadem coram utroque vides; nolim id pro aequata utriusque in jure dicundo auctoritate accipias, contra enim et lex et exempla faciunt, quae attigimus paullo ante. In his itaque Vice-Comites luce non sua, sed aliena lucebant. Facultas deligendi Comitis Curialis diu parochialem penes Comitem fuit. Ex quo conjicere est, hos et suopte nutu et quod fama existimatioque sua magna ex parte per laudes fidei industriaeque Curialium Comitum suorum staret, operam dedisse, munus id ut viro conferant, et a moribus et a literis commendato. Additque opinioni momentum, quod causae, quae animos veteris formae judiciorum curiosos, in Regesto illo maxime explent, per Curiales peractae Comites fuerunt.

---

[1]) Volum. II. Amoen. Hist. Jurisque publ. regni Hung. c. IV. p. 40 et seqq.

§ 137.

De arbitris.

Muneris Centurionum, Bilochorum, Villicorumque officia diximus alibi; jam de arbitris quaedam. Caput est: apud hos causas disceptatas fuisse plurimas. Erant vero arbitri alii villani, ex cognatis, opinor, vicinisque delecti;[1]) provinciales alii,[2]) spectatae virtutis homines, qui ad Palatinorum tribunalia adhibiti, tantam exuperantiae hujus consecuti fiduciam sunt, ut gravissimi saepe momenti questiones voluntate partium his committerentur dirimendae. Arbitros quidem, quos non infrequenter Palatini adsignarunt, ex horum fuisse numero mihi persuasum habeo.

[1]) Reg. Varad. num. 343 „Cognati utriusque partis, scilicet: Nicolaus, Aba, Ambrosius una cum Bodum Comite, utramque partem in ipsos arbitros consentientem discutientes cet.

[2]) Ibidem num. 90 arbitri 339 arbitri parochiani; 340 Contermini dicti; iidem, ni fallor, qui in capit. Saxonum de 797 vicinantes, convicini, pagenses appellantur. Baluz. I. p. 277.

§ 138.

De sedibus, ut vulgo appellantur, dominalibus

Domini denique jure causas colonorum suorum cognoscendi semper pollebant;[1]) erat tamen hoc longo satis tempore ita limitatum, ut se non ultra ipsos colonos, qui aliquam territorii eorum portionem tenebant, extenderet, atque in hos quoque, nisi privilegio exemti

[1]) Reg. Varad. num. 292 Bud impetiit convillanum suum Emericum Judice Leustachio Domino eorum. Num. 293 Barabas impetiit Jobagionem Aga Comitis. Quod praefatus Aga discentiens cet. Vide et num. 56, 299, 387 cet.

haberentur, salva praeterea esset, et Comitum provinciae et Ordinariorum regni judicum auctoritas; velut quae testimonio etiam legis deinceps scriptae (§ 2. art. 68. 1486) in eo sita fuit, ut Palatinus, post deinde Comes etiam Curiae Regiae, causae cujusque propositae sibi cognoscendae et definiendae facultatem haberent. Cum igitur maxime formam administrationis publicae feudalem tenere te putas, elabitur haec prope e manibus, ceditque propriae legum hungaricarum humanitati, ex qua libertinis etiam dominicae subjunctis potestati, salvum erat illatam sibi injuriam, in causis quoque capitalibus, per se coram jure persequi;[2]) hac si usi non essent, dominus ad eam vindicandam procedebat.[3])

---

[2]) Reg. Varad. num. 59, 310, 370, 388.
[3]) Ibidem num. 234, 269 cet.

II. De norma procedendi coram Jure

a) de evocatione ad Judicium.

§ 139.

insigne hanc in rem Hartvici testimonium.

De militibus, qui mercatores quosdam depeculati sunt, ad judicium evocatis primum speciale; alterum generale est, qua Stephanum in vim perpetuae legis prohibuisse perhibet „ne quis vicinum, sine judicii examinatione, laederet.“ Legem itaque Andreae II. (art 2. anno 1222) „volumus etiam, quod nec nos, nec posteri nostri aliquo tempore servientes capiant, vel destruant, favore alicujus potentis, nisi primo citati fuerint et ordine judicario convicti“ quis est, qui non summae d. Stephani referat aequitati acceptam? Evocatio, more Hungarorum antiquissimo Praeconis erat negotium; con-

suetudo mittendi sigilli cum hospitibus bavaris ad nos demigravit. [1])

[1]) Duplex hic evocationis modus etiam in LL. s. Lad. (l. I. cap. 41, 42) distinguitur.

b) de mediis probandi coram foris civilibus

§ 140.

species horum diversae

Media probandi: juramentum et conjuratores post adoptata christiana sacra ex jure canonico sumsimus; ordalia hospites attulerunt, maximam partem Germani. Horum se consuetudinibus Protorex aplicuit, in constituendis quoque perjurii, ac aliorum criminum poenis, diversisque harum generibus. Quod cum ex Grimmii demum antiquitatibus germanicis nuper cognitum sit, [1]) erant ex Scriptoribus hungaris aeque ac externis complusculi, quorum alii divo Regi nimiae asperitatis, alii hungaris barbarae immanitatis dicam scriberent, cum potius ingenium Regis tantis morum legumque per convenas allatarum diversitatibus accomodatum laudare debuerant.

[1]) Libri II. cap. 15 de perjuris manus amissione mulctandis; cap. 39 et 40 de furto servi, redemptione nasi, vel abscissione ejus puniendo; sin relapsus fuerit, auribus privando; et si ne tum quidem sapuerit, morti dando, contende velim cum iis, quae Grimmius o. c. de moribus Germanorum a p. 701 — 711 in medium adfert.

§ 141.

testes et conjuratores.

Sacramentum, uti judex decrevisset, alteruter litigantium, vel per se solus, vel cum pluribus hominibus conditione civili paribus nuncupabat. Hi conjurato-

res, consacramentales, compurgatores dicti, religiosam jurantis asseverationem fide dignam esse adfirmabant; diversi a testibus, qui de re in litem deducta, id quod sibi compertum habuerant, professa etiam scientiae ratione exprompserunt. Conjuratores diu ad amoliendam solum, testes et ad asserendam et amoliendam actionem adhibiti [1]), atque hi quidem secundum illud s. codicum „in ore duorum" cet. pauci; conjuratores,[2]) quia alienae assertores fidei fuerant, quinque, decem; et pro ratione inferioris conditionis civilis, famaeque, centum et plures saepe numero per judicem imperabantur. [3])

---

[1]) Veri nominis testes habes in Reg. Varad. num. 164, 209, 241, 247, 262, 323, 329, 389. De his est illud (III. v. 2. p. 97) de a. 1226 „nos autem adjudicavimus, ut testes produceret de omnibus hominum generibus scilicet: de Servientibus Regis, de Jobagionibus castri et de aliis hominibus, qui sunt genere liberi et bonae famae. Ex his pars adversa, qui sibi fide potiores videbantur, concessu Judicis, elegit Reg. Varad. n. 209, 229, 323, 366.

[2]) Exemplum Conjuratorum Reg. Var. num. 266 sistit; vide etiam lit. jud. de a. 1327. Tud. Gyűjt. a. 1836 v. IX. Formula Juramenti horum in Régi magyar n. em. II. p. 280.

[3]) Sensu art. 39 1291.

§ 142.

generatim testificantes

Et hi et illi vitio styli veteris testificantes dicuntur;[1]) quod habilitas paribus utrinque alligata legibus fuit. Omnes Christo addictos, bonae praeterea famae viros, et patres familias esse oportuit. Sed servo accusare nobilem, aut testimonium contra hunc perhibere, ex lege d. Stephani haud licuit. Extat hanc in rem alia item ejus

---

[1]) In hac igitur de conjuratoribus, testibusque doctrina cautionis opus esse diligentia bene Roggeius o. c. p. 103 monet.

lex, quae familiaris apud nos phrasis „honoratiorum“ reserat fontem. Ea est hujusmodi: „Si quis servorum Curiae Regalium vel Comitis praeficitur, ejus testimonium inter Comites recipiatur“ si servus seniorum, vel Serviens suum Comitem interfecerit. [2]) Cum his si contendas, quae Verbőczius in haec tradit verba [3]) „rusticana attestatio, demptis Officialibus Dominorum et Baronum ac aliorum regni Nobilium in personis eorum officia in vicinitate tenentibus, qui juxta antiquam consuetudinem in hac parte pro personis nobilibus reputantur, contra personam nobilitarem nihil valet“ tenes principium, ex quo praesens juris tam scripti, quam consuetudinarii erga honoratiores, viros, subaudi, ab artibus liberalibus, ordine sacro, munere publico, aut de quo ante diximus, privato conspicuos, liberalitas profecta est.

---

[2]) l. II. c. 50.

[3]) P. II. tit. 27. § 6.

[4]) Ita etiam ignobiles, si Scribae, aut Notarii Curiae Regiae sint, ex tit. 19. P. II. op. trip. Verb. parem etiam in exequendis Judicum regni ordinariorum Sententiis fidem cum nobilibus habent.

§ 143.

dicti

De diverso testimoniorum pro ratione civilis testium conditionis valore plura isthic adferre supersedeo; ne partem instituti Conjuratorum, qua hoc Caroli Roberti et Lodovici Magni temporibus magis exculta est, occupem. Id tamen loco hoc alienum non est observare: Conjuratorum institutum ita fuisse comparatum, ut in causis quibusdam proximi sanguine conjurare non solum possent, sed etiam tenerentur. [1]) Nobiles Jobagiones Eclesiarum,

---

[1]) Regest. Var. num. 351.

quod Praelatis suis conjuraverunt, causae horum, sensu probissimo, adjutores dicebantur.

§ 144.

Literae

Literarum in judiciis usus sec. XI. et XII. infrequens; in Regesto Varadiensi quoque pauciora, quam pro numero causarum, vestigia scriptorum documentorum reperias. Sed questi id jam alias sumus; non dum diximus hoc in condendis ultimae voluntatis tabulis Canones Eclesiae, et quod Andreas II. in diplomate a. 1231 „voluntas, ait, testatoris suprema, firma et stabilis debet permanere“ [1]) pro lege apud Hungaros fuisse.

[1]) Cod. Dipl. IV. p. 227.

§ 145.

Ordalia.

Ordalium binae in Hungaria species: ferri candentis et aquae bullientis, usu cognitae. Ritus peragendi judicii hujus, ceteraque, ut apud Germanos. Lege d. Ladislai, dum aqua vel ferro judicium factum, tres adesse idoneos testes oportebat. Id Colomanni constitutum sapientia, ut nisi ad sedem Episcopi et majores Praeposituras, exerceri judicium hoc nequiret. Arbitro Bertholdo Colocensi Archiepiscopo, Abbas Ordinis s. Benedicti de monte Pannoniae (Urozio nomen) per hominem Eclesiae suae ferrum in Eclesia Budensi portavit. Literae igitur eam in rem editae, locique similes Regesti Varadiensis [1]) incogniti,

[1]) Vide lit. apud Schwardtner Introd. in Dipl. pag. 339. In Reg. Varad. num. 15. Fabianus de villa Beka, et Samson de genere Opour. num. 69. Domina Maria Uxor Aghae Comitis num. 79. Quidam de genere equestri scilicet militum Regis 228. Sumuracus Posoniensis Comes et alii num. 373 cet.

credo, fuerint scriptoribus, qui hoc judicii genus nihil ad Nobiles adtinuisse volunt. Tu, si videbitur, ita censeo, existimes: Nobilibus non immunitatem judicii hujus, sed ferrum per se ipsi, an aliorum portare manu vellent, optionem liberam fuisse. Neque tamen hoc Nobilium tantum proprium; Aequitas gentis, cujusque conditionis hominibus,[2]) si senio vel morbo impedirentur, ferri per alium portandi [3]) fecit potestatem.

---

[2]) Ibid. num. 2 pro sene matre filius. num. 90, pro fratre frater portat ferrum.

[3]) De modo judicii hujus prolixe Belius, sed alienis ex fontibus; nos pauca ex ipso Reg. Var. notamus. In judicium hoc missus apud Eclesiam triduum jejunavit (num. 24, 367, 368); praemissa deinde adhortatione inter solemnia missae Eucharitiam sumsit, commonitusque iterum, et examinatus ferrum candens ad spatium pedum novem portavit. De combustione non statim pronunciatum; sed manus panno involuta, involucrum sigillo Capituli (num. 92) munitum; et triduo post praesentibus Canonicis (num. 146) solutum et de comperto testimonium editum. Qui sigillum fregit, sine omni ulteriori vestigatione pro reo confesso habitus est. Montesquieu putat ad prosperum rei eventum plurimum in callosa manu situm fuisse. Carolus Böhm (Quaedam animad. in med. aevum Pest. 839) Sacerdotes, dicit, suas de occultis naturae viribus cognitiones, etsi aliquando dolus intercesserit, ad innocentiam salvandam (instituto hoc) convertisse.

§ 146.

Duellum.

Majoribus nostris, quod ritu etiam gentilium dum viverent, Deum praeliis interesse credebant, tamquam pars avitarum religionum, inter cetera probandi juris media gratissimum, consiliumque Stephani, ut Germanorum de modo duelli scita, per eos quoque adoptarentur, unum omnium acceptissimum erat.

§ 147.

hungaris gratissimum

Volumus, ait is in Diplomate, quod Eclesiae S. Adriani de Zala a. 1024 largitus est,[1] ut cum necessitas proposcerit, contra importunitates, jura vel possessiones impugnantium vel occupantium Regia Majestas, quoties locus, aut tempus se obtulerit, dictae Eclesiae teneatur de sua benignitate in pugili providere, et ipsum pugilem per omnia expedire.[2] Ita namque legibus ejus erat comparatum, ut decerni duellum et per Curiam Regis et per Palatinum, Judicemque Curiae Regiae et horum Vicarios Supremosque provinciarum Comites in causis quibusque posset;[3] abiretque in axioma Juris privati hungarici: aprobatissimo et consuetudinario regni jure causas per productionem testimoniorum comprobatas,[4] duplici articulo, scilicet duello, vel, juramento definiendas esse.

---

[1]) Vide illud Kat. Hist. Crit. T. 1. p. 313. De simili magno Pugili monast. s. Albani apud Anglos Mathaeum Paris.

[2]) Ibid. T. VI. p. 678. lit. Lad. IV. Petrus filius Beten de Budafalva noster pugil specialis, undecies se in area certaminis nostro ex mandato ut pugil strenuus probando cet.

[3]) Variae deinde privilegiis factae limitationes, sic Nobiles de Scepus, duellum nisi per Regem probatum fuisset, non inibant. Bela IV. duellum literis, quas Tyrnaviensibus, Valkovariensibus, Zagrab, Pest, Carponensibus et Jasztrabarkensibus a. 1231, 1238, 1242, 1244, 1257 concessit, diserte vetuit.

[4]) Huic axiomati insistit Sententia Palatini de a. 1244, de qua Botka in praeclaro op. de duellis Hungarorum litis decisoriis Pest. 1829 plura; item Marci Supremi Comitis Szathmariensis C. D. IV. pag. 46.

§ 148.

frequentissimumque

Duellum quisque per se; nisi per sexum vel aetatem armis tractandis minus idoneam, sacerdotium vel eminentis dignitatis civilis rationem, excusaretur; tum enim per conductum pugilem inibat. Id vero Judicis erat arbitrium, an novitius cum veterano, vel nudus cum armato congredi pugile debeat. Contra eos, qui majestatis postulati, aut hostes salutis publicae judicati sunt, more Majorum posterius tenuit.

III. De rebus judicatis earumque executione.

§ 149.

per Pristaldos

Jure vetustissimo controversia ad Judicem deducta Partes, etsi maxime vellent, sine licentia ejus amicis convenire pactis nequibant. Quod cum de Curia quoque Regis ita acceperimus, vereor, ne consuetudinem, quae tam prope abest a suspicione avaritiae, non idoneo loco referam. Sed Regestum Varadiense, cujus aetate causae ex primaevo forensi agebantur usu, deprecationum hujusmodi plenum est. [1]) Sententias Curiae Regiae Judicumque aliorum exequi Pristaldorum erat negotium. Nomen si ex perestar persico, quod ministrum notat, arcessas,[2]) non ecquidem obluctabor; eorum tamen pro-

---

[1]) Recole Reg. Var. n. 23, 26, 125, 322, 342 cet. In supl. ad Anal. Scep. p. 107 arbitri ex consensu et permissione Michaelis Comitis Scepusiensis deputati.

[2]) De etymo vocis diligenter disserit Kállay in Tudományos tár, vol. 1, fasc. 1.

babilior conjectura videtur, qui cum apparitor vulgo: Comissarius vel Mandatarius Slavis pristav nominetur, Pristaldum in reduviis Slavorum Pannoniorum habent, [3]) arbitranturque vocem eam simulatione vernaculae perestǫldó facile impetrasse, ut per Hungaros jure civitatis donaretur. Regum tamen Pristaldi in vernaculo jam olim Király embere [4]) audiebant.

---

[3]) Belius, Bentkő, Katona alii.

[4]) Lit. capit. Varad. a. 1274 (VII. v. 2. p. 35) testimonium nostrum idoneum mittere deberemus, coram quo Mathias Prestaldus, seu Homo Regius. Viginti jugera statueret cet. Carol. Rob. in lit. a. 1323 (VIII. v. 2. p. 495) Ladislaum, hominem suum, Procuratori possessionum monialium de insula B. M. V. circa Budam ad citationes, Inquisitiones, Recaptivationes possessionum, ac ad alia negotia ipsius Eclesiae per unius anni evolutionem in Prestaldum concessit. Similes sunt literae apud Hormayr o. c. T. VIII. p. 191. Aetate Ludovici M. desiit vocabulum Prestaldorum, ut qui deinceps Homines Regii dicti sunt.

§ 150.

p e r a c t a.

Pristaldos iisdem, quibus testes instructos dotibus; in eam vero curam, ut munus hoc viris committatur bonae frugis, Judices incumbere lex voluit. Quod itaque consentaneum erat, admissae per Pristaldum culpae reum Judicem subjecit, sanxitque diserte, damnum per illum datum ut iste praestet. Causam scripto comprehensam Kollarius Pristaldis consignat. Ego vero mallem Judices illius aevi hoc fecissent; quod quidem ille non docuit; Apage itaque istiusmodi laureolas non in loco allatas; liquet enim ex Regesto Varadiensi: et Pristaldis, quid agendum haberent, viva commissum voce, et per eos, quod peregissent, ore ad Judicem relatum; hoc ipsum vero non nunquam jussu hujus aut voluntate partis per Capitulum Eclesiae alicujus in literas missum. Consuetudo

haec non solum ante aetatem Belae III., sed postea etiam aliquamdiu obtinuit. Quoties igitur res jam judicata, et effectui data in contentionem venit, ad Pristaldum, cujus id opera factum esset, tamquam adsertorem veritatis provocari, hicque coram arcessi solebat. Ejus effatum vicem literarum et sententiae scriptae acceptum, si res integrae et fraude vel simulatione per eum nihil in alterutram peccatum partem esset. At vero jam initio seculi tertii decimi cuncta querelis contra simulatos falsosque Pristaldos personabant; anno itaque **1231** constitutum, ut „quia multi in regno laederentur per falsos Pristaldos, Citationes vel testimonia eorum non valeant, nisi per testimonium dioecesani Episcopi vel Capituli; nec falsificatus Pristaldus possit se justificare, nisi eorundem testimoniis."

IV. De asylis.

§ 151.

lex d. Stephani.

Memoria legis, non etiam lex d. Stephani de asylis ad nos pervenit. Superest tamen constitutio ejus: si quis in Regem aut regnum conspiraverit, nullum ut refugium habeat in Eclesiam. [1]) Itaque verum, aut veri proximum est: Eum haud secus, atque Carolum M. sola modo templa Dei pro asylis, et neque haec omnium omnino Criminum reis patere voluisse. Non ecquidem nescio cap. I. lib. II. Decretorum S. Lad. Curiam praeterea Regis et pedes Episcoporum attingi, prudensque concedo, quos Ordalia secum in Hungariam attulisse dixi, hospites haec eadem domi suae perfugii loca habuisse; [2]) id autem ad morum etiam interfuisse quodam-

---

[1]) Libri II. cap. 51.

[2]) Vide Grimmium o. c. p. 186 et seq.

modo cultum, ne haec eorum religio in Hungaria deminuatur. Sed enim et caput 17. lib. III. Decr. s. Lad. et c. 84. lib. I. Colom. quae titulo professo de asylis agunt, disserte pro me faciunt. Lex d. Stephani de asylo, ut, quod sentio, dicam (nihil enim praecipio) par, similisque fuerit Decreto Caroli M. quod est hujusmodi „si quis confugium fecerit in Eclesiam, nullus eum de Eclesia per violentiam expellere praesummat, sed pacem habeat, usque dum ad placitum praesentetur, et propter honorem Dei sanctorumque ipsius Eclesiae reverentiam, concedatur ei vita, et omnia membra; emendet autem causam in quantum potuerit, et ei fuerit judicatum.“ [3]) Consentit enim his illud s. Ladislai cap. I. lib. II. „ipse fur, nisi ceciderit in Eclesiam, suspendatur.“ Item caput 17. lib. III. „si fures ad Eclesiam confugerint, seque insontes dixerint, judicio (placito Caroli M.) sistantur; confessi crimen lege d. Stephani serventur incolumes; sin secus rei comprobati fuerint; contumaciae illorum nihil ea in Eclesiam fuga sufragetur. Colomannus leges d. Stephani et Ladislai partim temperavit, partim explicuit; neque nihil in his quoque s. Regum de asylo constitutionibus fuit, quod melioribus jam seculi sui moribus consulto accomodaret, aut saltim definiret clarius. Et primum quidem humanius jam, ac ad ingenuitatis, probitatisque velut quamdam educationem aptius ei visum: per Comitem et Episcopum interrogari percontarique eum, qui in Eclesiam confugisset, an reus esset objecti sibi criminis? confitentemque non mutilari. Si fateri distulit, non idcirco eum ferro mox examinari,

---

[3]) Capit. de part. Sax. apud Baluz. T. I. p. 251. Pacem habeat intra ipsa Eclesiae atria, nec sit ei necesse Eclesiam ingredi. Capit. II. a. 803. c. 3. p. 389. Idem d. Lad. Eclesiae Simeghiensi largitur a. 1106 apud Katona H. c. T. II. Innoc. III. vero a. 1198 apud eundem testatur: hanc olim Eclesiae Dei in Hung. reverentiam fuisse, ut si etiam publicus latro ad eam, ob tutelam sui corporis confugisset, sub ejus consisteret immunitate securus, et quamdiu lateret ibidem, tamquam innocens servaretur.

sed dato ulteriore sui excusandi spatio, si hac quoque indulgentia abusus, aliis mediis probari reus, quam spontanea confessione videri etiam poenitens maluit, tum demum eum pleno rigori legum committi praecepit. [4]) Lege itaque Colomanni non quidem nihil Eclesia, sed (ut magni Regis agnoscas sapientiam) beneficium asyli sua cuique fides, et reliquus a casu humano probitatis sensus dedit. Aetate conditi Regesti Varadiensis jam etiam a ferro fatali adusti qui fuerant, si in Eclesiam refugissent, a periculo vitae ac mutilatione integri, Crimen pro gradu ejus, furtum speciatim, si jam in consuetudinem vertit, civilis suplicio mortis, servitute luebant. [5])

[4]) Vide legem ejus lib. I. c. 84.

[5]) Confer cum his causam Reg. Varad. n. 189 deductam.

B. De jurisdictione forensi Praelatorum

§ 152.

in sacram et civilem divisa:

Praelatorum, seu ut d. Stephanus loquitur, Ordinis Pontificum jurisdictio forensis ex instituto ejus duplicis erat generis: sacra et civilis, haecque rursus vel curialis, quae in liberos, milites, nobiles Eclesiarum; vel dominica, in Colonos quae exercebatur, hominesque conditionis obnoxiae.

§ 153.

Ad sacram pertinebant: 1. Clerici.

Ordinis Pontificum jurisdictioni suberant omnes, qui per tonsuram in sortem Domini vocabantur. [1]) Quod ta-

[1]) S. Steph. l. I. cap. 3. § 4. et s. Lad. l. III. c. 25.

men de ordine solum disciplinaque sacra intelligi velim. Agi enim cum his lege, si injuriam dedissent, Praelato solum Judice potuisse multorum eam quidem, neque eo magis veram existimaveris sententiam. Lex namque divi Ladislai (l. II. cap. 13) exstat, ut Clericus majoris furti reus per Episcopum gradu moveatur, vulgarique damnetur judicio. Atqui legi huic, velut speciali et hominum aevi hujus extortae vitio per Colomannum obrogatum est,[3] scio; neque me latet, ex hujus mente Regis, ne causas quidem ratione fundorum, quocunque Actionis titulo vestitas adversus Clerico institui, praeter quam apud Judices Ordinis sacri, nusquam potuisse. Sed hoc multifariam licet, contra instituta d. Stephani et Ladislai, qua privilegio,[4] qua legum confirmatum tabulis,[5] robustam attingere maturitatem nequivit.[6]

---

[2]) lib. I. cap. 14.

[3]) Col. l. I. c. 6, 14.

[4]) Andreae II. de a. 1222 clero concesso apud Kollár de orig. pot. leg. cet. p. 93.

[5]) Art. 17. 1231 § 2.

[6]) Vide supra § 123.

§ 154.

2. Personae aliae causis ad haec relegatis fora implicitae.

In facto fidei, sacramentorumque et disciplinae[1]) jurisdictio illa non sexus, non ordinis conditionisque dis-

---

[1]) Explicatum vocis in legibus antiquis nequiquam quaesiveris. De veneficio in Reg. Varad. ad n. 68, 151, 236, 255, 273, 376, 382. Archi-Diaconi; n. 371. Comes Curialis judicat. Literae Episcopi Transyl. (Pray Hierar. p. 2. pag. 253) de a. 1213 „causarum etiam criminalium „meminerunt," quae ad sacerdotum pertinent dispositionem."

crimine ullo, ad cunctos, qui intra Dioecesim Praelati colebant, patuit. Criminum graviorum rei, licet eos inter, et quos laesissent, convenerat, peccatum Episcopi luebant judicio. Causae de matrimoniis, de dote, rebusque paraphernalibus Episcoporum sequebantur forum, cui Andreas II. alias item quaestiones, quacumque eae ratione ad eclesiasticum examen pertinerent, art. 17. 1231 accensuit: Sic vero (nec enim sejungere ea, quae invicem cohaerent, licet tempore dissita, placet,) materiam dedit rogatae temporibus Ludovici M. apud Transylvanos, nescio an prius apud Hungaros legis, quae haec habet: „quod factum nuptiarum, item causae dotis et rerum parafernalium, item causae quartae filialis, item percussiones clericorum, et mulierum judicia Eclesiastica tangentes ad forum eclesiasticum debeant pertinere.[2]) Item violatores virginum, mulierum, adulterorum, adulterarum, nisi extendant se ad sanguinis effusionem; item causae testamentariae similiter ad forum eclesiasticum dignoscuntur pertinere; hoc tamen declarato, quod si causa adulterorum intentatur civiliter: ad forum eclesiasticum; si vero criminaliter: ad judicium seculare dignoscitur pertinere.“ In cognoscendis causis his Episcopi Vicariorum, Archidiaconorumque suorum et Parochorum opera;[3]) in decidendis jure Pontificio pro norma usi sunt.

---

[2]) Causae in facto decimarum ex art. 5. 1222 12. 1231 37. 1291 ad Comitem parochialem spectabant, etiam secundum hanc Ladovici legem. Abstractae ab eo per art. 9. 1458; rursumque a. 1608 restitutae.

[3]) Vide etiam form. sol. styli Kovachich p. 53.

§ 155.

auctoritas sententiarum hujusmodi

Quam Carolus M. tamquam principalem administrandae Monarchiae iterum iterumque repetit legem „ut Epi-

scopi cum Comitibus stent, et Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit, auspiciis Caroli Calvi in can. VIII. Concilii Moguntini redactam,[1]) d. Stephanus ipsis hujus verbis recepit, et ut judicium Caroli M. plene se probasse luculentius ostenderet, in Decreto, quo Monarchiam Hungaricam ordinat, principe posuit loco.[2])

[1]) Apud Baluz. T. I. p. 858. „Ut Episcopi potestatem habeant res eclesiasticas providere, regere et gubernare, atque dispensare secundum Canonicam auctoritatem. Volumus ut et laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Eclesias Dei, viduas et orphanos defendendos, et ut obedientes sint eis, ad eorum christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus et Judicibus ad Justitias faciendas. Et ut nullatenus per aliquorum mendacium vel falsum testimonium, neque perjurium, aut per praemium lex justa in aliquo depravetur.

[2]) Libri II. cap. 2. Ut Episcopi habeant potestatem cet. usque „christianitatem servandam.“ Quae sequuntur ad modum capituli primi a. 813 Car. M. ita mutavit: Consentientesque sint Comites, Judices, Praesulibus suis ad justitias faciendas juxta praecepta legis divinae. Et ut nullatenus per aliquorum cet. Confer etiam Joann. Godofr. Eichhorn Weltgesch. II. Theil. p. 34.

§ 156.

Civilis Jurisdictio Praelatorum, partim ad similitudinem Curiae Regiae comparata,

Tribunal Praelatorum, coram quo de causis Nobilium Eclesiae suae disceptabatur, Auditorii Regum prae se ferebat speciem. Horum ad exemplum Archiepiscopus Strigoniensis et Judicem Curiae et Palatinum habuit, habetque hunc hodieque. De quorum auctoritate ita Bela IV. in privilegio de libertatibus „quae ad Eclesiam Strigoniensem semper pertinuerunt, a. 1263 „nullus Judicum Curiae Regiae quocumque nomine nominetur, vel Palatinorum regni, vel quicunque Comes, populos Eclesiae Strigoniensis conditionarios, et Nobiles suos univer-

sos judicare possit, sed ejusdem Eclesiae Strigoniensis judices, videlicet: Palatinus suus vel Judex Curiae suae, aut terrestris Comes per Archiepiscopum deputatus, in omnibus judicet. Si Nobiles Eclesiae Strigoniensis in furto vel spolio per Palatinum regni nostri, vel Judicem Curiae nostrae ordine juris servato interficerentur, possessiones taliter interfectorum non ad Palatinum regni vel Judicem Curiae regni devolvantur, sed ad Eclesiam Strigoniensem.“ Praelati ceteri praeter quatuor principales ministeriales ex more Praelatorum Germaniae: Tavernicum nempe, Dapiferum, Pincernam, et Agazonem, quisque Curialem alterum, alterum terrestrem habuerunt Comitem suum. Quorum hic extra Curiam causas minores, minorumque; ille tamquam Comes Curiae Episcopi aut Abbatis, in Curia, eo coram, vel absente causas quasque non tamen solus, verum, ne quid ad simulacrum Curiae Regiae desideraretur, adsidentibus Nobilibus Jobagionibus Eclesiae definivit. De provocatione ad Curiam Regiam usus non convenit. A Sententiis Curiae Archiepiscopi Strigoniensis, aliorumque plurium Praelatorum nullus in praesens usque provocationi locus; fide vero literarum b. Petri Quinqueeclesiensis, si Episcopus ejas, vel Officiales justitiam conquerentibus denegarent, Episcopus ad Regiam potuit et debuit praesentiam evocari. [1])

---

[1]) Idem ad Eclesiam Zagrabiensem viguit, vigetque etiam nunc.

§ 157.

partim dominica erat, estque nunc ipsum.

Notionem hujus dedi alias. Non itaque faciam longius. Tribunal hoc, in cognoscendis etiam, si potestas haec Eclesiae per Reges facta est, capitalibus quaestionibus, nihil a simili Dominorum aliorum foro differebat. Regestum Varadiense, inter plurima dominicalium judiciorum hujusmodi monimenta, illius item servavit memoriam, quod per Comitem Miskam cum Vilhelmo Episcopo

Transylvaniae (ab a. 1203—1223 Eclesiae huic praefuit) simul celebratum monet, [1]) istius quoque generis tribunalium (mixtas sedes dominales vocamus) usum, apud nos esse perantiquum.

[1]) Reg. Varad. num. 69.

De re militari.

§ 158.

Hanc pactis legibusque jam per Arpadum constitutam

Politicis aliarum gentium institutis meditato in rem suam usi consilio Hungari, quod ad rem militarem: plura habuerunt ipsi digna, quae exteri imitanda summerent. Ex his Henricus I. Imp. quod eorum exemplo arces perpetuis ex vicino agro equitibus muniverat, primus tamquam novi apud suos instituti conditor fama celebratur. [1]) Nolim tamen existimes militiae leges omnes, quibus Hungari ab excessu Protoregis usi sunt, (usi inquam, nec enim tabulae exstant) sic plane vernaculas eorum fuisse, nihil ut aliunde acceptum sit. Perlucent ex his quoque Capitularia Regum Francorum, adhibitique ad delectum horum tanti solertia judicii, ut institutum hoc ea etiam parte, qua ex Capitularibus his derivatum est, ex antiquissimis propriisque fluere videatur gentis moribus.

[1]) Rotteckius o. c. T. V. p. 272 novi hujus, usuque non Germanis, non Francis antea cogniti instituti meminit: unde illud Henricus sumserit, silentio praetermisit.

§ 159.

Stephanus

Primus recepto per Europam Christianam sacro cerimoniarum apparatu auctorari ad militiam appetiit. [1])

[1]) Thur. P. II. cap. XIII. et XXVIII.

Quod ejus exemplum Reges deinde,[2]) privatique in majores nati fortunas imitati sunt; nam ceteri arma, non ritu aliquo publico, sed cum id aetatis essent, prisco Patrum more, sua ipsi manu sumserunt.

[2]) Geyza II. (ita Otto Frising.) altera die in praedicto Campo ad quamdam ligneam Eclesiam accedit, ibique ab Episcopis (nam eousque in puerilibus annis positus non dum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta armis accingitur.

§ 160.

uberius excoluit.

Alias me dicere memini d. Stephanum quidquid fuit moris aviti, quod componi cum religione sacro sancta posset, integrum et illibatum servasse. Jam illud apertum profecto est: in re militari, uti haec Arpadi constituta auspiciis fuit, nihil eo Rege novatum; sed quaedam ex rationibus conditae Monarchiae addita, quae paucis percurrere lubet.

§ 161.

De obligatione militandi Praelatorum,

In disponendis Curiis Episcoporum et Praelatorum, providit, ut hi tam gentes, more Comitum Dominorumque aliorum, quam ad similitudinem Regiae, Comites Curiales, milites quippe haberent „qui si forte in regione suboriretur seditio, ad monasterii, armata manu accurrerent custodiam et Praelato regalem visitanti praesentiam certo numero praesto essent“. [1]) Hos a ministerialibus

[1]) Cod. Dipl. I. p. 296. Plura vide in praeclarissima Michaelis Horváth dissertatione, quam a magyar honn védelem történeti vázlata, inscripsit vol. VI. Annal. erud. Soc. Hung. editam p. 310 et seqq. tum ab alta eruditione, tum Attica quadam Styli hungarici insignem gratia.

cum equis, Jobbagionibus equitibus, Jobbagionibus Eclesiarum exercitualibus,[2]) seu pro recentiori loquendi usu gentibus distinguendos monui alibi, moneo iterum, clarissimo etiam Petri de Várda Archiepiscopi Colocensis viri ab eruditione quoque optime comparati hortatu, qu ita ad Báthorium a. **1491:**[3]) Scire autem potest Magnif Vestra Nobiles Eclesiae nostrae, qui Nobis e Eclesiae nostrae immediate subsunt, nunquam aliqu exercituatione, neque ulla servitute fuisse vel esse, praeterquam nobis et Eclesiae nostrae, in cujus terris resident, a principio obligatos, et hyeme hac una cum aliis gentibus nostris pro defensione partium exercitualiter manere ex nostra coactione oportuit, et hac aestate omnes illos per singula capita, penes Paulum de Kinis insurgere jusseramus; super reliquos vero, qui exercituation interesse noluerunt, nos quoque pecunias exercituales, secundum antiquum morem[4]) eorum, nobis debitas, exigi mandaveramus.

---

[2]) Hi sunt, ad quos verba referuntur Lad. IV. Udvarnicos in Szölös Eclesiae Varadiensi (V. v. 2. p. 333) donantis: ,,licitum sit Episcopo, ut ad quatuor aut quinque mansiones et non plures, s quos ex eisdem Udvarnicis viderit aptos ad hoc, habentes videlice arma et usum armorum et alias industrias, in Jobbagiones, qui cum Episcopo Varadiensi, prout est et fuerit pro tempore, in expedition regali exercituare debeant (deligere). Keresztury Hist. Ecl. Varad pag. 136.

[3]) Kat. Hist. Crit. T. XVII. p. 193 apud Vagner in serie literarum magni Praesulis hujus CXV.

[4]) Bene: secundum antiquum morem; ex literis enim hospitum de Egreg (V. v. p. 591) de a. 1279 constat: ,,hos si in regno generalem fieri exercitum contigit, per singulas mansiones jobagionibus (gentibus) Eclesiae euntibus ad exercitum 3. ponder solvenda habuisse. De literis Colomanni Episcopi Jaurinensis hu facientibus suo loco.

§ 162.

quam in medio Hungarorum nati qui sunt, per se etiam explere nunquam cunctabantur;

Etsi vero dubitari nequeat, prima Eclesiae Hungaricae aetate fuisse Praelatos, peregrino maxime ortos genere, qui ordini suo adsertam alibi [1]) vacationem militiae isthic quoque pertenderent, eaque Stephani concessu uterentur; lege tamen neque Stephanus, neque alter de stirpe virili Arpadum Rex quidquam sanxit hujusmodi. [2]) Praelatorum vero, qui non essent alienigenae, sed patriotae, [3]) numerus longe amplissimus ita a natura fuit instinctus, ut non tantum ad augendum solemnis Regum Comitatus splendorem, verum ad heroicam quoque gentis laudem ipsi coram pro virili conferre adlaborarent, nihilque per omne aevum intermedium haberent antiquius, quam ne veterascere ad propriam hanc Cleri Hungariae gloriam viderentur. Philippus sedis Romanae legatus, primus anno **1279** in Synodo Budensi edicto pro-

---

[1]) Capit. a. 769. cap. 1. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum vel in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illi tantum, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet solemnia adimplenda et sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est: unum vel duos Episcopos cum Capellanis, presbyteris cet. Vide et Meyerum de lege Ripu. et Long. factaque per has omni ord. ecl. lege Romana vivendi potestate T. I. p. 292, 293. Hac tamen Pontifices Germaniae non omnes, nec statim usos fuisse Muchar l. c. p. 230 testatur.

[2]) Immo vero Abbas S. Maurit. de Bél a. 1258 „populos de Sucztup in ordinem et numerum Nobilium refert ita, ut quandocumque eum vel ejus successores ad exercitum regalem ire, vel mittere opportuerit, unum cum equo et alio necessario (instructum) mittere cum Abbate vel homine suo teneantur.“ LL. EE. T. II. p. 393. Ladisl. IV. literas similes ad § 161. n. 2. dedimus.

[3]) Verba Legen. maj. S. Ger. apud C. I. Batthyán p. 328.

hibuit „ne Praelati aliique Clerici, cujuscunque sint Ordinis, dignitatis, aut status, bellicis se actibus implicarent neve in praesenti licet Eclesiarum aut patriae discrimine propriis in personis pugnarent.“ Sed vero deinceps quoque Majorum insistere moribus, quam discriminis plenum alieni arbitrii sequi Clerus Hungariae imperium maluit. Itaque factum, ut prius etiam, quam cum Joanne Vitézio Magno Varadiensi, mox Strigoniensi Antistite novum Hyerarchiae hungaricae exortum decus esset,[4] plures de Clero sanctissimam defendendae Patriae causam suo signarent sanguine; posterior vero aetas vitae ejus rationes pro perfectissima Civis et Sacerdotis norma imitaretur.[5]) Praelatos cum banderiis more antiquo pro defensione finium regni deputari; legem, qua cavetur, ne Praelati instar exercituantium procedentes damna infe

---

[4]) Vide Dipl. Mathiae de a. 1464 apud Batth. LL. EE. T. III p. 521 ex quo patet eum „quod bellicis expeditionibus pro defensione vel patriae vel fidei susceptis partim per se, partim per suo adfuerit“ a depositione juramenti ea absolutum lege fuisse, ut in omnibus causis adjudicatio juramenti, non in personam et nomen ejus, sed in personam et nomen Judicis Curiae ejus, aut alterius Officialis dirigatur; at licet Joannes solus pro decem personis nobilibus juraturus esset, dictus Judex vel Officialis non solus, sed more nobilium cum decem personis nobilibus se incluso jurare teneatur. Immunitatem hanc Joannes ad Strigoniensem sedem promotus huc attulit, ejusque itidem datum meritis est, ut illa perpetua Archiepiscopis Strigoniensibus in praesens quoque esset. Ibid. pag. 523.

[5]) De Abbate Cisterciensium de Pilis, qui Posonium audita adventus Tatarorum fama munivit, vide Timon Ep. chron. pag. 31 Quaedam societas nobilium de Austria intraverunt Hungariam fer mille armati et castrum, quod dicitur Raab, manu valida expugnaverunt; et in eadem urbe Episcopus de Quinqueeclesiis, qui fui Capitaneus ibidem, robustus et animosus, captus est, ait Chron. Austr. ad a. 1273. De Episcopo Trans. Arnolfo causa securitati confiniorum Hungariae Jaurinum transponendo vide lit. Belae IV de a. 1245.

rant, perferri aequo animo paterentur;[6]) omnesque ultro agnoscerent, sibi quoque, si per se militiae obire munus non possent, speciali, uti quibusque aliis secularis Ordinis viris, venia opus esse. [7]) Haec usque annum 1602 quo Praelatis et aliis nonnullis a militiae per se faciendae obligatione relevatis, praesens Cleri immunitas superiorum usu seculorum nititur.

---

[6]) De personali insurgendi obligatione Praelatorum vide art. 5, 1545. 8, 1597. 21, 1622. 46, § 6, 1681.

[7]) De venia hujusmodi Ladislao filio Danch Canonico Csanadiensi per Comitem Temesiensem data a. 1420 vide literas apud Batth. LL. EE.

§ 163.

officium defendendae Patriae sanctissimum rati.

Majorum parta virtutibus Stephanus aequo omnium defendi Marte, bello igitur, quod pro patriae gerendum salute esset, neminem quemquam liberorum deesse voluit. [1]) Atque hoc illud est, quod condidisse fertur, systema regni defensivum, ex quo Principem quacumque alia, quam vim vi depellendi causa, ad bellum accinctum Nobiles, nisi quibus hoc volentibus esset, sequi non tenebantur. Sapientissimae constitutionis hujus laudem ego ad Stephanum refero; partem consilii praecipuam Ordini Pontificum adjudico; nemini enim magis convenit in eo elaborasse, ut quidquid hanc in rem sciceretur, ad studium pacis, imitationemque legis esset adcomodatum, quae apud Babenbergensem, Coloniensemque Eclesias [2]) viguit, plurimumque habere aequitatis videbatur.

---

[1]) Providentiae lege hac vernacula ad ipsum etiam municipium Albense extensa.

[2]) Recollige justitiam ministerialium Babenbergensium, sec. XI. apud Ekkart. T. II. p. 102. Legem item, ministerialium b. Petri Coloniensium (Kindlinger vol. II. p. 68) hanc: „ut si aliquis hominum terram Coloniensem et terminos Episcopatus

invadere voluerit; universi ministeriales b. Petri tam beneficiati, quam non beneficiati ad defendendam terram Domino suo Archiepiscopo assistere, et usque ad terminos Episcopatus eum cum armis sequi debeant. Si autem Archiepiscopus ultra procedere voluerit, ipsum eum longius sequi non teneantur; nisi hoc, de voluntate sua faciant, aut Dominus eorum apud eos hoc promereatur."

§ 164.

Particularis, generalisque expeditionis bellicae specimina.

Stephanus, intellecto Bissenos animo hostili finibus regni adpropinquare, viaque recta contra Albam Gyulae tendere; Praefectum Ultra sylvanum, ut copias ad repellendam vim quam primum compararet, admonuit. Per has confectum bellum, particularis expeditionis ex lege in Zér condita praebet speciem; bellum aliud, uti constat, Conradus II. Imperator non minori impetu quam armorum apparatu intulit; Rex itaque (Hartvici verba sunt) „Consultum habens Episcoporum, et Principum ad tuendam patriam armatos totius Hungariae (attendi verba haec velim: Ultrasylvaniam quoque loco hoc; nam deinceps ceteras etiam regni partes significabunt aliquamdiu) contraxit" generalem scilicet expeditionem publico regni consilio decrevit. [1])

---

[1]) De hac vide Vipponem, Aloldum, et Chronicum Abb. Ursperg. ad a. 1025 Boczek item et Joannem Archid. de Gverese VII. v. 4. citatos.

§ 165.

Bellidux, Rege quoque d. Stephano, publico lectus Comitiatu.

Vis consuetudinis priscae, indicta generali expeditione, Belliducem publico legendi Comitiatu, Stephano quoque Rege et ejus exemplo per omne medium aevum duravit.

Ex his Csanádius primus,[1]) ultimus Tomorius memoriae proditus[2]) non peritia belli, non fortitudine dissimiles; at virtus militum, quae recens adhuc illam Csanádio contra Achtumum victoriam patravit, moribus et disciplina per inertiam Jagellonum debilitatis, et ipsa, ut videbimus, consenuit.

---

[1]) Apud Biographum S. Gerardi: d. Stephanus ,,eligite, ait ad Optimates, e vobis talem virum, qui sit Princeps noster in praelio" (contra Achtumum). ,,Rex et Regni Principes caeperunt arma parare, ordinare Duces super legionibus" Hist. Salon. c. 37.

[2]) Brodericus Cancell. Regis Lud. II. ad a. 1526 ,,Quum itaque Batham omnes convenissent, et tempus exigere videretur imperatorem aliquem exercitui praeficere; Rex animis ac sufragiis omnium a singulis secreto exploratis cet. eum totius exercitus Imperatorem declarat."

§ 166.

De baneriis generatim.

Vexillum, quod Simoni Kéza bannerium dicitur,[1]) jam apud Belae Regis Notarium cuique exercitui septem principalium personarum distinctum praeferri videas.[2]) Zászló illud Hungaris, ex quo Zászlós Úr et Zászló allya, quorum primum Baronem, alterum gentes ejus auctoratas vexillo (comites, exercituales, filios jobbagionum, familiares) significat.[3]) Quidquid in-

---

[1]) L. 1. c. 2. § 2. item § 6. Thuroczius II. c. 6. jam banderium scribit; vel sic tamen in lit. Lad. posth. de a. 1453 apud Spiesz ,,infinitis hostium captis banderiis, quae in Eclesia B. M. V. per futura secula pendebunt" pro vexillo summitur.

[2]) Cap. 40, 45. cet.

[3]) Illa Simonis de Kéza l. c. cap. 4. § 5. de Colomanni in Apuliam expeditione ,,Capitaneo Hungaro et Regis Hungariae Banerio ibidem cum Venetis derelictis" nomine Banerii copias indicant. Quo significatu vox haec in literis quoque Belae IV. pro

terim de vocabulo; institutum certe initiis Hungarorum coaevum est.

Krecz et aliis elargitis (C. D. IV. 2. p. 409, 522) saepius ocurrit. Et haec et illud Thomae Archi-Diaconi hist. Salon. c. 37. „venerunt et Praesules Hungariae, qui et ipsi prae divitiarum magnitudine, magnas militum acies ductitabant" et multa alia ignorare eos oportet, qui Banderia ante Regum de domo Andagavensi aetatem apud nos incognita existimant.

§ 167.

De bannerio Regis in specie.

Sub vexillo Regis munus militiae obibant, Viri genere ac opibus insignes, quorum plurimi suas ipsi gentes, nemo non plures milites, quibus comitaretur [1]) habuit; iidem ipsi, qui d. Stephano majores, valentiores, seniores, verbo Comites appellantur.

[1]) Quod Lud. Tubero (apud Schwandt. T. II. com. suorum l. IV. §. 11) de exercitu contra Albertum Polonum conscripto monet „neminem equitum in hoc exercitu fuisse tam tenuis fortunae, quem saltem tres Comites in equis non sint sequuti, et alios quindecim, et alios quidem viginti equites sunt comitati" verum est de omnibus iis, quos antiquissimae Regum literae (primaevo horum Comitatu ad huc integro) more nobilium ire in expeditionem innuunt.

§ 168.

De bannerio Comitis Castri

„Antiquitus (ipsum namque velim super argumento tam gravi, et nondum satis extricato Sigismundum Regem loquentem audias) consuetum fuit, ut omnes, praeter Dominos banderiatos (Comites s. Stephani) ad

exercitum ire debentes, proficiscerentur sub conductu proprii Comitis provincialis." [1]) Testimonium hoc Regio missum ore, non hactenus tantum, sed quod historiae rei militaris apud Hungaros ad amussim respondeat, locupletissimum est, ex quo primaeva bannerii Comitis Castri amplitudo elucet. Hoc ex instituto d. Stephani in plures divisum ordines. Primi: Jobbagiones de generatione, Liberi s. Regis, Altiores, proceresque Jobbagiones Castri, Királyfiak, milites, naturaliter servientes Regis, et quae alia equestris ordinis apud veteres sunt nomina, quorum ex posteris deinde, seculo tertio decimo, plures in Aulitum Regiorum, militumque familiae regiae sublimati, aut exstracti gradum sunt, solo tantum splendore nominis brevi, neque solidi etiam juris cujusquam accessione a Nobilibus his regni distinctum. Quod enim ad vexillum Regium: perpetua ea nullo non tempore omnium etiam reliquorum regni nobilium fuit praerogativa, ut domi quidem lustrae, pervisionisque causa, quo Comes vocaret, intra fines provinciae comparere; [2]) in generali tamen expeditione militiam facere (prorsus ex spiritu defensivi, quod ajunt, systematis d. Stephani) sub solius ductu Regis, nec cum alio, nisi, quo sponte vellent, Barone sub auspiciis Regiis tenerentur. [3])

---

[1]) Regest. Sigism. apud Kovachich Supl. ad vest. Com. T. I. p. 392.

[2]) Recollige num. reg. Varad. supra ad § 29 (1) citatum.

[3]) Hoc nempe significant verba Belae IV. (IV. v. 3. p. 262), ut (Bisseni de Padány) inter regni nostri Nobiles computentur et nobiscum et non cum aliquo exercituare teneantur. De praerogativa hac literae Mathaei Bani Slav. de a. 1270 ita habent: Item dum hostilis incursus vel exercitus venerit super regnum, aut Dominus Rex processerit in expeditionem personaliter; tunc Nobiles regni dicti Slavoniae singuli et universi ire ad exercitum tenebuntur, ita tamen, quod iidem cum Baronibus, quibuscum voluerint, exercituandi habebunt liberam facultatem. His praemissis clarius jam patet, quid verba significent Belae IV. in priv. hosp. de

Zólom a. 1254 (Kat. H. Cr. T. VI. p. 213) „ut quandocunque exercitum habuerimus generalem, sub nostro vexillo tantummodo militare teneantur, cum Comite de Zolom in nostro ordine descendentes.“

§ 169.

in varios diviso

Alterum bannerii hujus ordinem, atque hunc quidem proprium jam Comitis Castri militem (Jobbagiones seu Servientes Castri) manebat munus id, ut ab imperio Comitis Castri penderet totus, Regemque etiam ultra fines regni una cum Comite suo, neque illum modo, sed Baronem quoque, cui vicem suam Rex delegasset, sequeretur. [1])

[1]) Art. 7, 1222. § 2. clarius § 2. art. 15, 1231.

§ 170.

ordines.

Agmen reliquum Castrenses, quorum in bello partes superius descripsimus.

§ 171.

De exercitualibus Regis et Reginae [1])

Gentes fuerunt utriusque, per quas Udvarnoki eorum, impositam sibi muneris militandi partem, quo Rex jussit, loco duceque obiverunt.

[1]) De his Elis. Regina senior a. 1282 „quamdam terram nostram exercitualium, Vinár, ubi pauci exercituales populi residebant. Elis. jun. 1284 „terram nostram Epel, super qua exercituales populi reginales residebant.“ Fenenna a. 1291 „quamdam villam nostram Mocha, quam populi nostri exercituales et Bucharii inhabitare consveverunt.“

§ 172.

De judicio seu birsagio exercitus et pecunia exercituali.

Verba legis Andreae II. „si Rex extra regnum exercitum ducere voluerit, Servientes (nullo Regis Regnique Servientium discrimine) cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia“; satis per se luculenta sunt. Sed quod his subjicitur „et post reversionem judicium exercitus super eos non recipiat“ industriam Commentatorum diu fatigat. Cessari jam a labore hoc licet; consulto namque capitulari Caroli M. verba haec sua sponte in eam sententiam fluunt: Servientes Regem, si exercitum extra regnum ducere velit, sequi, nisi pro stipendio non teneri, nec idcirco mulcta (birsagio) per Regem adfici posse. Quod ne speciosius, quam verius dictum putes, verba recordare art. 22. 1298. „Item statuimus, quod si duo fuerint fratres aut plures, unus illorum ad exercitum Domini Regis venire teneatur. Qui si venire obmiserit, non ad plura judicia seu gravamina exercitus (Hadbirság) praeter ad unum simul omnes teneantur.“ Habesque et locum illum legis Andreae II. per aliam Andreae III. legem explicatum, et ipsas utriusque origines clarissimas. [1]) Pecuniae, quae in legibus, diplomatibusque nostris exercituales, [2]) Francis conjectus vocabantur. [3])

---

[1]) Confer etiam priv. Nob. campi Turopolya de a. 1279, quo ratione judiciorum exercitus agravari vetantur.

[2]) Recole Petri de Várda Archiep. Col. lit. cit. superius, item lit. a. 1250 (IV. 2. p. 71.) „Ipsa domina in ipsa possessione mariti sui, percipiendo ipsius possessionis fructus, et utilitates debet et potest residere; praeter exactionem, quae fieret ratione exercitus, qui cedit in usum exercituantium“ citata porro ad § 101. num. 1. literarum de a. 1292 verba „qui aut filii si paupertate praepediti exercituare non possent, Dominis eorum unciam dare pro expensa teneantur.“ Huc facit etiam art. 27. a. 1526.

[3]) Cap. 2. Capit. a. 807 „conjectati solidi quinque, quos pauperiores communi sumtu militem unum statuentes dependerunt.

Exemplum Conjectus hujusmodi apud Hungaros etiam C. D. IX. v. 1. p. 139 occurrit.

§ 173.

Loci apud Ottonem Frisingensem

Otto Frisingensis scriptor sec. XII. de exercitu Hungarorum „Coloni, ait, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam septem octavum, vel infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessario instruunt, ceteris pro cultura terrae domi relictis.“ Institutum hoc singulare videtur auctori, summo Ducum Austriae genere nato, literisque haud mediocriter perculto. Tam nulla constitutionum Capitularium Caroli M., quem d. Rex hac parte consectatus est, jam sec. XII. apud Germanos supererat[1]) memoria. Multo aliter res apud Hungaros habuit. His Caroli nomen jam ab artibus belli honoratissimum; in imitanda igitur quaeque instituta ejus militaria hoc alacrioribus animis ferebantur, quod illum vicissim de virtute hunnica praeclarissime existimasse, cum aliis indiciis, tum vero certa literarum ejus fide acceperant, datarum ad Offam secundum Merciorum apud Anglos Regem, cui dum maximi munera pretii mittere vellet, baltheum et gladium hunniscum et pallia misit. [2])

---

[1]) Capit. de a. 807 c. 2. „Quicunque liber mansos quinque de proprietate habere videtur, in hostem veniat.“ Cap. 6. „Reliqui vero pauperiores sex septimum praeparare faciant, et sic ad condictum placitum bene praeparati hostiliter veniant.“ Vide etiam caput 1. Capit. primi de a. 812. Hi usu Diplomatum seculi XIII. Jobbagiones, Jobbagiones Castri, filii Jobbagionum Castri, Udvarnokorum cet. vocantur; quo cognito; de sensu verborum „non sub certo numero, sed eo modo, sicut servientes Regales per se et personaliter armati nobiscum exercituare teneantur“ non me oportet disserere.

[2]) Apud Matthaeum Vestmonast. ad a. 775. Vide ibidem Carmina quoque, quibus regia dona haec celebrantur. Cf. etiam Sim. Dunelm. ad a. 795 de palliis holosericis Varchunorum.

§ 174.

de re militari

In ipsa (ita Otto c. o. l. I. c. 31. continuat) Regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, et qui apud eos Principes (Fő emberek) dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes poene tetri tetris in armis procedunt, nisi quod jam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti quamdam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, Principes tantum et hospites nostros in pugnandi peritia, armorumque splendore imitantur.[1]) Primum horum de Comitibus Principis ambientibus latus: consuetudinem testatur gentis ab Atilanis deductam temporibus; posterius nonnihil ab ira habet, estque ita corruptum, ut hoc Otto ne popularibus quidem suis persuaserit. Ex quibus Horneckius Hungaros in societate Germanorum cum Ottocaro (a. 1278) depraeliantes, utraque illa gloria Francorum simillimos dixit.[2])

---

[1]) Ex lit. Mart. Vice Jud. Curiae Regiae (VI. 2. p. 15) intelligas: medietatem amplissimae dinastiae Vöröskőensis pro comparanda, quali Barones regni utebantur, lorica vendi oportuisse.

[2]) Von Ungern ich nie gehört
Weder vor, noch seid
Die je chomen in Streit
So menoleich wern gewesen cet
Sy druckten hin herwieder
In dem Streit hertichleich
Als sy daz Frankchreich
Hieten vechten gelernt; apud Sig. Cales Ann. Austr. scriptorem elegantem eum, et aequissimum P. II. p. 557.

§ 175.

Hungarorum.

Quisquis tamen Ottonis Frisingensis in Hungaros animus fuerit, de historia quidem rei horum militaris bene is alio item meruit loco. De ordine aciei Atilae Jornandem; de simili Arpadi lege, ex qua primi impetum hostis Bisseni Siculique excipiendum habebant, inter plurimos alios testem apellavimus Chronographum Thuroczii. Nunc his Ottonem jungimus; tam rite conveniunt quae de acie Hungarorum, dum hi praelio ad Lajtam (a. 1146) cum Henrico Austrio colliderentur, positisque in capite aciei hujus duabus alis, quae vim hostium eminus depellerent, tradit. Is auctor maximum hunc Geyzae II-exercitum [1]) septuaginta millia pugnatorum vel amplius habuisse dicit, [2]) apte itidem; quod namque de Lacedemoniis accepimus: [3]) „ignoratum horum numerum fuisse propter institutum illius Civitatis, quae res suas occultabat“ non de his magis, quam Hungaris veteribus suapte quoque natura tacitis tenet. Qui cum in Conventibus publicis plurimum de bellicis viribus suis agerent, nihil curabant impensius, quam ne summa harum seu per tabulas legum, seu quoque alio modo efferatur foras. Avitae hujus sollicitudinis forma in verbis conceptis solennis legum sanctionis regiae „inter ceteros tractatus“ etiamnum manet; nam de averso a censibus, calculisque politicis animo, quem etsi nulla subsit causa, tamen nescio qua timida verecundia nunc quoque retinemus, non attinet verba plura facere.

---

1) Cap. 30.

2) Cap. 32.

3) Thucid. l. V.

§ 176.

Onus expeditionis bellicae ad quindenam restrictum.

Bella aevo medio impetu magis, quam perseverantia gesta, tempusque militiae in castris obeundae spatio brevi, et lege quidem Caroli M. apud Gallos, Wilhelmi Conquestoris apud Anglos quadraginta definitum diebus erat. [1]) Quod cum Hallerus Sismondium secutus apud nos ad trimestre protendit, non ille quidem tota re, sed temporibus errat. Liquet enim ex Regesto Sigismundi, communi adhuc ejus aetatis hominum sententia: Nobiles ferre onus exercitus ultra dies 15. non debuisse. [2]) Etsi vero decreto Regis hujus quinto sapienter cautum, lex namque Andreae III. instaurata „ne quis ante debitam et finalem expeditionem belli sine licentia recedere ausit;" anno tamen 1485 constitutum itidem est: exercitum generalem non ultra confinia et metas regni exercitualiter proficisci debere, ubi si inimici defuerint, solum per 15 dierum spatium et non amplius in exercitu tali moram faciendam esse; antiqua consuetudine regni requirente. Lex itaque a. 1463 „ut exercitus (tunc conscriptus) duret infra tres menses" non antiqua regula, ut auctoribus illis videbatur, sed exceptio est, conditis deinde in sensum hunc pluribus legibus ad regulae vim elevata. [3])

---

[1]) Haller Restaur. der Staatsw. T. II. p. 77.

[2]) Vide inprimis Regest. Sigism. R. Jam Bela IV. in lit. pro Ingersics et aliis „cum tribus equitibus pharetratis in propriis sumtibus, ad 15 dies, sub banderium Regium comparere parati sint; evolutis illis in usuali stipendiali salario et sumtibus Regum, quo jussi fuerint, famulare teneantur." Huc faciunt illa Verantii „objectabant jus veteris libertatis, qua non ultra quindecim dies in bello esse tenerentur" apud Katona Hist. Crit. T. XXI. p. 1096.

[3]) Apud Siculos interim, si contra occidentales movendum hostes fuit, vetus consuetudo mansit, ut non ultra quintum decimum diem sequantur castra, ita Ant. Verant. inter Script. min. Kovach. p. 108.

De reditibus aerarii publici.

§ 177.

Ordinarii hi et extraordinarii erant.

Divus Stephanus populos Eclesiae Pécsvaradiensis „a gravaminibus per collectores tam victualium, quam denariorum, seu quarumlibet aliarum exactionum, tam in praesenti, quam in futuro Camerae et Fisco regali exigendarum" penitus exemit. Similem Andreas II. populis monasterii de juxta Gron immunitatem „omnium proventuum, et commoditatum, quae ad regiam jurisdictionem pertinent, tam in tributis et descensibus, quam in liberis denariis et ponderibus, seu aliis quibuscunque debitis, quae in regno solent, et possent emergere" concessit. In quolibet anno, ait Bela IV. in privilegio hospitibus de Luprecht dato „nihil magis solvere teneantur, nisi in festo s. Michaelis, de qualibet porta [1]) duo pondera, et cum collecta Regis per totum regnum exigitur, ipsi partem collectae dictae solvere teneantur" Ejusdem verba Regis sunt in Priv. Eclesiae Strigoniensis de a. **1263** „nullam collectam, nullum censum Fisco Regia aplicandum possunt dicare [2]) et exigere, vel lucrum Camerae, quod super populos omnium regnicolarum quan-

---

[1]) Pro ostio, exactione ostiorum apud Romanos, fundoque in Hungaria sec. XIII. porta scribi caepit. In Verőcze (ita lit. a. 1234) de qualibet villae porta quatuor pondera; in Beregszasz de qualibet porta duo pondera; in Civitate Crisiensi (a. 1252) a qualibet porta 40. den. Si rusticus (a. 1271) solus servat unam Curiam integram seu portam, et caret tritico, dicabitur pro duabus capetiis.

[2]) Dicare, usu Diplomatum idem, quod connumerare; derivatur a dica (portione irrogati debiti censusque) cujus jam in priv. Sax. Transyl. de a. 1224 mentio „nunciis vero, quos Rex ad dicam colligendam statuerit."

docunque dicare et exigere consueverunt". [3]) Quorsum tandem haec ab aetate d. Stephani tam dissita? ut uno in conspectu videas a primis conditae Monarchiae hungaricae initiis, reditus aerarii publici (Regis enim et Regni aerarium sumtusque, nondum strictim discernebantur) alios ordinarios, extraordinarios alios fuisse.

[3]) Ladisl. IV. a. 1285 hoc Eclesiae Strig. privil. his confirmat verbis ,,praesentibus declaramus, ut universi populi cujuscunque conditionis, hospites, liberi vel conditionales ipsius Ecl. Strig. ab omni omnino collecta regali tam denariorum, quam victualium, quacunque causa, in regno nostro generaliter vel particulariter indicenda liberi sint. Plura de ,,Collecta, quae in regno fieri continget" V. v. 1. p. 9. de ,,exationibus, quas indici contigerit" V. v. 1. p. 150 et alibi.

I. De ordinariis aerarii reditibus.

§ 178.

literae Belae III. exstant.

Antiquissimos ordinariorum redituum regiorum fontes Bela III. literis a. 1184 [1]) per summa quidem capita, sed, quae ejus in d. Stephanum erat pietas, et instituta illius servandi religio, fide integra dinumerat. Erant vero

[1]) Cod. Dipl. III. p. 217.

§ 179.

1. Proventus rei monetariae.

Cujus nomine et fodinae metallorum et jus feriundi e pro more alibi quoque gentium recepto cum lucro Camerae, ope numulariorum, in cursum ponendi signati aeris intelligitur. ,,Nullus in tam spatioso, ait Otto Frisingen-

sis, [1]) ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium h bere audet." Quod quidem ratione monetae de privat verum est. Duces, quibus pars regni tertia obvenit, j ris hujus expertes non fuisse specimina testantur numm rum, qui Belae Geyzaeque Ducum nomina referunt. Qu de fratribus Regum statui pro certo, non tamen de fili etiam Regum potest, qui uti partem Regni, ita jus quoq feriundae monetae, superstite Patre, sola voluntate huj pactoque per hanc praefinito adepti sunt. Apud Fra cos lege Carolus calvus constituit „ut in denariis mon tae suae ex una parte nomen suum habeatur in gyru ex altera nomen Civitatis et in medio crux." Haec nu morum quoque d. Stephani facies; non itaque dubium es quod pridem antehac celeberrimus Cornidesius advertit, l gem eam Francorum, Hungaros quoque adoptasse. [2]) C tera de nummis d. Stephani Luczenbacherus noster di seruit eruditissime. [3]) Quocum plane certum habeo a tiquissimas domos cudendae monetae Strigonii et Bud exstitisse, et secundum ea, quae de Strigonio primae Hungariae metropoli suo doco dixi, [4]) Civitatem regale nummis illis inscriptam ad hanc pertinere metropoli Est praeterea et hoc simillimum veri, jam d. Stephanu constituisse „ut ferramenta cudentia et sculpta non ali servari debeant, quam sub hominis custodia, ad hanc p Archiepiscopum Strigoniensem deputati; et de qualib marca in Camera, ubi denarii cuduntur, unum po dus (pisetum ab italico peso) argenti fini eidem Arc episcopo persolvatur." Enim vero et Stephani in Ec siam hanc liberalitati congruit, et sensui cohaeret lit rarum, quas Bela IV. de instauratis Eclesiae illius j ribus edidit. [5]) Sed hoc, addicta item ei per Andream I decima monetae ad historiam rerum gestarum pertine

[1]) De gestis Fried. I. c. 31.

[2]) In Genealog. Regum Hung. sec. XI. p. 200.

[3]) Magyar ország ekkorig ismeretes pénzei. Budán 1841.

[4]) Lib. II. § 70.

[5]) De anno 1256 in Cod. Dip. IV. 2. p. 384

usu namque posteri temporis, et lege scripta [6]) privilegium piseti ad solam Cremnicziensem reductum Cameram; Decimae vero illius conditio ab origine fluxa evalescere non potuit. Sed quid de nummis minime homo numosus plura? finem igitur disserendi faciam, si pauca quaedam adjecero. Literae Belae IV. prostant, quibus super infide- itate, et de Crimine laesae Majestatis et super fabricatione alsae monetae notatum, praesentibus Baronibus et militibus, nudum judicavit ad duellum, testatus disserte: ex antiqua hoc regni factum consuetudine. [7]) Prostant aliae, quae reum Criminis fabricationis falsae monetae convictum bonis mulctatum omnibus, haecque, secundum regni consuetudinem, ad Judicem per Regem delegatum et n partem eorum, qui de Crimine patrato indicarunt, devoluta perhibent.[8]) Thesauri reperti indicium jam ab antiquo profitendum fuisse, ex Regesto Varadiensi notum est. [9])

---

[6]) Art. 40, 1298.

[7]) C. D. V. p. 431.

[8]) VI. p. 171.

[9]) Num. 348. ,,traxit in Causam quosdam dicens, quod fures essent Regis, eo, quod thesaurum inventum, cum deberent, Regi non indicassent."

§ 180.

2. Proventus Salis.

Rem monetariam Salis excipiunt proventus, quorum artem salicidia, akna in vernaculo, [1]) partem vectialia salis,[2]) reliquum repositoria et quaestus ad exteros

---

[1]) In lit. And. II. pro FF. teutonicis ,,possunt Naves habere eras per totum regnum sales devehentes, et salis fodinas, quae na vocantur."

[2]) De vectigalibus his vide Priv. monast. de juxta Gron 1075.

soli servatus Regi,[3]) suppeditarant. Intra fines enim regı comercium salis paene liberum privilegiorum frequenti: Praelatis speciatim, Baronibusque ac illis quidem in dc tem Eclesiae,[4]) his in partem honorarii [5]) major, quam pr necessitate admensa per Reges fuit salis copia, ut quod a ea superesset, vendi libere et in praesentem redigi pecı niam posset.

---

[3]) In lit. de a. 1217. Domui hospit. s. Joann. de Hiero ,,sales suos ubique, exceptis confiniis, vendendi habeant faculta tem'' Kat. Hist. Crit. T. V. p. 280. LL. EE. T. II. p. 308.

[4]) Jam d. Steph. monasterio Pécsvarad. (I. p. 300) salic dium omni inquietudine liberum contulit. Carolus Rob. in lit. (a. 1326 decimam salis ex fodina Tordensi jam donatione s. R gum Episcopo Transylv. atributam perhibet apud Szereday Se Epis. 73. Andreas II. in literis super juramento, quod a. 122 (Suplem. ad vest. Com. T. I. p. 15). Legato Pontif. nuncupavi eidem Episcopo duo millia Zuanorum (Centenarios notat) quotaı nis danda vovit; similem ceterarum Eclesiarum dotem vide inil

[5]) A sale salarium Plin. l. 31. c. 7. derivat; apud nos sal ipsa pars erat stipendii Baronum regni. Vide Regestum Sigism. R gis apud Kovachichium et Notit. praevias ad Hist. Regum Hun Prayi pag. c.

§ 181.

3. Reditus Castrorum Regiorum;

Amplissima vero Copia rerum omnium ex Castr Regiis adfluxit, in quae universa descripta fuit Hungari In his plena ubique Kollárius horrea, plenas cellas v narias, greges, armenta, et jumenta innumerabilia vid ac recte videt; ita enim res per omnem Hungariam h bebant prospere, usque dum ad filios Belae III. ac pra sertim Andream II. ventum est. Regias opes has, qu rum pars ex castri et hominibus et rebus, pars haud pau major, ex possessionibus, praediisque regalibus intra fin ejus sitis, per singulos annos exuberebant, Scriptore

nullo fontium discrimine, Castrorum Regiorum appellant proventus. His ego, dum hunc Sectioni praesenti inscriberem titulum, satisfecisse me credo; jam quid sensus art. **29**, **1222** et **34**, **1231** exigat, videndum est.

§ 182.

hi vařii erant generis:

Redituum horum alii erant, quorum pars tertia Comiti Castri lege obvenit; [1]) alii, quos citra specialem Regis indultum jure non participabant; injuriam enim non abfuisse ex lege intelligi par est, quae (art. **29**. **1222**) „Comites, ait, jure Comitatus sui tantum fruantur; cetera ad Regem pertinentia, scilicet: cibriones, tributa, boves, et duas partes castrorum Rex obtineat.“

[1]) Colom. l. I. c. 78.

a) Proventus, quorum pars tertia Comiti cessit.

In his computandis semper primo loco debitum, census, pensio Castrensium numerabatur. Marcae erant, tres passim, usque octo, quae per hos pro amplitudine et utilitate dispari fundorum suorum Centurioni quotannis repraesentari debebant.[1]) Liberi deinde denarii, etiam libertini denarii, vulgo füstpénz (fumarii) dicti. [2]) Hi per hospites, advenas, in quorumcunque degerent fundis, Regi velut Patrono, summoque libertatis eorum defensori contribuebantur. Vicesima item Decimarum, lege s. La-

[1]) Colom. l. I. cap. 79. et Regest. Varad. locis plurimis, quorum aliquos ad § 91. 2. b. n.; 1. dedimus.

[2]) In lit. s. Steph. Ecl. Pécsvarad. datis „insuper et liberorum denariorum tertiam partem, qui ab advenis in terra Eclesiae habitantibus debentur.“ Qui idcirco etiam debitores libertinorum denariorum in Reg. Varad. scribuntur. In priv. Belae IV. Abbatiae s.

dislai explicita; [3]) Decima porcorum, qui in Castrorum sylvis pascebantur, per omnes, quicunque hujus partem habuissent beneficii, proinde Nobiles etiam, nisi speciale de immunitate hac privilegium nacti essent, depensa. [4]) Pecora vaga; [5]) Quinquagesimae, ovium aliarumque rerum (ut diplomata loquuntur) minutarum, per Valachos praestitae; [6]) omnes denique praediorum, et omnium (ne longi simus) adnexorum his Jurium Regalium minorum: fori, macelli, Oenopolii cet. fructus. In numero proventuum horum in quibusdam Hungariae, plurimis Transylvaniae partibus (nam de Slavonia post videbimus) Martures quoque et varii pelles generis computabantur. Atque hi praecipui rami proventuum Castrensium erant, inter Reges, Comitesque Castri sic divisorum, ut duae tertiae illis, una his praeter ceteros, de quibus sparsim diximus, proprios muneris reditus, jure Comitatus obveniret, quod iis Andreas II. salvum, sed sua item jura integra legibus superius citatis voluit. Harum sensu erant

---

Crucis in Austria collato „liberos denarios, qui vulgo fumarii dicuntur."

[3]) Voces § 2. cap. 52. l. II. s. Steph. „decimationem Episcopo separatam" § 1. cap. 40. l. I. Decr. s. Lad. et Privilegium, quod Colomannus a. 1111 (apud Lucium l. III. cap. 4) Clero Dalmatiae dedit, interpretantur clarissime. Ex decima Episcoporum vicesima Regibus, Pristaldis autem Regis et Episcopi octuagesima, Curiali Comiti Episcopi quadragesima obvenit. De vicesima hac videsis art. 29. 1231 literasque C. D. V. 2. p. 399 et alibi productas, quarum testimonio de hac Reges disponebant.

[4]) Tributi porcorum jam d. Steph. in Priv. Ecl. Pécsvarad. meminit. De Communibus Castrorum sylvis, harumque proventu hoc vide literas Ladisl. IV. (Cod. Dipl. V. v. 3. p. 406). Partem Decimae porcorum hujusmodi ad Palatinum, partem ad Comitem Castri pertinuisse ex Dipl. Belae IV. (C. D. IV. v. 1. p. 105) verbisque patet: „item concessimus, quod nullus audeat recipere tributum seu decimas porcorum regni Palatino et Comitibus castrorum debitam, a praedicta domo (Crucif. de Alba) sive Jobbagionibus ejusdem, et nihilominus porci dictae domus possint intrare

et pasci in sylvis Castrorum, ubi alii porci de provincia pro tributo intrare permittuntur."

[5]) Ex lege Hungarorum citata alias.

[6]) Vox Quinquagesimarum primum, quod sciam, in art. 3. 1444 occurrit; est tamen usus ejus, reique, quam significat, multo antiquior, teste Dipl. Lud. de a. 1359 (IX. v. 3. p. 159) Festa Pentecostes Quinquagesimae ferias dixerunt veteres. Quod si, ut veri est simillimum, portio illa rerum, aut census is ad dies has debebatur; quantum quidem ad nominis rationem: haec sic satis in promtu esset.

b) alii intra fines territorii Castrorum proventus, quos Comes Castri, vi muneris, non participabat.

Tributa, speciatim, quae ab Udvarnicis, Servisqueregiis et reginalibus ter in anno: in nativitate Domini, paschate, et ab apotheosi Stephani ad festum ejus colligebantur, in vernaculo Úrpénz. [1]) Horum nomine pondera quoque intelligebantur per Udvarnicos terragii depensa titulo, et quod praeterea mutatio monetae reddebat lucrum. Cibriones item a Csöbör vernaculo [2]) seu cubuli, magni cubuli vini, vulgo Akó (urna), a vineis regiis ad paenarias Regum cellas conferendi qui fuerant, et denique boves, de quibus inferius. Ex his, ceterisque Possessionum regalium (nostrarum ait Andreas II.) nulla Comitibus Castri ordinarie portio obvenit. Quod tamen Simon de Kéza testatur: Colomannum Palatino regni suos ad usum Udvarnicos concessisse: [3]) hoc non de eo tantum Rege nec ejus temporis Palatino solum, sed sequentibus quoque Regibus, nec Palatinis

---

[1]) Vide Donat. Andr. II. de a. 1212. FF. s. sepulchri factam; alias item literas ejus de a. 1214, quibus testamentum Boleslai Vaczien. Episc. confirmat. De vernaculo Úrpénz IV. 2. p. 383.

[2]) Lit. de a. 1270 „a solutione tributi de vineis, quod Kors Cheber vocatur."

[3]) App. C. II. § 2.

modo, sed Comitibus quoque Castri nonnullis verum est, quorum commoditati, prosperitatique vitae facilitas Regum nunquam defuit. [4])

[4]) Ex literis haec Andreae II. colligas, quibus Comiti Sopron. castri mandat, ut de vineis FF. de monte s. Mariae Cybriones non recipiat ,,possessio quippe libera est, et possessor ejusdem praedii Comes videlicet Dionisius, qui eam terram Eclesiae et FF. illis tradidit, hactenus non persolvit.“ Idem alibi ,,dedimus igitur illis libertinos denarios, qui vulgo fumarii vocantur, et pondera, et omnes Cybriones ab omni populo eorum, cujuscunque conditionis; ad nullum enim pertinent, nec ad Palatinum, nec ad Comitem de Suprun, nisi ad nos, cum possessiones eorum (Hevenesi: et praedia) libera semper fuerint.“ Conf. lit. Belae IV. de Nyúlensibus.

§ 183.

4. Proventus de pedagiis et passagiis et mercatis seu foris.

Hos omnes Regis esse testatur Bela III.; haberi certe sine privilegio per privatos nequibant; quo de portu Obada, et telonio fori Moniales de valle Veszpremiensi jam per d. Stephanum donatae sunt. Idem in Pécsvarad forum bis in hebdomada stare voluit. Hujus proventum generis Andreas I. in lit. Monast. Tihany. mercati tributum vocat, ex rebus ipsis desumtum olim, deinde ad aes paratum reductum.

§ 184.

5. Proventus tricesimae

,,Et praeter haec tricesima“ addit Bela IV. Quae ejus verba apponimus, ut distinctum hunc jam aetate ejus redituum aerarii fuisse ramum agnoscas. [1])

[1]) Rex Ungariae ait Greg. IX. PP. in lit. a. 1235, pro dote — filiae — quosdam reditus, qui tricesima vulgariter appellantur, obligavit. III. 2. p. 448. Occurrit etiam in priv. Belae IV. Pestho majori et minori collato IV. 1. p. 326, et alio IV. 3. p. 396.

§ 185.

6. Strenarum annuarum.

Dona [1]) erant, quae Bela III. sibi, Reginae, filiisque magna in argento, pannis, sericis, equuis annue repraesentata testatur. Horum memoriam Sigismundi Decreti II. art. 13. et 23. anni 1514 retinet.

---

[1]) Ad haec spectant illa formulae comitivae portus urbis Romae apud Cassiodor. l. VII. „Unus quisque per solemnitatem commonitus, offerat voluntarium munus; xenia enim sunt ista, non debitum.“ Item Lud. I. literarum Nagy Bányensibus datarum verba haec: „annis singulis pro earum collecta annuali et pro lucro camerae nostrae et strenis“ cet.

§ 186.

7. Jus descensus Regum

Populus terrae, ait denique Bela III., victum Regi facit plenarium. Jus hoc descensus nobis, aliis apud Du Cangeium metatus, vel metatum, quo Carolum Magnum, sine ordinum discrimine usum quidam auctores prodiderunt.[1]) Apud Hungaros gentem natura hospitalem praeclara indoles haec pro lege fuit; cogi tamen extrinsecus qui de ordine equestri fuerant, nil hujusmodi quidquam jure potuerant ipsi; immunitatem enim hanc non ad eorum etiam extensam populos, proba itaque esse, et quae per Belam in literis his et quae per Verbőczium in Jure consuetudinario Hungariae adferuntur,[2]) illico videbimus.

---

[1]) Batthiány LL. EE. T. I. p. 488 et sequ. Jure hoc usi sunt Praelati quoque Dioecesin suam visitantes, abusique. Per Synodum itaque Budensem c. XIV. commonentur „se et suos familiares ut a superfluis et illicitis coerceant.“

[2]) P. II. tit. 14. § 11.

II. De reditibus aerari publici extraordinariis.

§ 187.

Nomen collectae notionem quoque subsidii, ut hodie loquimur, continet.

Collecta stylo aevi medii multifariam, et pro ordinaria enim tributi specie, et pro ope accipiebatur, quae exigi per Reges, nisi ex decreto publici regni Consilii, jure non poterant. [1]) Posteriori significatu hoc cum talia, [2]) lucro Camerae latissime accepto, [3]) vectigalibus

---

[1]) Conf. lit. Gregorii IX. PP. ad And. II. Katona H. C. T. V. p. 737.

[2]) In lit. Belae III. b. Petro Quinqueecl. datis ,,Collectam vel talliam (a gallico tailla) in regno nostro pro tempore emergentem, nec nobis, nec nostris Baronibus solvere teneantur.“ In lit. Belae IV. ,,in homines Eclesiae talliis, collectis et aliis exactionibus saeviit.“ Idem alibi (IV. 3. p. 333) ,,nullius exactionis, talliae seu collectae“ cet. Confer, quae Spelmannus de tallagio et tallia eruditissime, apteque ad rem etiam nostram disserit.

[3]) Andreas II., verba concepta Juramenti de immunitate Cleri a. 1233 quod nuncupaverat, sequentia ,,nullas collectas, et nullum lucrum imponemus, vel recipiemus a clericis“ interpretatur ipse (Suplem. ad vest. Com. T. I. p. 16, 27) hunc in sensum: ne exactiones aliquae vel collectae quacunque occasione iis imponantur. Tam late patet vocabulum lucri Camerae in altero quoque ejus privilegio de a. 1234 (VII. 5. p. 245) ab omni penitus solutione collectae, quae lucrum Camerae vel monetae dicitur. Idem in priv. Saxon. Transyl. nomen lucri Camerae etiam pro censu accipit. In priv. Eccles. Strig. superius citato lucrum Camerae ,,quod quandocunque super populos omnium regnicolarum dicaretur“ diserte subsidium significat.

publicis [4]) donatione (ajándék, munere honorario) synonima, [5]) hoc apud veteres Hungaros denotabat, quod proxime ante tempora Matthiae Corvini usurpari caeptum taxae, huicque subrogatum eo auctore subsidii vocabulum. Subsidia igitur seculo Mathiae invaluisse de voce omnino tenet; de re non item; aliis enim involuta nominibus praestabantur jam principio conditi regni, quoties communi Regis, Regnique Consilio cognita justa causa inciderat. Aetas tamen Majorum ex connata genti, et quasi per manus tradita hac sollicitudine, ut ne munera hujusmodi in debitionis vertantur speciem, extraordinarias collectas posteris mille celandas ignorandasque artibus duxit; usque dum hi accepta ab iis sollicitudine hac, aevo Matthiae I. Regis per aliam, multo majorem sollicitudinem victa, subsidia legum inferre tabulis satius censuissent. De re gesta plura olim; nunc de collectis.

---

[4]) In lit. And. II. Hosp. s. Joann. Hyer. a. 1217 datis (Kat. H. Cr. T. IV. p. 287) „saepe dictae domus homines nec liberos denarios, vel pondera, nec descensum, nec aliam publicorum vectigalium exactionem, quae aliquo casu vel occasione in regno nostro possent emergi, persolvere teneantur."

[5]) Idem in lit. Ecl. s. Crucis in Aust. datis (itidem apud Kat. T. V. p. 241) quod praedicta Curia ipsorum Legintov ab omni donatione, Collecta, Steura, Contributione, solutione, exactione seu dicatione qualibet, nostro regio nomine exigenda, liberae sint penitus et exemtae nec lucrum Camerae nostrae, sive exactoribus Camerae nostrae solvere tenebuntur. Philippi ad haec sedis Romanae, aetate Lad. IV. legati Canonum Budensium caput adde 59, quo Eclesias et Eclesiasticas personas ab omnibus angariis, exactionibus et Collectis et aliis superinductionibus, oneribus, et muneribus sordidis (!) laicorum liberos decernit. De Steura, Stura seu petitionibus (Geldgeschenke) apud Germanos vide Hűllmann c. o. p. 653.

§ 188.

Op. trip. P. II. tit. 14. § 11. explicatur

Itaque nimirum, quod Verbőczius operis sui P. II. tit. 14. § 11. scribit: „jam aetate d. Stephani Nobiles plures, Collectarum, ex parte Colonorum suorum solutione obnoxios fuisse Regi" in re ipsa verum; Collecta enim vocabatur, quidquid Regibus descensus titulo praestitum fuit. Huic non tantum Nobiles, sed ipsos adeo populos horum lege Andreae II. exemtos esse pariter clarum; Collectam tamen ea etiam parte, qua donationem (ajándék, munus honorarium, subsidium) significat, per legem eam Andreae desiisse, nec Verbőczius asserit, nec statui contra fidem diplomatum potest.

§ 189.

Nobilibus regni immunitate Collectarum

Rebus ad gradum hunc adductis, reliquum negotium omne jam succedit sub manus. [1]) Comites et liberi seu milites d. Stephani, ab omni Collecta regali pro tributo sumta immunes, Collectam quoque extraordinariam non ipsi, verum coloni eorum praestabant; Ser-

---

[1]) Ad leges alibi citatas adde, quod in Regesto de Thurocz provocatur, Belae IV. de a. 1250 privilegium Joanni filio Namzel concessum „ut quaecunque regalis collecta in regno suo emanaret, sicut nobiles regni sui talem Collectam sibi dare non teneatur." Huc facit etiam privilegium Lad. IV. (V. v. 2. p. 498) quo Jobbagionum castri Zagrab. libertates confirmando, in his eam item approbat „ut nullus Collectorum jobbagiones in Curia eorum Jobbagionum Castri existentes dicandi haberet optionem, nec ratione judiciorum exercitus ipsos possemus agravare, nisi eadem Collecta emergeretur per regnum supradictum."

vitoribus, qui in numero familiae habebantur, ab utroque Collectae genere exemtis.

§ 190.

Nobiles Jobbagiones Eclesiarum pares habebantur.

Majorum quoque seu Nobilium Jobbagionum Eclesiarum haec nullo non tempore fuit libertas, ut nec pensum, nec terragium, nec collectam regiam vel aliquam exactionem penderent. Constat hoc fide literarum, quae Nobilibus Eclesiae Strigoniensis de Csalóköz a. 1291 per Lodomerium Archiepiscopum, Rege consentiente,[1] aliarum item, quae de hac lucri Camerae immunitate perpetuis retro temporibus observata Nobilibus Jobbagionibus Eclesiae Colocensis per Sigismundum Regem datae sunt.[2]

---

[1]) C. D. VIII. v. 2. p. 259.
[2]) Ibid. VII. v. 5. p. 45.

§ 191.

Udvarnoki Regum, Conditionalesque Eclesiarum dimidiam pendebant collectam.

De primis diximus alias; constat vero jam de ea item aprobata antiquissima regni consuetudine, ut conditionales populi Eclesiarum cathedralium ad Collectas regias, quae seu ratione Camerae, seu quacunque causa, necessitate, vel casu (verba sunt Ladislai IV.) imponerentur, dimidiam tantum darent, vel solverent Collectam; jam id invitus adfero: exstitisse Praesules quosdam, qui vel parvum hoc, quod populi sui Collectarum subsidiorumque nomine ad aerarium publicum deferre tenerentur, Eclesiae suae, per Reges conferri sollicitarent, impetrarentque.

§ 192.

Hac per d. Stephanum Eclesiis quibusdam collata, plures deinde sacri profanique Ordinis viri privilegium idem a Regibus posteris sollicitarunt.

Munificentiam d. Stephani, praesertim, quod modum in ea tenuit, nemo reprehenderit; Regum ceterorum liberalitas hujus generis nec per se aequa satis, exempli quidem onere aerario publico per quam gravis fuit; cum beneficium his concessum non facile negari Dominis aliis posset, eodem jure, meliorique etiam saepe causa sumtuum, quos in gentes suas haberent, flagitantibus.[1]) Quo factum, ut horum interesset etiam Collectas regias decerni, cum toties ipsi quoque privatum sibi facerent compendium. [2])

---

[1]) ,,Si Comes, ex idoneitatis suae industria, dicam regiam a dictis populis, impetrando obtinere potuerit; eam ipsam dicam, mediam partem recipiet, eisdem residuum relaxando'' in Supl. ad Anal. Scep. p. 418.

[2]) Literae aliae ibid. p. 138 de a. 1279. ,,Item si dicatio ex mandato Domini Regis ad territorium pervenerit; quidquid tunc Nobiles Scepusienses, de villis suis a qualibet dica perceperint; ex gratia speciali Comes Botiz ac fratres, praedictos populos in medietate supportare et eximere tenebuntur.'' Ex his literis hoc item patet: quidnam verba privilegii Nobilium Scepus haec significent ,,neminem Nobilium horum Collectam vel exactionem quampiam solvere teneri; nisi ipsa Collecta ad Servientes Regis, et alios quoslibet Nobiles fuerit generalis.''

§ 193.

Invaluit vero sec. XIII. generatim, ut Domini facta Collectae Regiae inter populos suos partitione, quod percepissent, ipsi per se inferrent aerario.

Id vero pluris etiam aliquanto, quam vel haec nosse refert: seculo tertio decimo hanc Dominorum facultatem

fuisse omnium, ut Collectas publico decretas Comitiatu inter colonos suos, aequa lance partirentur ipsi, curarentque, ut hae ad manus Collectorum regiorum pervenirent. Hinc loquendi formula: Collectae, lucrique Camerae ex parte Colonorum solutioni obnoxium esse;[1]) ex hac vero apud homines rerum nostrarum haud satis prudentes, scientesque conjectura orta est: Nobiles quoque Collectam, lucrumque Camerae pensitasse.[2])

[1]) Qua Verbőczius quoque P. II. tit. 14 superius citato usus est.

[2]) Respice ad literas §pho superiori subnexas; verba item Dipl. de anno 1293 (VI. v. 1. pag. 243) „et quod nullum genus exactionis seu Collectae, quam in praedictis praediis nostris (Zólyom, Thurócz, Lipto) facere vel indicere nos contingeret, nobis solvere teneantur, nisi per totum regnum nostrum Collectam ab universis populis Nobilium nostrorum ordinaverimus, pro nobis exigendam, quam (cum) ceteris Nobilibus regni nostri ipsos nobis similiter dari volumus et persolvi.“ Ad subsidia haec referuntur, sumtibus Colonorum, seu, quod phrasis recentior significat, „de bonis“ praestita, diversaque ab iis, quae ex propriis facultatibus (art. 3. 1552) ex propria bursa (art. 5. 1546) tempore postero suppeditata sunt.

§ 194.

Collectae pro munere honorario sumtae species antiquissima boves;

In justis decernendae Collectae causis (tempora debita vocat Bela IV. in privilegio [1]) Eclesiae Agriensis) nunquam non numerabantur: nuptiae Regum et ex nato his primo filio acceptum gaudium. Siculi ad hilaria haec, et solemnia inaugurationis regiae certum per singulas domos, quae habitarentur, boum numerum, instar muneris gratuiti, praestiterunt, quod a stigmate regio

[1]) C. D. IV. v. 3. p. 41.

bobus illis inusto vulgus Ökör sűtés vocavit.[2]) De Cumanis tardius liberalitate Belae IV. et nepotis ejus Ladislai Regum in latissima inter Tibiscum Danubiumque planitie collocatis idem; quoties nempe Regina masculam eniteretur prolem, per singulas domos singulos dari boves consvevisse, Nicolaus Istvanfius Propalatinus scriptum reliquit.

[2]) Bonfin. Dec. I. l. 1. Verant. ad a. 1538. Olahus in Atila suo cap. 18. Kallay o. c. Sect. IV. § 7. Missi per Ferdinandum I. ad cognoscendum Transylvaniae statum referunt, tum temporis obligationem hanc, Primoribus, Primipilariisque semet ei jam antea eximentibus, solum vulgus nobilium Siculorum mansisse, itaque numerum boum, qui olim 40 mille frusta aequabat, ad 4 mille decrevisse.

§ 195.

In quibus ex lege d. Stephani Fisco particeps Comes Castri non erat.

Existimo ecquidem ad solemnia hujusmodi (nam Bela IV. Rege ad nuptias quoque filii ejus itidem Belae [1]) Collecta decreta est) antiquitus, dum in armentis opes omnes starent, per reliquas etiam Hungariae partes hoc muneris honorarii obtinuisse genus. A literis tamen haud satis instructus, id tantum affirmo: lege d. Stephani per Andream II. instaurata, Comiti Castri ex dono hujusmodi, quia non ad ordinarios Castri proventus pertinebat, nullam obvenisse portionem. [2]) Atque haec hactenus; postquam enim in omnes publicae rei partes ea, ex quibus conditae per Stephanum Monarchiae patriae ratio tutissime colligitur, diximus, sequitur, ut quae huic avitorum gentis morum, institutorumque Caroli M. compagi, sublato auctore et columine illo, vis vitalis infuerit, disseramus. Quare hic praesenti Tomo sit modus.

[1]) Cod. Dipl. IV. v. 3. p. 504.

[2]) Bullae aur. art. 29.

GEORGII BARTAL
DE BELEHÁZA
COMMENTARIORUM
AD HISTORIAM
STATUS JURISQUE PUBLICI
HUNGARIAE
AEVI MEDII
LIBRI XV.

Usus me genuit, mater peperit Memoria.
Afran. apud Gell. 13. *cap. VIII.*

TOMUS II.

POSONII, 1847.

TYPIS CAROLI FRIDERICI WIGAND.

LIBER QUARTUS.

STATUS PUBLICI HUNGARIAE

AB EXCESSU DIVI STEPHANI

USQUE AD

BELAM I. VICES.

Multa dies, variusque labor mutabilis aevi
Rettulit in melius; multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.

Virgil

II. REX PETRUS

ab anno 1038 — 1041.

III. REX SAMUEL ABA

ab anno 1041 — 1044.

Petrus restitutus.

§ 1.

Hungaria ab obitu d. Stephani civili octennium adflicta bello,

Quae de legibus, institutisque d. Stephani commentati sumus invicem, probant abunde: id eum elaborasse, omnemque luminis ingenii, consiliique sui gloriam in eo collocasse, ut quae Francorum, Germanorumque, Caroli Magni aetate, haec omnium Hungariae aetatum perpetua esset felicitas. In quo tamen satis ad hanc sustentandam roboris esset, successor haud dissimilis, non tam Carolo, quam Stephano, atque huic quidem ita penitus defuit, ut post illud funus miserum atque acerbum, quo filium Emericum in omnium virtutum regiarum exempla genitum etulit, sola se hac sustentaret fide: fieri non posse, ut rem populi Deus deserat, quem ipse populum effecit sibi. [1]) In hujus itaque mores excolendos hoc ma-

[1]) I. Sam. 12.

gis deinceps incubuit, ut civitatem relinqueret, non modo bene constitutam, sed moratam quoque optime, et virorum probae justaeque conscientia libertatis fortium copia locupletem, quae sua se virtute contra impetum quemque tueretur. Quid consequutus sit, brevissima ad cognoscendum via conspectus sequentis ab obitu ejus octennii ducit. Medio tempore hoc per Petrum, mox Samuelem Abam et Petrum rursus regnatum, seu potius summa animi moderatione, prudentiaque Stephani composita Monarchia alternis absoluti imperii, inconditaeque libertatis inter Petrum ministrosque alienigenas passim, ac Hungaros irritatos collisa malis, rebusque ad summum adductis discrimen, ii etiam, qui monita d. Regis aspernabantur aliquamdiu, sapientiam horum magna mercede edocti sunt. Rem per summa capita expediam.

§ 2.

in quo Petrus peregrinum convenarum (Teutonici vulgo dicebantur) elementum,

Petrum Stephanus ex sorore sua Gyzela, Patre Ottone Vilhelmo Burgundiae Comite genitum, [1]) antequam mortalitatem expleret, accersitis Episcopis et Primoribus Palatii, secundis horum sufragiis,[2]) Regem constituit. Hic enim, quae natura non habuit, seu verecundia avunculi, apud quem adolevit, seu quod post obitum

---

[1]) De Majoribus Petri vide B. Hormayer Jahrbücher cet. T. X. p. 321. et auctores per Podhr. ad Chron. Bud. citatos.

[2]) Verba Hartvici „cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis Episcopis et primis Palatii de Christi nomine gloriantibus, primum cum iis tractavit de substituendo pro se Rege" penitus congruunt cum his chronici Moissiacensis ad a. 813 (Rer. galliae et franc. Script. T. V. p. 83) „Post haec habuit (Carolus Magnus) consilium cum praefatis Episcopis, Abbatibus et Comitibus et Majoribus natu Francorum, ut constituerent filium suum Ludovicum Regem et Imperatorem."

Emerici factae sibi per Gyzelam Reginam de adipiscendo regno spei,[3]) firmamentum hac arte quaerebatur, sic callide simulavit aliquamdiu, tanto ut fastigio his etiam arbitris non impar videretur. Sacro, nec enim dubito,[4]) inauguratus ritu, in aditu regni pius, bellicosusque apparuit. In Noricum enim, licet uti quidam tradunt, non lacessitus fecit impetum; copias deinde Bretislao bohaemo, contra Henricum **III.** Imp. suppetias misit; dataque sic populo praedandi licentia; e diverso ad comparandos sibi virorum ordinis sacri animos, condendae Quinqueeclesiis basilicae b. Petri operam navavit. Cum tamen sic in omnes jam partes bene audiret; posita, quam huc usque gessit, aliena persona, suo vivere caepit ingenio libidinoso illo, et acerbo et avaro. Honores igitur omnes Teutonibus, Italisque mandavit; census et tributa, nullo ordinum discrimine, ex arbitrio suo descripsit, auctoritateque sua et ipse et, ut fit, omnis familiarium cohors, clientesque, in quodque libidinis genus, apud gentem abusi sunt, quae ex legibus, institutisque d. Stephani parere legitime imperanti, nondum servire tyranno didicit, aut discere voluit. Quapropter haec, dum monita, minaeque repetitae nihil ad emendandos Regis mores proficerent, imo, quod maxime dolebat, nulla ab efraena ejus, ministrorumque luxuria satis tuta pudicitia, ipsa denique grati erga Gyzelam, quae fortunae illi regiae auctor potissima fuit, animi fracta officia essent,[5]) fi-

---

[3]) Joan. Haugen l. II. c. 24. „nun ward durch die Königin, und an so irer parthey waren, fürgehalten und zu einem König anzunehmen.“

[4]) Chronica patria taceant licet; nihil tamen est, quod ambigas: Petrum Episcoporum praecipue sufragiis electum Regem, per hos sacro inauguratum ritu; quia prima regni aetate, ut alibi monui, horum id maxime erat negotium.

[5]) Calles Annal. Aust. l. VI. cujus haec quoque probantur mihi: „Monebat Gyzela Regina, gentis bellicosae animos ne temere irritaret; nosset regni praesidia non in praetorianis excubiis, sed in populi fide, charitateque sita: mores gentis suis e moribus fingi ne

nem fecit ferendi ejus. Principes enim, militesque, Episcoporum congregati consilio, eo exauctorato, Samuelem sororis d. Stephani conjugem Regem proclamarunt, tam hunc popularem, quam illum invisum bonis omnibus. In Petrum itaque Regem superbum, non regiam hoc consilio invadebatur auctoritatem, ut quam hi maxime voluerunt salvam, qui personae illius erant offensissimi. Tam verum est: non aliis esse Principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur. [6])

---

cuperet; quin si stirpem adventitiam, aeternam in regno esse vellet; peregrinae consuetudinis quam minimum retineret: quod si carere ad palatina aulae suae munera externis nec vellet, nec posset; aequa tamen in parte essent Hungari et ad tractanda regni negotia adhiberentur" cet.

[6]) Plin. ad Traj. c. 45.

§ 3.

Samuel Aba hungaricum repraesentavit,

Samuel Edumeri Ducis olim Chunorum, qui se Arpado conjunxerunt, progenies, Saroltae, sororis d. Stephani maritus, idemque hoc superstite Palatinus Comes, [1]) ex muneris hujus ratione suo loco explicita, frequens cum populo fuit. [2]) Juribus hujus a vi potentiorum asserendis, cum inter tot infestos, unus maxime intenderet, hujusque virtutis constantia, et in Patriam amore omnes anteiret, eum gloriosissimum sibi honoris titulum confecit,

---

[1]) Biogr. S. Gerardi apud Batthiány p. 343. „Abba Comes Palatii" apud Surium et Vionem „unus ex eis nomine Abba, qui erat Comes Palatii" Prayus eum in serie Palatinorum Hungariae edita nuper ad a. 1030 collocat.

[2]) Hunc chronographi veteres plebem dicere amant; inde tetra calumnia: Samueli, nescio quam plebis sentinam, constanter a convictionibus fuisse. Thur. II. c. 37.

ut Populi pater (hunc enim Apa [3]) in vernaculo nobis significat) vulgo diceretur. Ceteris, ut non idem omnibus in Principem hanc ingressum laudis viam animus, tamen cum providentia, consilioque id consequutus esset, ut arma per Henricum Caesarem, causa restituendi solio Petri, arrepta ab Hungaria averterentur, illos etiam, qui clam Petro favebant, palam auctoritatis suae suffragatores habuit. Sed hi primi fidem abruperunt, cum Rex faces dissidiorum submovendas ratus, quod prudenter senserat, ita exequutus esset, ut viros quinquaginta sceleris illius contagione infectos, consiliandi specie ad se evocatos, non confessos, nec convictos legibus, capite plectendos decerneret, novoque doceret argumento: in secundis difficilius, quam adversis rebus constare sibi spectatissimam etiam virtutem posse. Corrupta sic, qua adhuc floruerat, [4]) fama benignitatis, religionisque (monasterium enim de Saar [5]) Ordini s. Benedicti condidit) plures jam nec alienigenae modo, sed Hungari etiam, qui caesis affinitate, cognatione, aut aliquo necessitudi-

---

[3]) Notar. Belae R. c. 32. „Dux Arpad in sylva Matra dedit terram magnam Edunec et Edumernec, ex quorum etiam progenie longo post tempore, Rex Samuel descendit, qui pro sua pietate Oba vocabatur.“

[4]) Post erutum aureum Notarii Belae Regis libellum primus Godofr. Schwarzius Dissertatione, cui titulus: „Samuel Rex Hungariae, qui vulgo Aba audit“ praeclarissimam memoriae Regis hujus operam dedit, eumque pro libertate gentis suae Martyrem factum justis laudibus celebravit. Quod idem praeterea precebatur „ut existeret aliquis, qui Notarium Belae Regis cum chronographis theoninis, Regem optimum insolentiae, crudelitatis et perjurii accusantibus in gratiam reducat.“ Cornidesius in Geneal. Regum Hungariae sec. XI. fide et eruditione Schwarzii merito collaudata, et rursus in Vindiciis Notarii illius praestitit.

[5]) Loco provinciae Hevesiensis ad Matram Notarii Belae Regis, cujus fidem literae quoque Belae IV. de a. 1261 de latissimis propaginis Edumeri per Comitatus Abaúj, Borsod et Heves praediis editae probant.

nis jungebantur vinculo, auctores Henrico fuerunt, bellum ut renovaret. Ad hoc amoliendum Samuel partem Hungariae, qua haec a Caetio, usque Lajtham porrigebatur, Henrico cessit, [6]) prohibitoque malo uno, auctor exstitit alterius, invidiae nimirum, quam per alienatos regni fines apud bonos quoque incurrit. Et Henricus nihilo secius obtentu non restitutorum captivorum tertium in Hungariam duxit. Rex quidem nihil eorum, quae belliducis egregii essent, a se desiderari passus est; neque miles defuit, propriae, illiusque gloriae studiosissimus. Sed fraus, insidiae, proditio, quibus non Ducibus, armisque superiores? His opressus Samuel victoriam solo eam quidem nomine a clade differentem, victoriam tamen cedere hosti debuit.

---

[6]) Hermannus contractus apud Canis. ad a. 1043.

§ 4.

suis emersit viribus.

Restitutum solio Petrum, nec melioris frugis, nec operae probioris quidquam retulisse, patuit brevi. Samuelem is, ut regalem victimam, caesis per illum satellitibus suis inferias daret, decollari jussit. Sic enim scriptores Germani prodiderunt. Ex patriis cognosco: nihil eum non egisse, ut nova invisae sibi genti compararet mala; diesque nulla, nisi cruenta nomini hungaro, aut praecipuis hujus custodibus luctuosa praeteriret. Auctoribus itaque Gyulae junioris filiis, Optimates Hungariae Csanadini conveniunt, et ad evocandos ex Russia Andream et Belam (filii erant Ladislai calvi) nuncios clam expediunt. Fuit tamen, qui hoc Petro indicaret; hic vero, ut se contra conata certiori muniret praesidio, Henricum Caesarem ad festa Pentecostes a. 1045 in Hungariam invitat, hancque, data in signum subjectionis lancea deaurata, tradit. Dedecus hoc Teutonibus, Hungarisque coram patratum, iis scilicet, qui, juxta verba Aventini,

huic tali consilio idonei videbantur. [1]) Atque hos petentes per Caesarem illum, exemplo legum bojoaricarum donatos, ecquidem non multum satago, nec de subjectione per hos Quadorum probabilius et Sarmatarum Ammiani Marcellini (lib. XVII. c. 12) posteros declarata [2]) recuso, quando in comperto est: populum universum, cum videret, id jam agi, ut jugum ipse totis cervicibus indueret: iratum, quod cuique telum indignatio fecit, corripuisse, non ante ponendum, quam Petrum, voluntatisque hujus administros solio, soloque hungarico depelleret. Ad Duces itaque adventantes tota se paene Hungaria effundit, cum Petrum, qui inopia consilii, inter Mosonium, Albamque fugitarat, [3]) quidam intercipiunt, oculisque orbatum in carcerem mittunt.

---

[1]) Ad a. 1045 „abiturus cunctos accersiri jubet, quos idoneos ducebat; eorum consilium habet."

[2]) Quod ex hac tali subjectione jus in Hungariam imperio germanico Aventinus, Vippo et Otto Frising. enatum asserunt, nullum esse et suapte patet, et Benczurius in sua: Hungaria semper libera, Katona in Hist. Crit. Reg. Hung. Dissert. VII. § 151. Pray Hist. Reg. Hung. T. I. p. 48. et plurimi alii abunde docent. Confer etiam Conringii Dissert. de finibus imp. germ. l. I. c. 17.

[3]) Simon de Kéza, Lambertus Schafnaburgensis, et alii chronographi.

IV. REX ANDREAS I.

ab anno 1046 — 1061.

§ 5.

Catholici cognomentum, ob rem religionis

Initium principatus Andreas difficillimum habuit. Etsi enim ex iis, quos sincera in Samuelem Abam tamquam libertatis Patriae, Institutorumque d. Stephani vindicem

pietas [1]) adversus Petrum armavit, postquam huic nocendi facultatem ademtam percrebuit, exstitisse non paucos, veri simillimum sit, qui dicto audientes Andreae se jussis promte accomodarent; pars tamen longe maxima efferati populi Vatam et socios sequebantur, qui, Auctores ministrosque consiliorum ac generatim instrumenta dominatus Petri, sacerdotes suplicio dandos, nec decumas tantum abrogandas, sed cum templis ipsum adeo novae religionis vestigium eradendum flagitabant. [2]) Et chronographi quidem patrii hujus tantae immanitatis licentiam populo per Duces factam perhibent; id certum: praeter vulgus, Majorum etiam partem non modicam truculentissimo errore instinctos, nec vero a copiis mox initio ita paratum Andream fuisse, ut non aliquamdiu cunctari, quam de rerum summa temere aleam jacere satius existimaret. Hausit interea furor populi Gerardum Csanadiensem Praesulem, hospitemque etiam tum, ut Biographo suo vocatur, Patrem, qui d. Protoregi a consiliis, a partibus deinde Petri tuendis praecipuus erat; nec plures quam tres Episcopos cladi huic mansisse superstites accepimus. Sed res paulatim ab insana vi ad consilium rediit; crevit enim in dies numerus horum, qui visa monstri, cui adhuc inservivissent, teterrima facie, alere illud desierunt. Et sub exitum quidem a. 1047 is animorum erat habitus partim sua poenitentium sponte, partim vi et terrore armatae manus perculsorum, ut Andreas tertio a caede d. Gerardi mense, cum Optimatibus non modo ad exstinguendas seditionis reliquias, verum

---

[1]) Ita sane, perstititque haec in eum pietas apud Hungaros diu. „Post aliquot autem annos (ait Kéza) cum esset effossum corpus de sepulchro, sudarium et vestimenta ipsius invenerunt incorrupta, et loca vulnerum resanata, sepelieruntque tandem corpus ejus in proprio monasterio Saar" non itaque plane nihil inter hos Samuelis cultores et reliquam multitudinem Vatae adhaerentem interfuisse ultro patet.

[2]) Thur. II. c. 39.

disciplinam religionis acrius etiam adstringendam, plura constitueret, per quae Catholici comparavit sibi cognomentum.

§ 6.

opera et Decreto suo restitutam nactus,

Constitutiones illae de forma Comitiorum, si quaeras, in Concilio Meliorum et Majorum, Seniorum et sapientium, praesente testimonio Cleri et populi conditae sunt. Primus eas memoriae prodidit, Biographus s. Gerardi. Dux, ait is, Andreas statim atque in Alba coronatus est, praecepit universae genti suae, sub poena capitalis sententiae, ut deposito ritu paganismi ad fidem Christi reverterentur, et secundum statuta Regis s. Stephani viverent, quod et factum est. Ex legibus vero d. Ladislai [1]) constat speciatim, Andrea auctore, trium dierum vigiliam ad festum d. Petri institutam. Sunt demum scriptores, qui antiquissimam apud Hungaros de honore sanctae Cruci habendo legem [2]) Andreae huic asserant. Quorum numero me quoque accenseri lubenter patior. Nihil horum Bonfinius in suo Andreae edicto, stylo legum XII. Tabularum exornato, [3]) sed alia habet de falsis Diis abrogandis, quorum nihil biographus ille meminit; quin nec plagiarius chronographus, cujus apud Thuroczium narrationem [4]) Bonfinius sequitur, tantum loco hoc comminisci ausus est.

---

[1]) L. I. c. 37.

[2]) Plura de hac apud Galeotum cap. XXIX.

[3]) Qui Edictum hoc corpori juris illatum sit, Kovachich in Vest. Com. p. 44. Katona in Epit. chron. rer. hung. P. I. p. 130 exequitur.

[4]) Chronographus apud Thuroczium cap. 45 superius citata, biographi d. Gerardi verba ita reddit: Dux Andreas a perturbationibus hostium securus effectus, in regia Civitate Alba regalem Coronam est adeptus, praecepit itaque universae genti suae sub poena

capitalis sententiae, ut deposito paganismo prius eis concesso (??) ad veram Christi fidem reverterentur, et in omnibus secundum legem illam viverent, quam s. Rex Stephanus eos docuerat.

§ 7.

ad summam laudum suarum,

Andreas religione templis, tranquilitate patriae reddita clarus, plura sub idem tempus ad memoriam insignia, sed hoc ad perpetuam nominis sui apud Leodienses quoque gratiam fecit, quod ex his plures, qui longa, uti Annales eorum testantur, fame pressi ad eum perfugerant, et accepit prolixe, et fertilissimis intra fines dioecesis Agriensis donavit fundis, in quibus loca deinde effloruerunt, quae seculo etiam XV. vulgo gallica vocabantur. His Andreas praecepisse fertur, linguam suam ne dediscerent. Quod illi ita observarunt, ut „viri Hungarorum linguam omnes addiscerent“ mulieres, quod domi se continebant, nativam conservarent. [1]) Quam vellem omnes deinceps hospites Leodienses; aut saltim usu linguae patriae novae, horum simillimi fuissent. Sed de his in transcursu.

[1]) Chron. Corn. Zantfliet apud Martene T. V. p. 455. Confer cum his, quae T. IV. de fame, quae tempore Vazonis Ep. Galliam Germaniamque sexennium afflixit cet. p. 1066 et 1216.

§ 8.

Hungariam per Petrum Henrico III. Imperatori depactam, in libertatem vindicavit;

Andream, ut Hungaris sibique Henricum placaret, huic per legatos censum annuum, quem Petrus pepigerat, obtulisse Hermannus contractus refert, quin eum acceptatum asseveret. Res ita habet: Caesarem non jam census, sed occupandae Hungariae inflammatum studio

copias suas Adalberto Marchioni Austriae et rursum Geberhardo Ratisbonensi Episcopo patruo Ducibus, Hungariae infudisse et tandem per se coram adfuisse; quum tamen nec iteratis expeditionibus his quidquam ad scopum proficeret suum, tandem erga vicem per Leonem IX. Pontificem M. interpositam, animum jam ad censum quoque acceptandum adjecisse.[1]) Serum tamen hoc ejus erat consilium, a quo et Andreas et Hungari vehementer abhorrebant. Perdita sic, quod Vibertus scriptor synchronus ait, per romanam rempublicam subjectione regni hungarici, pax inita Posonii conditionibus est: Caesar ut ea, quae ex pacto cum Samuele Aba tenebat, porro possideret; praeter Italiam communes uterque paciscentium amicos et hostes haberent; filia Caesaris Sophia secundum alios Juditha, Salamoni parvulo (anno 1053 natus est) parvula desponsaretur.

---

[1]) Vibertus s. Leonis IX. biographus in Actis SS. ad 19. Aprilis. Otto Frising. c. o. l. VI. cap. 33. Bene ad haec Prayus in Hist. R. H. P. I. p. 55: „Si quod unquam jus sedi Apostolicae in Hungariam fuisset, Pontifex certe nunquam tanto studio acturus erat, ut Rex tributum Caesari pendat.“

§ 9.

Partes hujus avulsas Belae fratris adjutus virtute recepit.

Pars maxima causae tam prosperi armorum Andreae successus Belae fratris virtus erat, quem cum nullam adhuc ipse ex conjuge Anastasia patre Jaroslavo Russo genita filium suscepisset, facta ei spe potiundi a morte sua regni, ex Polonia adjumento sibi, cum omni familia evocarat. Hujus opera bellis, quae deinceps ad redintegrandum Hungariae territorium gessit, feliciter usus, et Syrmium revindicavit et Croatiae limites ad Zet-

tinam fluvium repressit, [1]) et fines Carantanos, quos a. 1042 transgressus Godofredus Marchio, Arnoldi Velsensis filius, Samuelem Abam, inito ad Petoviam praelio cedere coegit, [2]) non tantum restituit, verum usque ad Hengstbergum protulit. [3])

---

[1]) Kerchelich de regnis Dalm. Croa. Slavoniae Notit. praelim. p. 101. post Joannem Archi-Diaconum de Gvercse; Fejér in Praef. ad VIII. 4. et citatus per eum Dandulus apud Murator.

[2]) Abam Bojoarios et Carantinos depraedatum l. c. Archi-Diaconus idem meminit; vere, ut ex collectaneis Beyträge zur Lösung der Preisfrage des Durchl. E H. Johann. cet. uberius colligas.

[3]) Collectanea nunc citata fasc. I. p. 171, fasc. II. p. 167.

§ 10.

Sed inita inter eum et Belam fratrem divisio regni

Andream fratri suo tertiam Hungariae partem cessisse convenit inter chronographos omnes; quae haec fuerit? silentio praetereunt. Sublustre tamen est partes Hungariae ultra Tibiscum sitas: terram, provinciam, partes Nyir et Transylvaniam fuisse Hungariae partem hanc tertiam. [1])

---

[1]) Thur. II. c. 49, 52. Adde, quae Belae R. Notar. c. 22. habet et Katona H. C. T. II. p. 251.

§ 11.

semen erat discordiarum, quibus deinde et Domus regia et regnum diu conflictatum est.

Quod interim Scriptores iidem disserte affirmant: a tam miti principio plurimas deinde regni calamitates, inter Duces quippe Regesque Hungariae continuanter paene flagrantia bella exstitisse; plane ita habet. Dati enim exempli hujus fiducia Geyza item Salamonem fratruelem,

ad tertiam hanc sibi, fratrique Ladislao cedendam adegit. Causa eadem Almum Ducem cum Colomanno commisit. Stephanum autem huc impulit, ut adversum Geyzam II. exteros etiam hostes arcesseret. Dolenda haec, sed quae sequuntur, poenitenda sunt. Et Andreas II. quidem, ultimam Patris adspernatus voluntatem, Illyrici provincias ab Emerico fratre extorsit; primusque erat, in quem Patrem Bela, hoc quod adhuc fratres invicem factitabant, filius ausus est. Sed exemplum, quod dedit, rediit in auctorem hunc non multo post cumulatius, quando filius Stephanus amissa per Tabulas pacis cum Friderico Caesare initae Styria, mandata sibi partium regni trans-danubianarum gubernatione haud contentus, non jam tertiam, sed dimidiam Hungariae partem abstulit. Factum sic, ut etiam dum ab hoste externo otium esset, non belli civilis materia domi, non factiones deessent, [1]) domesticisque peccatis majora, quam hostium consiliis, respublica discors, incommoda acciperet.

---

[1]) „Quae fuere, eruntque (ait Livius l. IV. c. 9) pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, quaeque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt."

§ 12.

Cessam sibi tertiam regni partem Bela Ducis tenuit titulo, usque ad a. 1061;

Partem Hungariae cessam sibi Bela, filii postmodum, titulo quidem Ducatus, potestate tamen ille cum fratre, hi cum fratruele aequata obtinebant; ceteri jus quidem feriundae monetae exercuerunt omnes, sed reli-

qua eorum auctoritas, uti Rex major [1]) aut Pater jussisset, fuit. [2]) Stephani V. literae exstant, [3]) quibus fundos bene meritis de se Udvarnicis quibusdam ea adjecta donavit cautione, ut hos tum demum, si in possessionem regni venerit, semet re ipsa collaturum promitteret. Sed ad Andream revertamur.

---

[1]) Exemplo Decr. Colomanni l. I. c. 9, 11, 12. Item articulum 18. 1222.

[2]) Per quem nempe, vel cujus, ut dici amabat, voluntate Rex aut Dux fuit. Ipsum regni de a. 1267 Decretum ita incipit: „Nos Bela Dei gratia Rex Hungariae et Stephanus per Eundem junior Rex Hungariae et Dux Transylvaniae et Bela junior Dux totius Slavoniae."

[3]) Superius l. III. ad § 34 citatae; sunt tamen aliae plures, in quibus non hanc moderationem tenuit, ac eapropter, indicio tit. 14. Part. II. Juris consu. Verbőczii, literae tempore Ducatus ejusdem confectae „nisi forsitan ipso postea regni gubernacula juste suscipiente, pariter et possidente, per eum confirmatae fuissent" non servantur.

§ 13.

bello enim civili

Andreas filium Salomonem, recenti Henrici Imperatoris exemplo, se superstite coronari fecit, vix dum septennem. Cum consensu Belae susceptum hoc Kéza consilium innuit; [1]) vetus e diverso apud Thuroczium chronographus hunc inopinato deprehensum evento, vel id quidnam sibi nova ea cum puerulo nepote suo pompa velit, ex interprete demum intellexisse testatur, qui verba consecrationis solennia „Esto dominus fratrum tuorum"

---

[1]) L. II. c. 3. § 6. cui dandulus quoque assentitur apud Murator. T. XII. p. 241.

hungarice illi reddidit.[2]) De quibus postquam Belae innotuit, fractam per Andream fidem ulturus, toto animo ad comparandum ei bellum ferebatur. Cujus exitum praesensisse hic animo videtur, si quidem, a discessione fratris in Poloniam, nihil habuit antiquius, quam „ut filium suum Henrico (IV-to) Regi per Tiedbaldum Comitem transmitteret" [3]).

[2]) P. II. c. 44 et Chronicon Budense p. 114 edit. Podhrad.
[3]) Hermanni Continuator.

§ 14.

superior, Rex electus est.

Pro Andrea Caesaris copiae; pro Bela Boleslaus Polonus, cujus amitam Richsam conjugem habebat,[1]) parsque Hungarorum maxima depugnabant; quod virtutes Belae, quam potentia Andreae, aliena, suspectaque Caesarum nixa vi gratiores erant. Conserto ad Tibiscum praelio vicit Bela Dux, et Andrea equo forte excusso, nec multo post obeunte;[2]) Rex est constitutus.

[1]) Katona Hist. Crit. T. II. p. 136—141.
[2]) Aloldus, Schaffnaburgensis, Annalista Saxo.

LIBER QUINTUS.

GRATA BELAE I.

ET FILIORUM AC MAXIME D. LADISLAI

APUD HUNGAROS MEMORIA.

-- Aliusque, et Idem

Nasceris --

Horat. carm. sec.

V. REX BELA I.

ab anno 1061 — 1063.

§ 1.

qui et Adalbertus vocabatur.

Hunc Album scriptores, Albertum item, Adalbertumque vocant, quod nomen Belae jam sacris codicibus veteris legis cognitum, a Slavico biele imprudentes arcessant. Alterum ei nomen lustricum Adalberto fuisse facilius concessero, quam seu his, seu qui nomen Bela Majoribus nostris usitatissimum, Benyn, aut Benyzló interpretantur, subscribere.

§ 2.

Maximi Princeps animi Comitia convocat, sed quorum fructus inconditae multitudinis tumultu interversus.

Bela a. 1061 sexta Decembris, suscepta de manibus Episcoporum corona, regnum a lenitate et clementia orsus legem tulit, ne cui sua in Andream aut Salomonem fides fraudi esset. Praeclarum hoc quoque, uti omnia ejus, quod ultra morem aevi sui progressus, consilium iniit Principe maximi animi dignum, ut missis per regnum praeconibus, ex singulis pagis (Comitatuum hoc apud latinos nomen est, quod chronographi cum villis commutant saepius) duos ad Comitia Albam evocaret, ceterorum pariter vicem functuros. Sed enim res ea con-

tra spem cessit; quod veterem recordati morem, non, ut jussi sunt, bini, sed universi Albam convolarunt. Incondita multitudo Rege Episcopisque et Proceribus intra Civitatem convenientibus, extra hanc, eadem, quae Vatta olim, nec minori impetu de Decimatoribus in crucem agendis, Episcopis lapidandis, et quae sunt hujusmodi, sollicitabat. [1]) Rex itaque, ut erat mira celeritate ingenii consiliique promtissimi, triduo ad haec deliberanda opus esse renunciavit, provisisque interea armis, seditionem eam dispulit, diuque postea nec per hunc, nec per successores quidquam cum populo, sed cum testimonio hujus actum est. [2])

---

[1]) Thur. II. cap. 46. Rem ad vivum Ransanus resecat, quando „voluisse eos vitam, ait, agere liberius; durissimum eis fuisse: clericis quotannis rerum decimas solvere.“ Rans. Episc. Ind. IX. Plane ex spiritu Alcuini ad Arnonem A. Episc. Salisburgensem ad convertendos Avares missum, sequentia scribentis „esto praedicator pietatis, non decimarum exactor; quia novella apostolicae pietatis lacte nutrienda est, donec crescat, convalescat et roboretur ad acceptionem solidi cibi; Decimae, ut dicitur, Sexonum subverterunt fidem cet.“ Epist. ejus CIV.

[2]) Vere Cicero de rep. „difficultas ineundi consilii rem a Rege ad plures; error et temeritas populorum, a multitudine ad paucos transtulit.“

§ 3.

Utilissima ejus instituta ad commercii, industriaeque spectant rationes.

Commercia adhuc, pro veteri Scytharum more, sola fere tantum vice rerum exercebantur. Bela mensuras et pondera constituit, denariosque ex argento pustulato cudi jussit, quorum quadraginta byzantinum aequarent.

Idem solidorum olim apud Francos valor. [1]) Quidam igitur hanc quoque constitutionem, non secus atque illam de aequalitate mensurarum, [2]) ex Capitularibus Regum Francorum sumtam existimant; quod quidem ego in medio relinquo. [3]) Nundinas praeterea diebus Domini (etiam num vásár nap, dies nundinarum, nobis vocantur) celebrari vetuit; videri itaque potest hac etiam parte Caroli Magni aemulatus solertiam; [4]) fecit tamen amplius: statis in hebdomada diebus mercatus haberi voluit. Quae denique mea sententia est, primus pro judiciorum usu, certum rerum omnium pretium fixit. Aestimationem regni vocat Regestum Varadiense, [5]) quae in art. 68. 1298 § 1, 2. nomine consuetudinis regni ab antiquo conservatae citata, materiam tit. 133. Part. 1. Juris consu. Verbőczii facit, et in aestimanda quarta, ut nos loquimur, puellari (bonorum portione) hodieque pro norma servatur.

---

[1]) Vide sis Leg. Sal. Tit. I. caput 1 et 2. Tit. II., qui cum cap. L. incipit: cap. 1, 2, 3, 4 et 5.

[2]) Capitularis I. a. 789 cap. 72 cet.

[3]) Cum jam aetate Caroli M. (vide sis excerpta ex lege Longobardica cap. XV.; item Libri IV. capit. Ansegisi capit. LXXV) valor solidi ad 12 denarios reductus fuerit.

[4]) Capit. I. a. 809 cap. XVIII. de mercatis, ut in die dominica non agantur, sed in diebus, quibus homines ad opus dominorum suorum debent operari.

[5]) Reg. Varad. num. 130 „dederunt pro saepe jam dicta terra pretium secundum aestimationem regni, viginti et duas marcas fertone minus.“ Ex lit. capit. Jaurin. a. 1224 (C. D. III. v. 1. p. 464) verbisque harum „praedium suum, ubi continentur 300 jugera terrae, ad duo aratra sufficientia“ vulgarem aratri notionem colligas. Centum et triginta jugera terrae ad usum unius aratri sufficientia, habent literae de a. 1296 C. D. IX. p. 720. De aratro regali vide Dissert. in Tud. Gyűjt. a. 1833 T. 6.

§ 4.

Idem partem Carantaniae nuper recuperatam,

Inter Caesareanos Wilhelmus erat, illustri apud Saxones genere Comitum de Weimar et Orlamunde natus; Eppo item Citicensis Episcopus, et Dux Bohemorum qui bello superiori Andreae suppetias missi inclaruerant; vel in his tamen militari fortitudine Wilhelmus praestitit. Qua re eam apud Geyzam filium Belae natu majorem iniit gratiam, ut pater per hunc exoratus illum, collocata ei filia Jojada, generum summeret, [1] simulque omne id, quod Petovium ultra, nomine Marchiae inferioris, vulgo etiam Marchiae Transylvanae, Limitisque Avarici, usque Leibniczium juris erat hungarici, [2] sponsis his concederet, eo utique consilio, ut non modo fines regni horum dati fiduciae, praesenti ope, sed fiducia ipsa cognationis necessitudine praestaretur tutior. Wilhelmo, ante matrimonium supremum obeunte, Jojada in manus Ulrici nepotis ejusdem ex fratre Popone Uxoreque hujus Azzica rerum per Istriam et Carnioliam potente geniti convenit. Quo factum, ut ambo Comites hi Weimarienses, beneficio Regis Belae, Duces fierent, scriberenturque Carinthiae. A morte Jojadae Ulricus Sophiam Geyzae, quem commodum memoravimus, filiam, eandemque Colomanni Regis apud Monachum Weingartensem et alios [3]) sororem,

---

[1]) De his Lambertum vide Schafnaburgensem.

[2]) Vocabatur etiam limes pannonicus, avaricus et Marchia Vinidorum, complectabaturque totam Marchiam veterem Styriae inferioris. Vide Beiträge superius cit. fasc. II. p. 154.

[3]) Ibidem B. Hormayr p. 104 et 158, et jam antea fasc. 1. p. 191. Inter hunc et scriptores hungaros Prayum, Cornidesium, Katonaium (vide sis hujus Hist. Crit. T. II. p. 184, 380, 743 et seq.) non aliud differt, quam quod Hormayrus Sophiam pro filia Belae Regis, hi vero eandem, velut quae rara veterum Chronographorum consensione pro sorore Colomanni habetur, pariter atque hunc pro Sobole S. Ladislai ponant, errore jam manifestissimo.

secundis nuptiis duxit; ex neutra tamen suscepisse prolem videtur. A fatis ejus haec Carinthiae pars in potestatem Ducum Meraniae pervenit. [4])

---

[4]) Et Belam et sequentes Reges partem eam Carantaniae, qua Dominicum (Sontagh) locaque finitima patent, sibi retinuisse, atque haec aetate demum Geyzae II. Regis, per Fridericum de Petau occupata fuisse literae filii hujus Friderici alterius, apud Erasm. Fröhlich ad a. 1222 vulgatae ostendunt, quibus testatur patrem suum „proprietatem suam in Dominico (Gross-Sontag) domui hospitalis S. Mariae Teutonicorum Jerosolomitani per eum cesso, tunc acquisivisse cum praedictam terram idem de manibus Ungarorum eripiens, licet vacuam adhuc et inhabitatam, primo suae subjugavit potestati.“ Meminit injuriae hujus etiam Geyza II. in lit. ad Eberhardum Archiep. Salisburg. a. 1161 (Katona H. C. T. III. p. 724) datis, quibus eum monet „ut Fridericum de Pettove et quemlibet alium terram suam perturbantem, graviter corripere non differat.“ Haec Geyza aliis gravissimis bellis ab ulciscenda injuria hac avocatus.

§ 5.

filiabus suis dotem dedit, ut non armis modo sed cognationis quoque praesidio finibus regni prospiceret.

Idem filiam alteram Zwonimiro Bano Croatiae Toparchaeque praepotenti conjugem dedit, contractaeque arctissimae necessitudini huic, justam, quae de plagis Savo Dravoque interjacentibus per Cresemirum occupatis praesto erat, querulandi causam, socer genero condonavit. [1])

---

[1]) Zwonimiro huic partem quoque Carantaniae hungaricae procurandam commissam fuisse ex Haugeni l. III. c. 39 intelligas, de qua per Carantanos vi occupata questus, auxilium Geyzae eflagitat, hocque impetrato injuriam vindicat.

§. 6.

Legum, quae ut ea erant tempora, ex usu essent, consultissimus.

Belam haec non modo praeclarum militiae, sed pacis quoque artium, et legum, quae pro ea temporum ratione, maxime ex usu essent, consultissimum ostendunt. Est igitur quaedam de eo scribendi dulcedo omnium veterum chronographorum communis; quo magis doleas plerosque horum nec rem publicam, nec ullam vitae forensis partem attigisse. Ita namque factum, ut non imaginem totam, sed quasdam solum honoratissimae lineas mentis, animique ejus ad posteros transmitterent. In his ego, certa Regesti Varadiensis nixus fide, aestimationem regni collocavi paulo ante; sunt tamen aliae quoque juris privati hungarici constitutiones quaedam, quas si infra aetatem Belae I. differam, minori peccem venia, quam, si, quod facere inclinabat animus, in serie antiquissimarum percensuissem legum in communi ad Zer conditarum colloquio. Consuetudines enim sunt aetate Regesti illius antiquiores, et cum illa aestimatione regni sic conjunctae, ut solum ipsumque hujus Regesti quodammodo fundum constituant. Dicam de singulis cursim.

I. De jure gentilitatis.

§ 7.

Jus praelationis sanguinis vulgus appellat.

Jus stirpis et gentilitatis non legibus scriptis sed natura auctore conditum; nullum itaque paullo vetustiorem reperias populum, cui non et tribus suae et gentes fuerint. Ac nostros quidem Aborigines, studii hujus nimios poene, cum in plurimas divisi tribus, harum, non

commune generis sui prae se gererent nomen, prope erat, ut hoc eos ignorare Ammianus Marcellinus haud abs re argueret. De Hungaris Leo sapiens idem testatur; nec quisquam in priscis horum moribus tam hospes est, qui nesciat, condita quoque Monarchia, in hanc eos curam velut principalem praecipuo semper studio incubuisse, ut ne ad alienas haeredia sua veniant manus, hocque ita si necessitas aut casus ferret, prima fratrum, proxima cognatorum, finitimorum deinde vicinorumque in iis acquirendis esset ratio. Morem gentis hunc per Belam probatum, non est, quod multis contendam, quando palam est: nullam causarum speciem hac apud nos neque antiquiorem neque frequentiorem, ipsos adeo Judices Notariosque, usu assiduo, in hoc contentionum forensium genere etiam dissertos esse. Ex plurimis interim, quae hanc juris antiquissimi regulam significant, axiomatibus [1]) illud mihi et compendio doctrinae et priscae simplicitatis gratia placet, quod ita habet „cum fratres suos non statuerit; non ememus; terra enim communis est et haereditaria eorum“ [2]).

---

[1]) C. D. IV. 2. p. 118 „de beneplacito et consensu cognatorum suorum et Isov commetanei sui.“ Ibid. p. 120: „omnium cognatorum et commetaneorum suorum consensu requisito et obtento, totaliter nihil juris et portionis ibidem reservando, vendidit“ etc. Quibus Trip. Verb. P. I. tit. 60 et 69 consentanea tradit.

[2]) III. v. 1. 413.

II. De jure sexus.

§ 8.

Terrae descensuales solis filiis, hi si plures essent, domus paterna ut juniori cedat.

Divisiones terrarum descensualium rarae et per sortes. Materiae harum sagittae (nyil) tamquam parta per

eas, earum item committi arbitrio aequissimum videretur. Ad has jaciendas vel ducendas, utrumque enim familiari nobis proverbio teste, apud antiquos usu venit, soli modo filii vocabantur, aequali cetera jure, sed domus paterna, propria Hungarorum lege, filio juniori cessit [1]).

[1]) Ita literae a. 1231: „terra communis erit omnibus filiis meis, quia locus est specialis, quod vulgo dicitur Udvarhely (curia, allodium); sed aedificia et cetera necessaria, quae super ea sunt, ut mos est in Hungaria junior habebit". C. D. IV. p. 227. Tam antiquum est, quod Verbőcz. P. I. tit. 40 § 2 tradit.

§ 9.

Arma item et equi gregales.

More Hungarorum antiquissimo arma militaria, neque haec solum, verum equi gregales quoque ad solos filios, aut si hi deessent, filiabus exclusis, ad fratres proximos pervenerunt [1]).

[1]) Idem I. tit. 101. § 3. Quantula horum pars est ea supellex, de qua lex Salica tit. VI. art. 5.: „ad quemcunque haereditas terrae pervenerit, ad illum vestis bellica aut lorica debet pertinere".

§ 10.

De filiabus pro dignitate natalium dotandis.

Moribus antiquissimis nititur etiam consuetudo de filiabus pro modo facultatum parentum, et dignitate natalium, congruo rerum ad cultum domesticum necessariarum apparatu maritandis [1]). Propriam hanc Hungarorum

[1]) Regest. Varad. num. 142: „Ego Benedicta uxor Herczeg de genere Borsa duabus filiabus meis — juxta natalium suorum

esse legem confit ex testimonio quoque pervetusti apud Germanos auctoris [2]) non minus, quam moribus Siculorum, quos sua apud Transylvanos solitudo adversum peregrinas consuetudines tuebatur diutissime.

---

dignitatem — maritatis". Testamentum C. Behich a. 1220 (III. v. 1. p. 303): „Si mater de vino illius vineae poterit eis vestes comparare, quemadmodum filiabus talium nobilium; sic vinea remanebit Dominae" cet. Adde his Styli Cancell. Mathiae Corv. per Kovachich editi literas p. 279 num. 214: „ipsam Dominam lectisterniis, vestibus et aliis ornamentis et rebus dotalitiis, prout et in quantum ex tanta et tali domo ac familia licuisset, dotare nequivisset". Atque hoc illud est Verbőczii I. tit. 67. § 2.: „honeste filias nuptui tradere".

[2]) Chron. de nuptiis Belae jun. a. 1261 apud Hormayr o. c. ad a. 1820 p. 224: „Wenn man die Gewohnheit hätte, wie in Ungarn, wo Kleinodien und Jungfrauengut nach Länderwerth abgeschätzt werden, so hätte man die Fürspange der Holdseligen wohl zween grossen Landen gleichstellen können".

III. De cautione securitatis Jurium avitorum.

§ 11.

a) facta fratribus haec redimendi copia;

In communi haec aestimatione sita [1]), ista autem erat hujusmodi, ut quem proximus divisionalis frater, quinquies centenis nummis vendidit agrum, alter redimere numeratis nummis triginta posset [2]). Tantum est, nihil praeterea, quod de lege dicam, quae ut principali scopo suo stirpes eorum conservandi, quorum virtute haec con-

---

[1]) De hac Verb. P. I. tit. 133, 134 prolixe disserit.

[2]) Sententiam hanc Palatini, exempli causa allatam vide sis C. D. IX. v. 6. p. 93. Est haec ei penitus similis, quam superius citato Reg. Varad. n. 130 Rex cum Principibus tulit.

dita patria est, omnes alias utilitatis publicae rationes posthabuerit; tamen defendi facilius, quam haec posteri temporis sapientia potest, quae dum vendi bona tanti, quanti possunt admittit, eademque renumerato aere inhaerente etiam seculis post redimi patitur, nec conservationi familiarum consulit, nec industriae subvenit; quid igitur? tam exili, quam nullo prope earum commodo, gravissimis hanc premit compedibus.

§ 12.

b) antiquissima agro per Reges donatos, in hujus possessionem convocatis vicinis et commetaneis per hominem Regium mittendi consuetudine

Ad cautionem haec pertinebat, ne quid per donationes Regum legitimis aliorum juribus decerpatur. Usu itaque venit, ut per Regem donatus fundo, in possessionem hujus, convocatis vicinis et commetaneis, horumque in societate ac comitatu peragratis prius finibus per hominem Regium (Pristaldum) solum antea [1]), deinde praesente etiam testimonio capituli [2]) mitteretur; secus namque Donatio nullam habuit vim juridicam [3]).

---

[1]) Implent probationem consuetudinis hujus literae Belae IV. de a. 1224, ut igitur regni nostri consuetudo exigebat, dictam terram et libertates praetaxatas, saepe dictis hominibus — per Praestaldum nostrum fecimus assignari. C. D. III. p. 467. — Jam in lit. Belae II. de a. 1135 Praestaldus nomine Douk memoratur, qui praedium Paztuh per d. Ladislaum Comiti Lamperto donatum coenobio de Bozok statuit II. p. 85.

[2]) Carol. Robert. a. 1321 (VIII v. 6. p. 55) „cum vir nobilis cet. conferri postulasset, nosque juxta bonam regni nostri consuetudinem ab antiquo aprobatam, volentes ex certa scientia procedere, in hac parte capitulo Ecclesiae cet. ut suum mitteret hominem, coram quo M. Jacobus, Aulae nostrae Notarius, Homo noster praefatam possessionem, convocatis commetaneis, et vicinis per veras et

antiquas metas reambulando praefatam possessionem statueret dicto cet.“ Ex his Tripart. Verbőcz. I. 32 et II. tit. 19, § 5 evaluit.

[3]) Carolus a. 1341 (VIII v. 7, p. 338) „Confirmatio Donationis privilegialis ad sui durabilitatem et perpetuationem irrevocabilem, metarum reambulationes et erectiones, cum Donatione praehabita continere debet, nec sine hac juridice esse potest“.

VI. Rex Salomon

ab anno 1063 — 1074.

§ 13.

Felix, dum concors cum patruelibus ageret;

Bela mortuo, cum filius ejus Geyza, modo natalibus et meritis suis congruens per Salomonem honor habeatur, beneficiis cum eo, quam armis certare se malle, Caesari denunciasset, hic Salomonem etiam tum puerum in Hungariam reduxit, per omnes lubenter, prolixeque acceptum, coronatumque iterum. Neque tamen diuturna haec animorum unio fuit, quod Salomon consilio Comitis Vid, quem tamquam Magistrum datum sibi audiebat, tertiam Hungariae partem cedere Ducibus cunctabatur. Res jam ad bellum spectabat, cui accinctis Ducibus Rex Poloniae Boleslaus copiis suis adjumento futurum se obtulit; opera tamen Praesulis Jaurinensis pax coaluit. Hujus fructus rebus per subsequum octennium adversus Bohemos, Cumanos, Bissenosque prospere gestis amplissimi; Tauruno tamen (Belgrado) deditione accepto, subita rerum secuta est conversio. Ansam Graeci dederunt, ut quorum plurimi duce Nicaeta in Geysae fidem, pauci se ad Salomonem contulerunt, quod per Vidum, jam provinciae Bácsiensi praefectum, impigrum eum quidem militem, sed hominem immiti ingenio regi constabat. Geyza, quos in fidem recepit, dividere cum Salomone reluctatus, sine litro omnes liberos dimisit; Rex vero eam in

spoliis dividendis inivit rationem, ut horum pars quarta sibi militibusque suis; tantundem Geyzae; recta vero medietas Vido et ejus genero obveniret. Moleste id Geyza tulit; Salomonem vicissim urebat vehementer factum Imperatoris graeci (Michael Lucas erat), qui Geyzam legatione, pactaque amicitia et missa, ex veteri gentis more, corona honoravit, quae deinde Sylvestrinae juncta nunc inferiorem constituit Diadematis regni Hungariae partem.

§ 14.

simul Vidum his praetulit placentia sed perversa suadentem; simul seque regnumque maximis involvit calamitatibus.

Exulcerata sic inter Salomonem Ducesque gratia, ille dolori suo impar, totum se Vido sanguinolenta ad oprimendos hos consilia agitanti dedit. Ad Nissam is conata ex insidiis exequi meditabatur; sed quum de animo ejus satis exploratum esset, ea per Duces et tum et alias adhibita solertia est, ut Vidus de Imperatoris securus auxilio, rebus in Hungaria ad civile incitatis bellum, apertoque Marte magis confideret. Visaque est fortuna consiliis ejus arridere; pugna enim ad Tibiscum pugnata, eum exitum habuit, ut Vidus honores, ditionesque Ducum, tamquam certam jam victoriae mercedem animo occuparet; sed vero ludum illa more suo lusit; internecina enim, quam Ladislaus copiis Ottonis Ducis Moraviae (filiam hic Belae Ludmillam uxorem habuit) fultus, ad Vaczium ediderat, clades non eas tantum spes, sed Vidum ipsum abstulit, Salomonemque fugae se mandare coegit.

VII. Rex Geysa I.

ab anno 1074 — 1077.

§ 15.

Praefuit non diu, sed rara ea fortitudinis et modestiae laude, ut nunquam non in eo, quod ipsa sibi praestat virtus, praemio plurimum collocaret.

Geyza lustrico nomine Magnus, communi licet Ordinum Hungariae consensione anno **1074.** Rex proclamatus esset, Ducis usus titulo mereri, quam gerere coronam, curamque libertatis ac salutis publicae, quam regii Principatus prae se ferre indicium hactenus maluit, quoad haec ejus modestia componi se cum rationibus autonomiae regni pateretur. Et per id quidem tempus omne, quo ei negotium cum Henrico IV. Imperatore intercessit, Ducis egit nomine, ut quam hic ex pacto cum Solomone inito, sibi fecerat Hungariam juribus imperii germanici, munitissimas vero sex urbes ditionibus suis adjiciendi spem, qua pacis, qua belli artibus, everteret. Idem coronam, titulumque Regis (**1075**) sumsit, dum praesenti libertatis patriae adversus Caesarem periculo defunctus, aliud, unde minime exspectaret, huic imminere, Gregoriumque VII. Pontificem Maximum non obscure dominum se Hungariae ferre; eum vero Ducis tantum dignari titulo intelligeret. Praefuit hic regno non diu, sed ea virtutum laude, ut cum faustissimum omen nominis M a g n i, judicio omnium, expleret cumulatissime, uni sibi non satisfaceret. Cognito namque novas Salomonem res moliri, consilium adiit longe maximum; ne enim regnum intestinis bellis conflagraret, utilitati publicae suas posthabendo rationes, regia se dignitate abdicare constituit. Sed de re hac cum Salomone agitantem mors humanis exemit.

VIII. Rex Sanctus Ladislaus

ab anno 1077 — 1095.

§ 16.

Rex electus

Esse, qui praesit, opus erat; universis itaque sufragiis Rex jussus, clavum reipublicae capessivit; a solenni coronationis ritu abstinuit. Quid in ceteris quoque muneris summi Principis partibus se dignum esset, verissimo sapientiae, integritatis, sanctitatisque morum suorum judicio aestimavit. Et exules igitur recepit, per Pontificem commendatos sibi, et vero damnatum per hunc sacrorumque interdictum communione Boleslaum Poloniae Ducem sanguine sibi junctum benigne liberaliterque habuit, et a morte ejus, filio alterum se patrem praestitit.

§ 17.

Coronam non ante, quam inter se et Salomonem convenisset, suscepit.

Hunc Gregorius VII. mox primis, quas ad eum dedit literis, Regem salutavit, neque eo minus in proposito suo coronam recusandi Ladislaus perstitit. Hanc itaque anno demum **1081** suscepit, quo Ordinibus regni arbitris ita inter eum et Salomonem conventum, ut huic sumptus ad regalem magnificentiam suppeditarentur; suprema autem potestas pleno jure apud Ladislaum esset.

§ 18.

Bella ei plura, quibus non modo interfuit, sed, qua Dux, praefuit omnibus;

Hic cum compertum haberet, ad res bello prospere gerendas plurimum momenti Regis adferre praesentiam,

exercitui ipse praefuit semper et quia nunquam arma sumsit, nisi justa causa, id consecutus est, ut nunquam ea poneret, nisi victor. Et Syrmium itaque transsavanum et urbes Istro adsitas, quae defectionem ad graecos moliebantur, usque Nissam promoto exercitu, ad obsequium revocavit. Et Cutescum Principem Chunorum, quem Salomon inita nuper pace abrupta, ad invadendam cum maxima suorum manu Hungariam persuasit, in finibus Marmaticis gravi adfectum clade perdomuit, alias deinde Cumanorum copias, qui ductu Kopulcsii Transylvaniam; mox agrum Bihariensem et regiones ad Tibiscum vastabant, fudit, dataque captis optione, Christi profiteri nomen, an servire mallent, cum plurimi primum elegissent, plagas his ad Tibiscum et Zagyvam incolendas assignavit.

§ 19.

Armorumque felicitate gloriam fortitudinis Hungarorum perpetuis victoriis, Territorium Croatia auxit.

Finibus regni, qua his per Polonos Bohemosque decerptum, redintegratis territorio Hungariae a. 1089 Croatiam adjecit. Ansam rei gerendae factiones, quibus adflictae a fatis Zwoinimiri sine haerede obeuntis, res Croatiae post mortem Stephani II. in anarchiam propellebantur, uniusque ex optimatibus preces suppeditabant, qui tyrannide popularium vexatus opem Ladislai implorabat. Haec ad ansam, oportunitatemque rei gerendae; nam de re, causaque ipsa, quae tanti fuerit, ut Rex a laude justitiae toto orbe celebratus, non ad componendam, sed subjungendam Hungariae Croatiam duceret, inter scriptores discrepat. Mihi eorum probatur sententia, qui initium Hungarici in partibus his juris ab aetate Ducum arcessunt. Enimvero hoc sacrarum literarum monitum: „Non transgredieris terminos Patrum tuorum,“ si cui Regum aliquando, Ladislao quidem pro lege fuisse uno omnium ore scriptorum confirmatur, ac per Thomam Archidiaconum Spalatensem maxime, qui ita de subjec-

tione hac refert, ut non solum armis Victorem eum strenuum, sed religione et sanctitate insignem testetur. Non itaque ad augendam, ut verbis eorum utar, sed redintegrandam juris suis mensuram profectus cum exercitu Ladislaus, superatis, quas ferreas vocant, Alpibus, consertisque praeliis aliquot, partem Croatiae mediteraneam in potestatem suam redegit.

§ 20.

Huic Almum praefecit Ducem; proximumque ab hoc Magistratum porro quoque Banum constituit, et condita Zagrabiae Episcopali sede Praesulem nominavit ipse;

Moderandae provinciae huic Almum deinde, ex Geyza fratre nepotem praeesse jussit, et quae antea Bani fuerat potestas, hanc non modo confirmavit, sed Magistratui Palatinorum in Hungaria adsimilem esse voluit. Ecclesiam Zagrabiae condidit honoribus d. Stephani a. 1087 sanctorum numero adscripti dicatam, adjectaque huic sede Episcopali, primum hujus Antistitem Duh linguae Croatarum, quorum pars magna nondum christianis initiata sacris fuit, gnarum, pro supremo jure patronatus Regum Hungariae constituit.

§ 21.

cum juris sui Regii praecipuam semper habuerit rationem.

Sub idem tempus Gregorius VII. ad resecanda, quibus viri religione sacri per legitimum matrimonium civili simul potestati alligabantur, vincula, hierarchiamque per ecclesiam occidentalem, novo copulae genere constringendam, Decretum de coelibatu sacerdotum edidit. Quid de hoc Ladislaus senserit, et ex lege in hanc per eum condita sententiam, ut conjugia per presbiteros ad id usque tempus inita, porro quoque salva sint, et maxime

inde patet, quod ex decem, qui Synodo aetate Colomanni celebratae coram aderant, Episcopis nonnulli; ex presbiteris quidem plerique conjugati fuerint omnes [1]). Idem contra Antipapam Clementem III. partes Victoris III. rite electi Pontificis tuitus, causae religionis nunquam defuit; Pontificum autem mandatis non omnibus subscripsit; quod nefas duceret, agere quidpiam, in quo ei muneris sui regii ratio non constaret. Ad ea igitur, quae hi praeceperant, suum et ipse judicium adhibuit, consensitque in utramque rempublicam oportuna decernentibus, non servivit. Quo itaque valeant illa Urbani II. ad Colomannum regimen auspicantem: „jam diu regnum tuum ab Apostolicae sedis obedientia descivit" non me oportet prolixius disserere.

---

[1]) Quam parum res haec in Hungaria processerit, vide sis lit. Innoc. PP. de a. 1198 et Decretum Syn. Vratislav. a. 1265 celebratae, quod Bela IV. per se adoptatum pro lege publicari fecit. Apud Kat. T.VI. p. 442.

§ 22.

De Legibus scriptis d. Ladislai

De solemni Curia s. Stephani ad festum B. Virginis Coelo receptae apud Albam celebrata annue, dixi suo loco, maximaque cum voluptate. Accessit huic alia cumuli instar longe gratissima, quando de more illo, justitia et aequitate s. Ladislai in perpetuam adducto consuetudinem, et Regalibus hujus ad diem illam Judiciis comperi [1]). Praeter annua tamen haec, habuit is alia item Comitia plurima. Decreta trium compilator incertus, partim iisdem, quibus leges singulae conditae sunt, verbis [2]) reddit, partim ut rem gestam narrat ipse [3]). Id tamen vel ex his talibus ejus collectaneis tute intelligas: Ladislaum et in modo condendarum cum populi testimonio legum d. Stephani secutum consuetudinem, et ex com-

mendatis per eum fontibus sumsisse plura, ad christianam, bene recteque vivendi disciplinam accomodata.

---

[1]) LL. ejus L. III. c. 3 apud quemcunque aliqui civium vel illorum, qui dicuntur Ewrek, vel servi detinentur, in assumptione S. Mariae Regi praesententur. § 2 Veniant et illi omnes, qui dicuntur Wzbeg ad curiam in eadem festivitate, et secundum quod Regale Judicium ordinaverit, postmodum ratum permaneat.

[2]) Udvar — Bíro proprie Comes Curialis est; illi generico nomine Comes Palatinus vocatur. Castra, parochiae — provinciae, Hungaris Megye, illi Civitates dicuntur, cet. Cujus vocabuli usus hic non is quidem insolens, sed vel aetate Compilatoris hujus infrequens fuit.

[3]) Hoc decreverunt cet. I. III. Decr. init.

§ 23.

ad politica pertinentibus instituta,

Has etsi disjunctas temporibus, cum tamen suapte natura cum legibus d. Stephani cohaererent, cum iis simul dedimus. Promissae itaque brevitatis admoniti fide Constitutionibus ejus: de Palatino Comite, [1]) de Judice; Legique de Sigilli missione ex Capitulari II. Dagoberti Regis Francorum, sive uti apud Baluzium inscribitur, lege Alemannorum sumtae, non immorabimur diutius.

---

[1]) Ex Commentariolo Prayi de veteri Palatinatus provincia his admodum diebus vulgato apparet: maximi nominis virum hunc, qua in aetate anonymi Belae R. Notarii, eadem in eruendis primi hujus regni Magistratus initiis usum esse fortuna: secunda primum, quando in Commentariolo hoc Cl. Schwarczii de nativo hoc Hungarorum instituto sententiam laudat; adversa deinde in Not. praev. ad Hist. Regum, quarum p. LXIII. Imperatorum orientis Comitem palatii, et orientis Curopalatem videre sibi in Palatino Hungariae videtur. Fortunam mecum accuso viri, pag. quoque Comm. hujus XVII, XVIII. donationem Andreae II. (C. D. III. 1. p. 396) ad s. Ladislaum referentis; non industriam, quae in eo fuit singularis.

§ 24.

speciatim ea, quae de Cursoribus publicis (vernaculo proprioque Hungarorum instituto) agit.

Quod per orbem Romanum ab Octaviano Augusto constitutum est, vehicularium munus, Procopius Caesariensis per Justinianum Imperatorem alibi usu lintrium incerto, tardoque, si tempestas ingrueret, inconsulte commutatum, penitusque sic neglectum queritur, ut quae in provinciis gererentur, sero et post factum innotescerent, dum jam adhibendo locus remedio non esset.[1]) Apud homines nostros institutum Cursorum publicorum tum maxime viguit, semperque pars erat curae finium, qua nihil unquam habuerant antiquius. Stabula Romanorum publica aspernati, [2]) negotium hoc equitibus mandebant hac instructis potestate, ut equum fatigatum cum alio, cujuscunque is domini esset, permutare in itinere equo possent. Morem hunc, quia necessitatis publicae commendabatur ratione, d. Stephanus probasse, aut saltim non reprobasse videtur. Ladislaus lege temperavit ejusmodi, equum ut ultra tertium ducere vicum seu stationem nefas esset; nec ab iis, qui ad Eclesiam aut Episcopum vel Comitem proficiscerentur, Praesbiterisque et Clericis liceret accipere [3]).

---

[1]) In hist. arcana ed. Lugd. p. 49, 130 seq.

[2]) Equos, in his qui alebantur, ad injiciendam itineri moram facile reddi potuisse inutiles ex Zosimi Hist. l. II. intelligas.

[3]) Cap. 28. l. III.

§ 25.

De legibus ejus ad corrigendos mores

In Decretis d. Ladislai duo maxime notantur delictorum genera: furtum, commune olim Scytharum, La-

cedemoniorumque [1]) et aliorum ut maxime bellicosorum populorum vitium, a quo jam ne viri quidem sacerdotio auctorati abhorrebant; prava item superstitio juxta puteos, vel ad arbores, fontes, et lapides sacrificandi, populis originis germanicae propria, quae licet jam olim Capitularibus Caroli M. castigata [2]), eximi animis eorum non potuit. Paenae per Ladislaum constitutae legum decemviralium apud Romanos acerbitatem spirant; [3]) Ladislaus ipse a mansuetudine animi, naturali hoc stirpis Arpadum bono, et Clementia, qua severitatem judiciorum temperavit, per scriptores omnes laudatur. Unde facile est conjicere: leges eas de tam immodico suplicio, non tam pro norma judiciorum, quam ad id efficiendum conditas, ut ipso earum terrore, homines maleficiis submoverentur.

---

[1]) Gelli. Noct. Att. l. I. c. 38 et multo antiquissimo Thucididis (l. I.) testimonio, cui causam subjungit „quod hoc facinus nondum ignominiam haberet; immo vero nonnihil gloriae potius afferret.“

[2]) Capitulari Car. M. Aquisgran. a. 789 c. 63 „Item de arboribus vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus et Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur et destruatur.“ Hoc excepit aliud Ludovici pii L. VII. c. 316 comprehensum. Quae parum diligenter inspexerunt historiographi, qui ad coercendum vitium hoc conditae per s. Lad. l. I. Decr. cap. 22 legis causam in Hungarorum quaerunt moribus.

[3]) Vide l. II. cap. 2. de furto servi primum naso mutilandi, si repetierit, suspendendi; c. 12 de libero vel servo in furto capto, si anserem vel gallinam furatus fuerit, uno oculo privando. L. III. c. 8 de furibus liberis pro re decem denariorum omnibus bonis, oculo pro minori furto privandis cet.

§ 26.

comparatis.

Lege s. Lad. in adulterio uxores deprehensas jus fuit maritis necare. [1]) Nimis quam prisce sentire videar, si in hac laudanda multus sim. Tantum itaque dico: quae de lege hac Romuli, Gellius verbis M. Catonis refert, [2]) placere mihi vehementer.

[1]) Lib. I. cap. 13.
[2]) Noct. Att. l. X. c. 23.

§ 27.

De sepulchro d. Ladislai.

Haec de d. Ladislao dum inter mortales ageret; tantum enim inter hunc et plerosque alios Reges interest, ut horum vitam solum nosse Instituti hujus referat; Ladislai ne sepulchrum quidem praeterire silentio liceat. Obiit is XXIX. Julii 1095, non sine maximo Principum Christianorum luctu, qui eum ob praeclarissimam virtutis bellicae famam, cruce signati exercitus Imperatorem paullo ante designarant; domi vero tanto sui desiderio relicto, ut cum nemo unus Pater obsequentiores liberos, ac ille populum universum haberet, quam flagranter ipse egit, ut d. Stephano in numerum sanctorum relato virtutes ejus in conscientiam orbis terrarum efferrentur; tam impense deinde contenderent, quiqui nomine hungarico censerentur, omnes, ut aris Ladislaum templisque colere et tamquam alterum publicae salutis Praestitem invocare bello possent. Vexillum ejus rubrum inter clenodia regni Albae repositum, [1]) et qui apud Romanos columnae Julii

[1]) De quo Thur. II. c. 57 primus vexillo rubro impetum fecit in castra Cunorum.

Caesaris a plebe [2]) habebatur honos, ut apud hanc controversiae quaedam deciderentur, hujus similis omnium Ordinum universaeque gentis piissima consensione sepulchro Ladislai assertus cultus est, fuitque fides nuncupati isthic jurisjurandi quodammodo sanctior, cum illud non tam ad sepulchrum, quam ad ipsas sanctissimi Regis nuncupatum manus reputaretur.

---

2) Plebs, ait Svetonius, solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit scripsitque „Parenti patriae" apud eandem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam, interposito per Caesarem jurejurando, distrahere perseveravit.

LIBER SEXTUS.

GLORIA REGIMINIS COLOMANNI

EJUSQUE ET STEPHANI II.

TEMPORA.

Ars prima regni est: posse invidiam pati.
Seneca in Herc.

Solemque suum, sua sidera norunt.
Virgil. Aen. VI.

IX. REX COLOMANNUS

ab anno 1095 — 1114.

§ 1.

Geyzae filius, amplissimis a natura et industria,

Filius fuit Geyzae, quod literas assiduus coleret, vulgo Könyves Kálmán dictus. Hunc Albricus in sua ad Archipraesulem Strigoniensem Seraphinum epistola Christianissimum, columbinae Regem gratiae, omnique virtutum discretione praeditum; Godofredus Abbas Zoboriensis gloriosissimum, quem Deus inaestimabili temporalis et aeternae gloriae sanctitatis gratia [1]) perfudit, victoriosissimum, et rursus plenum gratia et piissimum; Magister Rogerius sanctum, omnes itaque singularem quasi de caelo hominem apellant. Quo minus ferenda est, ea anonymi Thuroczii a temporibus his seculorum intervallo remoti vecordia, credulitasque Bonfinii commentis illius fidem adhibentis [2]), ut tamquam aliquod hominis

---

[1]) Piissimus in d. Stephanum Protoregem Hartvico, ut vitam ejus describeret, auctor fuit. Ita Hartvicus ipse: De necessitudine inter Colomannum et s. Joannem Traguriensem vide plura apud Farlatum T. IV. p. 313.

[2]) Confutarunt hos Cl. Xystus Schierius et vel inprimis Cornidesius, in Dissert. qua Reg. Hung. sec. XI. genealogiam ab objectionibus Gánoczii vindicat. Hoc praeeunte Katonaius quoque (vide Epitomen ejus rer. hung. P. I. p. 250) Colomannum praeclarissimum Principem et incomparabilem Regem vocat. Hi ambo,

monstrum describerent Regem, quem amplissimis a natura et industria ad principatum dotibus adornatum formae damna, si quae habuisset etiam, ingenio, magnitudine consiliorum, rerumque gestarnm gloria large rependisse dicere debuerant [3]).

si Stephani II. de a. 1124 Diploma monasterio b. Benedicti de Gron collatum videndi copiam nacti fuissent, ut erant veri studiosissimi, Colomannum, juxta cum laudato sibi Gaufredo Malaterra, Chronographo item Thuroczii et Simone de Kéza et Chronico Posoniensi, Cosma Pragensi ordinibus sacris, Rege Colomanno, in Hungaria initiato, plurimisque testibus aliis filium scripsissent Geyzae I. et non ei cum auctore confictae ad Thomae Archid. Hist. Salon. notae s. Ladislaum adscripturi Patrem erant.

[3]) Tantus ille graecae latinaeque linguae populis Agesilaus laco, quantulus per deformitatem corporis esset, si horum similes ei auctores obtigissent. Qui dum magnorum virorum laudes corrumpunt, eodem scelere praecipuis patriam spoliant ornamentis suis, nec in ultima causa sunt, ut scriptores posteri, qui ab iis diversa et majora docent, nimii in Majores studii et adulationis per quosdam postulantur. Quanto aliter haec apud populos eos, hac quoque fortuna principes, quod ita de priscis Regibus Heroibusque suis memoriae proditum acceperint, ut non in comparanda his justa fama elaborandum, sed ne quid propagatis ad se amplissimis eorum laudibus detereretur, curandum per scriptores inferioris aetatis esset.

§ 2.

ad repraesentandam justi,

Jam primum enim, quod scriptores ii Colomanno succensent, decretam Concilio claromontano militiam sacram aditu Hungariae per eum prohibitam esse, ab omni historiarum fide abhorret; nemo enim jam dubitat quinque hujus agmina iter per Hungariam fecisse, ad modum disciplinae, quam prae se ferebant, per Colomannum habita. Et Valterum quidem et Petrum Eremitam cum suo singulos agmine benigne accepit. Hoc tamen ejus beneficium

per copias has, omnem hominum, nec virorum tantum sed mulierum quoque viros habitu mentientium sentinam secum trahentes, gravissimis ad Moravam et rursus ad Malamvillam (Semlinum) editis facinoribus pensatum est. Quae ille jure execratus, tertium Godeschalci agmen, quod inter Mosonium montemque Pannoniae omni flagitiorum genere late grassabatur, in campis Oelediensibus poene totum interfecit, jureque in copias etiam Emiconis Comitis Rhenani, sed qui ipse omnium per hos patratorum maleficiorum particeps et incensor habebatur, animadvertit, quod aditu Hungariae prohibiti castrum Ovariense obsidere non dubitaverunt. Haec Colomannus cum Cruce signatis, quorum immanitate adflicti Germani omne jam institutum hoc militiae sacrae, velut insano et frivolo susceptum consilio, detestabantur. Quarto agmini, cui Godofredus Bullionius praefuit, per fratres suos Balduinum et Eustachium aliosque nobilissimo apud Francos, Lotharingos, Germanosque genere natos comitatus et causam suae illius severitatis et hospitalitatem hungaram Colomannus ita probavit, ut qui de rebus his apud exteros prodiderunt, et aequanimitatem ejus et liberalitatem maximis laudibus efferant; Wilhelmus denique Comes Pictaviensis, et Welfo Bavarorum Dux, indultu Colomanni Hungariam cum sexaginta supra centum millibus cruce signatorum, a. 1101 emensi sunt, nullo quidem locorum, qua iter fecerant, damno, maxima tamen ea Colomanni molestia, quod hunc, ne officiis hospitalitatis curaeque securitatis suorum deesset, medium victoriarum in partibus maritimis abrumpere cursum oportuit.

§ 3.

legitimique imperii imaginem adornatus.

Alterum, quod obtrectatores Colomanno improperant, ad succisas, uti obtendunt, Cleri opes pertinet. Atque hic ille dolor est, qui eorum de Rege hoc judicium ita pervertit, ut paullo ante memoriam nostram Péter-

lius Colomannum non incommodum aliquamdiu Principem, postea discessisse a semetipso, et sera tandem morte lachrymis votisque populi satisfecisse scriberet! Partem opum: pistrina (molas) et piscinas, quas Reges modum munificentiae d. Stephani supergressi, non tam necessitatibus, quam aviditati et importunis aliquorum de Clero precibus cesserant, recepit Colomannus; non privato arbitrio, sed senatorio totius regni decreto [1]); Capitulari Francorum de a. 846 non tantum simillimo, sed gemello plane [2]); quod indignum videretur hos rerum ad

---

[1]) Praefatio Albrici § 11. Nil de hac Chronographi illi, Capitulare vero Caroli calvi in villa Sparnaco de a. 846 (Baluzii T. II. p. 31) cui lex haec superstructa est, penitus ignorabant. Videtur nobis — ita Ordines Francorum — utile et necessarium, ut fideles et strenuos missos ex utroque ordine per singulos Comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient, quae tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vasallorum dominiorum beneficiis fuerant, et quid vel qualiter aut quasnam ex inde quisque modo retineat, et secundum veritatem renuncietur vobis. Et ubi inveneritis, quia ratio et utilitas ac ordo seu veritas in absumptis vel donationibus habeantur; in statu permaneant; ubi autem irrationabilitas vel potius fraus inventae, una cum consilio fidelium vestrorum, hoc taliter corigite, ut ratio atque utilitas seu justitia non deserantur, et dignitas vestrae Magnificentiae per necessitatem ita vilis non fiat; sicut vos non decere cognoscitur; quoniam domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde meritis respondere, et indigentiae solatium ferre possitis et sic demum resp. vestra de suo sufragetur sibi, et Eclesiae, a quibus non expedit, habeantur immunes. De simili monasteriorum in Hungaria conditione locus est commemorabilis apud Péterf. ad caput XIII. l. II. Decr. s. Steph. sub X.

[2]) Col. Decr. L. 1. cap. 15: „Quia eo minus videtur valere Curia, quominus suppetunt necessaria; ne nostra abundantia nimis superfluat penuria: placuit omnes pistrinas, praeter quas s. Stephanus donaverat, solio Regali reddere; quia indignum erat nobis recedentibus, Curialem nobiscum honorem recedere, ubi praestat nos et

usum necessariarum nimis quam divites, Curiam Regis, dum provincias obiret, inopem esse; cetera Regum illorum dona intacta [3]): imo vero de tributis et vectigalibus regiis, ut tertia Comitibus parochianis, ita Episcopis decima decreta [4]); id enim, ut Episcopi de quarta duntaxat opum per se acquisitarum parte disponendi facultatem habeant, reliquum in bonum eclesiae finesque pios convertere teneantur, synodus auspiciis Laurentii Archiepiscopi Strigoniensis circa a. **1112** celebrata, in perpetuam aequitatis Pontificum Hungariae aevi illius laudem constituit.

---

enientes copiam honoris invenire. Ibidem cap. 16. Similiter decrevimus piscinas monasteriis et eclesiae datas, alias quidem reddere, ed necessarias quotidiano fratrum usui relinquere, nullas vero, iisi superfluas, aufferre.

[3]) Multo itaque est lex haec Hungarorum, quam illa Francoum liberalior.

[4]) l. I. cap. 25.

§ 4.

inibus ditionum Hungaricarum ad Dalmatiam prolatis,

Colomannus strenuus, ut nunc admodum vidimus, urium coronae vindex, Petrum, Banus fuerat Croaiae, fide abrupta, res novas molientem ferebat eatenus uoad ipsum cura tuendae adversum expeditiones cruce ignatorum securitatis publicae domi retinebat; mox enim, tque ab hac parte otium nactus est, nihil habuit antiuius, quam ut injuriam tam atrocem armis vindicaret. lo itaque caeso, et quod ex mediteranea Croatia decesit, recuperatum, et continuato victoriarum cursu [1]) Dal-

---

[1]) Thomas Archid. Spal. Hist. Salonn. c. 17: Colomannus oposuit totam terram usque ad mare Dalmaticum suo dominio bjugare; venit ergo cum multo armorum apparatu et obtinuit ce-

matia Hungariae adjecta annis 1102, 1103 [2]). Primi s
in fidem Colomanni contulerunt Spalatenses, consili
Crescentii Episcopi, qui pro Rege de juribus civium con
firmandis sponsorem se praestitit. Fidem Colomannu
rite exsolvit, pactisque juramento utrinque firmatis, post
quam in easdem conditiones cum Tragurinis quoque e
Jadrensibus convenisset [3]), regio diademate Belograd
incinctus, Regis Croatiae et Dalmatiae titulum a. 110
sumsit; limitibusque regni ad Narentum usque, in quen
Rama influit, prolatis, Ramae quoque Regem se scripsit
Almo fratri, amplissima per Hungariam ditione, Duci
titulo cessa.

---

teram partem Slavoniae, quae a Ladislao fuerat praetermissa; itaqu
ad mare usque pervenit, ut civitates maritimas occuparet.

[2]) Farlat. in vita b. Joan. Trag. Illyrici sui sacri, T. IV. p. 313
Colomannus venit, ut regnum sibi subjugaret illyricum; Croatia
gentibus jam subactis.

[3]) Pacta haec et in fidem eorum confecta immunitatis privile
gia Thomas Archid. c. o. disserte memorat; de Croatis nullum ne
que pacti, neque privilegii cujuspiam exstat apud eum vestigium
Exemplo nihilominus Historiae ejus per celeberrimum Schwandtnerui
inter Script. Majores rer. hung. T. III. edito literae adglutinatae sui
in pacti compilatae speciem, sed pridem, et eruditissimi collector
hujus et aliorum multorum bonorumque auctorum confossa senten
tiis. Ex quibus ea decretoria est, quod commentum hoc Coloman
num, quem jam non Chronicorum tantum, sed Diplomatum quoqu
fide Geyza I. natum esse constat, s. Ladislao filium apponit.

§ 5.

Quae olim futura essent commoda maris magno com
plexus animo,

Colomannus postero quoque tempore semel atqu
iterum ad maritimas oras artibus Venetorum ad defe
ctionem solicitatas revertit. Quanta namque olim die

allatura esset commoda maris, Rex, ut erat perspicacissimus, ratione repraesentavit sibi, aetatique ad haec utenda olim idoneae, ut hoc quoque medio securitatis provideat, Rogerium, qui Normannis maritima Apuliae litora et Siciliam colentibus praeerat, bello navali cum Graecis et Venetis inito clarum, foedere sibi adjungendum statuit, filiamque ejus Busilam conjugem petiit, accepitque [1]).

[1]) Sunt tamen, quod jure mireris, Scriptores quidam domestici, hoc qui Colomanno fines Hungariae ad mare proferendi consilium, velut ex quo plurium deinceps cum Venetis bellorum necessitas manaverit, vitio dent, neque se in hunc Hungariae Themistoclem (Thucid. l. II.) peccare putent, quando id in eo reprehendunt, in quo Ludovico M., praecipua cum contentione elaborasse, communi gentium omnium judicio summae gloriae fuit. Hunc igitur sapientiae gradum scriptores ii teneant sibi; nobis singularem nostram in maximos hos Hungariae Reges, hoc quoque nomine pietatem permittant, quod in ea bellicae suorum virtutis praestantia, hos mari non minus, quam terra potentes, fructuumque participes esse voluerunt, quos usus illius ad explicandas simul proferendasque soli patrii opes adferret.

§ 6.

Urbes maritimas singularibus excoluit privilegiis, consilio sane quam sapientissimo.

Qua tamen maxime probabili arte animi oras eas accolentium regno Hungariae devinciendi essent, consilio posteris praeivit sapientissimo, quando Tragurinis [1]) perpetuam tributorum immunitatem pactus, vectigalium, quae per exteros penderentur, duabus partibus sibi servatis, tertiam urbis Comiti, decimam Episcopo cessit. Jus et hunc

[1]) Lucius l. III. c. 4.

et illum eligendi populo addixit; confirmatione sibi successoribusque integra; cavit praeterea, ne quis civibus invitis figere in urbe hac domicilium, imo vero ne tum quidem, dum Rex coronandus aut, communi consilio, regni tractaturus negotia adveniret [2]), cogi civis quisquam ad cedendam domum possit. Quibus propositis, suum jam cujusque esse judicium velim, an nomine Colomanni tacito, scribi historia municipiorum Europae aevi medii vere possit? sin autem memoretur: quo illud supra Reges alios ponendum loco sit? [3])

[2]) Farlatus Illyr. s. T. III. p. 165. T. V. p. 236.

[3]) Confer Hallam o. c. I. p. 247 cet.

§ 7.

Jurium suorum tenacissimus.

In regio Principatu ita obeundo, ut nullum praetermittatur diligentis et ad beatam civium vitam apti imperii officium, plus Colomanno Regum coaevorum nemo vidit. Nihil itaque certius, quam quod communis scriptorum patriorum sententia tenet, Martinum Polonum procul a re vera aberrasse, dum Colomannum ad monitiones Paschalis II. per literas renunciavisse perhibet investituris Episcoporum et aliorum Praelatorum, quas usque ad huc Reges Hungariae facere consueverunt [1]). Formula renunciationis, quae auctorem hunc non satis alioquin luculentum, ad conjecturam hanc duxit, actis Concilii Guastallensis a. **1106** celebrati, subnexa, sine die et consule est, cui nimis quam multum honoris tribuas, si eam, uti est, verbis nihil plane certi significantibus concepta, Colomanno apparatam dixeris, ut ea acceptata aliquam saltim plausibilem resignationis ederet speciem. At vero ille post annum quoque **1106** et quum

[1]) De his vide sis Kollár Hist. Dipl. Juris Patr. Reg. Hung. et Pray Hist. Reg. Hung. p. 168.

biennio post pro Tragurinis [2]), anno vero **1111** pro Arbensi eclesia privilegio disposuit, et alias egit plurima ejusmodi, quae renunciationem illam intra sola tantum verba stelisse ostendunt.

---

[2]) Privilegium his concessum, ex quo cetera Regum Hung. privilegia normam sumsisse Lucius (l. III. c. 4. p. 187) recte observat, et is et Farlatus (Illyr. sac. T. VI. p. 323) vulgavit; verba hujus, quae ad rem praesentem faciunt, sequentia sunt ,,Episcopum vero aut Comitem, quem Clerus et populus elegerit, ordinabo" — Libertatem hanc per patrem stabilitam confirmat Steph. II. a. 1124 (apud Luc. l. c.) Geyza vero II, ipsa Colomanni retinet verba: Episcopum vero ect. in Dipl. a. 1143 (rectius a. 1142) apud Farl. T. III. p. 174. Katona Hist. Crit. T. III. p. 545.

§ 8.

Jura populi sarta tecta aequitate sua conservavit.

Legem apud Hungaros esse, quod Regi, communi concilio, placet, capite I. libri I. Decretorum suorum praefatus, fidem Albrici, qui senatoria totius regni Decreta, Regni Principes congregatos, totiusque Senatus consultum loquitur, cumulatissime exolvit. De pacto a. 1103 cum Vitali Michaele Venetiarum Duce inito, ultro professus est ,,minus firmum hoc fore, nisi ei totius regni (Senatus nempe illius) voluntas accesserit" [1]). De hac igitur illi addenda communi itidem Concilio egit, et quia non alia sibi, quam quae populi simul essent, commoda quaesivit, Institutum hoc non in Hungaria, sed, quod vidimus, in partibus quoque Dalmaticis religiose observavit.

---

[1]) Literas ejus vide Cod. Dipl. VII. v. 4, p. 56 — ,,rati namque sumus hoc minus firmum fore si sine totius regni concilio factum esset quare nunc vobis, quod quaesiveratis, firmius totius regni voluntate — reddere curamus."

§ 9.

Instituta s. Regum ad praesentis cultus rationem, profectumque accomodavit.

Legum Colomanni libri duo ex hungarico in latinum conversi [1]) ad nos pervenerunt. Argumentum earum idem, quod legum s. Stephani et Ladislai; sententia haud modicum diversa; quod illae incipientibus ad profectum, hae altius jam progressis ad cultum datae sunt. Maximam eae partem ex capitularibus Regum Francorum et canonibus Eclesiae ad nos defluxerunt; coluitque principales fontes hos et Colomannus diligenter, institutaque patria ex his irrigavit; ast, praeter, quod hoc per eum factum est, novas leges condidit plures, quarum jam praecipua designare capita pergimus.

[1]) Praef. l. I. Decr. § 16.

I. In re judiciaria.

§ 10.

De instituto ejus synodali

Ex mente Colomanni, ante ceteras ejus leges, de instituto Judiciorum per Dioeceses, in quas Hungaria divisa fuit, quotannis, ad festum Apostolorum Philippi et Jacobi ac in octavis b. Michaelis apud Episcopum celebrandorum (Synodos Albricus, Conventumque Episcoporum et Comitum, Conciliaque vocat [1]) primum dicendum est. Ad judicia haec, et Abbates et supremi provinciarum Comites, et quiqui publici Magistratus alii, ipsique adeo Regis, Almique Ducis Ministri, etsi vocati sigillo non essent, comparere debebant [2]). Constitutionis hujus ratio-

[1]) Libri I. c. 2, 7, 8, 24, 64.

[2]) Ibidem cap. 2, 23.

nem lex deserte reddit hanc, ut cum Curia Regis, coram qua sola ex instituto d. Stephani, Comites majoresque Magistratus jure conveniri potuerant, praecipue ex longinquo sine molestia adiri nequiverit, facilior reparandae, si quae a potentioribus accepta esset, injuriae oportunitas laesis suppeteret [3]).

[3]) Quia populus noster magnis saepe tam viae, quam inopiae laboribus praegravatus, pro qualibet necessitate Curiam regalem adire non potest. Ibid. c. 2. Verba haec Colomanni, si cum literis servientium Regis de Zala saec. 13 exaratis contendas, et naevos veteris ordinis judiciarii, quibus Colomannus consulere constitutione hac perrexit, et calamitatum summam vides, quae antiquata deinde constitutione hac, revectoque veteri ordine illo judiciario, simul rediere.

§ 11.

Laudes Instituti hujus

Digna sane Rege, qui princeps ingenii Arpadum fuit, solicitudo, cui per legem hanc ita satisfecit, ut instituto eodem et populum adversus jus manuarium, tyrannidemque Olygarcharum aevi medii, ceu praesenti clypeo protegeret, et ad obtinendum aequabilem, quo Decretales Pontificum praeibant, in jure dicundo modum [1]), formandos denique confluentis ad congregationes has multitudinis mores, novam quodammodo palaestram aperiret. Qui in instituto hoc perquam salutari, affectati per Hierarchiam hungaricam in potiores judicii specimen videre sibi videntur, non vident id, quod clarissimum est: judicia haec propter connexa his gravissima descensuum onera, et Episcopis et populis eorum molestissima, — sanciri

[1]) Ita factum, ut voces: Actor, actio, renunciare actioni in Reg. Varad. (vide n. 116, 296, 358, 360, 386) formae item loquendi „ante litis cóntestationem" „lite contestata," uti has Literae Regum de a. 1263, 1266 adhibent, vulgo quoque innotescerent.

itaque lege iis tantum Ecclesiae hungaricae Antistitibus potuisse, qui cum cura per Colomannum delecti, officiique per sacros codices [2]) (his enim Colomannus, uti per se patet, institutum hoc superstruxit) descripti memores, omnibus rebus etiam cum molestia sua fini adeo salutari commodabant. Per successores horum ab ea virtute paulatim discessum; cumque hi a Regibus nihil peterent enixius, quam, ut ne congregationes aliquas celebrari intra fines ditionum suarum liceat, cum hoc illorum onere, ipsum etiam institutum hoc potentioribus ceteroquin invisum, non sine maximo populi damno, a fatis Colomanni, an mox? an tardius? exolevit.

[2]) I. Corint. VI. 4.

§ 12.

per quod auctoritati Curiae Regiae nihil decerpsit.

Legibus Colomanni, praeter judicia haec Dioecesana, Comes quoque Curiae Regiae, Judex item Palatinus, quod sui erat muneris exercebant, et hic quidem porro quoque causis pauperum praefuit [1]); si tamen majores Regis aut Ducis ministri inter se, vel cum Majoribus contendentes, ad judicium synodale venire detrectassent, Palatino facta potestas est, causam hujusmodi, cum comite provinciae definiendi [2]). Rex demum Regnum obibat, ut statum publicae rei ipse coram videret, et qua parte opus esset, mox succurreret. Et tum justitiae administrandae causa duos provinciales, parochiales (supremos) comites, esse a latere suo jussit, qui dissensio-

[1]) Confer. Col. l. 1, c. 12 „minores vero ante Judicem delitigent“ cum cap. 25 S. Lad. l. 3 „possit judex sigillum suum mittere super quoscumque exceptis presbiteris et clericis, nec non Comitibus, id enim est super minores.“

[2]) Ibid. c. 11.

nes populi aequitate judicii componerent [3]): ipsi, si de abusu officii postularentur, mox per Comitem Palatinum judicandi [4]), damnum, seu illud per se, seu homines (Pristaldos) suos illatum esset, praestare tenebantur [5]). Prisca igitur Curiae Regiae auctoritas, perstitit porro etiam, [6]) a synodis eo maxime distincta, quod ad has etiam sine missione sigilli; ad eam erga hanc solam Partibus, factaque a Judicis cujuscunque sententia provocatione, ipsi quoque Judici comparendum fuerat; omnis itaque haec Regis providentissimi de judiciis constitutio, ad eam, quae seculis post vulgo secuta est, causarum olim ad Regis Curiam pertinentium, inter plura tribunalia divisionem, viasque recuperandi juris spectabat planandas.

---

[3]) Ibid. c. 37.

[4]) Duo ex lege hac clarissime patent; unum, quod Comes Palatinus per Compilatorem legum harum eodem, uti S. Lad. l. 3, c. 3 sensu, pro Judice Curiae Regiae summatur; Comites enim Megales Regis solum, Comitisque ejus curialis seu uti Compilator dicere amat, Comitis Palatini suberant jurisdictioni; alterum: opinionem quorumdam, quasi lege hac Judices Nobilium, sensu recentiori intelligerentur, esse omnino erroneam. De quo alias plura.

[5]) l. 1. c. 31.

[6]) l. 1. cap. 23. Fugit lex haec Kelemenium meum; secus namque dicere nequiverat Hist. Jur. p. 93: „Judicia ex Curia Regis ad synodos fuisse translata“ praesertim, quod ex ipsis synodi Laurentianae sub Colomanno scitis pateat: Abbates, praetermisso Episcoporum concilio, causas suas directe ad Curiam Regis deduxisse.

II. Leges Colomanni, quae ad doctrinam moralem, religionemque faciunt,

§ 13.

partim in Comitiis,

Cave basilicas exspectes, aut monasteria seu opere splendida seu dote ampla. Haec Reges alii; de Colo-

manno, praeter adjectam Eclesiae B. Mariae Virginis Jadrensi turrim triumphalem, et templo magnae hujus Hungarorum Dominae Albensi donatum in provincia Simeghiensi agrum Zarozozoviensem, nemo hujusmodi quidquam prodidit [1]); viva hic excolere Dei templa, hominesque ad pernoscendam hanc generis nostri praestantiam ducere omni ope contendit, quod persuasissimus esset, ex hac demum radice virtutnm omnium civilium aeque ac moralium efflorescere officia. De lege ejus, qua suum cujusque probitatis sensum certissimum asylum, receptumque tutissimum pronunciavit, superius diximus. Addidit ad hanc aliam: de liberis, qui decem nati annos crimen patris in furto capti servitute et omnium rerum jactura adhuc luebant, infra quintum decimum aetatis annum impune dimittendis. De strigibus plures exstant, Stephani et Ladislai Regum leges; Colomanni una; sed ad perpetuam Principis, aetatem suam longo seculorum intervallo antegressi gloriam comparata, qua „de strigibus, quod non sunt, fieri quaestionem interdixit.“ — Singulare hoc, propeque est, ut sensui legis hujus, clarissimo licet diffidas. Sed enim est alia item Regis hujus constitutio non minus admiranda ob aetatem, singularisque laude moderationis ac sapientiae insignis. Quid ordalibus insit, ut erat ingenio prudentiaque acutissimus, plene perspexit; haec itaque, nisi in sede Episcopi, aut ad Praepposituras, ut dicimus, majores, ad quas nempe combustus quis, an integer sit? canonici, non testes de vulgo decernerent, haberi vetuit. Itaque institutum quod moribus plurimarum per Europam gentium inolitum [2]) abrogare non potuit, aliqua saltim rationis specie tem-

[1]) Confer. Lucium l. III.. c. 3 p. 184 de turri ea; et literas Andrae II. (C. D. III. 2. p. 181) in reliqua Eclesiae Albensis, per provinciam Simeghiensem, dote etiam de villa Zarozozou haec attestantes.

[2]) Codices Admontenses a. 1160 — 1195 (vide Muchard l. c. p. 306) ita de usu hoc habent: „Populus vero, qui est super collem et ad Chroetse et ad Mukernove, sepulturam et baptisma et

peravit. Clandestina matrimonia auspiciis Colomanni in Comitiis Tarczalyensibus, anno (ut veri est simillimum) 1100 celebratis, quatuor itaque seculis prius, quam hoc ipsum in concilio Tridentino decerneretur, prohibita apud Hungaros fuerunt [3]. Super rebus fidei cogitare jam, et, quae tradita sunt, expendere nostri caeperunt. Erantque bene multi, qui Patrum, cum gentiles adhuc essent, de Deo uno notionem, testimonio quoque sacrarum literarum probatam, ea quidem parte, qua Deum hunc trinum credere jubebantur, rationi magis convenire obtendebant. Eripiendum his profanum errorem hunc, et ut quisque mysterium id esse fidei constanter moneretur, diem honori sanctae Trinitatis festum Colomannus instituit, officiumque cultus [4]) descripsit, quod universa deinde Eclesia secuta est.

---

omnem justitiam apud Eclesiam s. Nicolai habebit, excepto duntaxat placito christianitatis et judicio ferri et aquae, quae apud plebanum de Leibnicz spectabunt, cooperante sacerdote de Mukernova. Goessensis vero et Prielebensis eclesiae in placito christianitatis et excessuum satisfactione, in judiciis ferri et aquae ad matricem Eclesiam Liesznich respicere tenentur, cui etiam antiquo et canonico juri nullatenus refragentur". Nihil reprobo: quaero saltem: an hac potius, quam Colomanni vivere lege Majores tuos malueris? Szvorenyius l. c. Fasc. II. p. 115 vim constitutionis Colomanni assequutus non videtur.

3) Colom. l. II. c. 15: „de desponsatione placuit s. synodo, ut omnis conjugalis desponsatio, in conspectu Eclesiae, praesente sacerdote, coram idoneis testibus, signo aliquo subarhationis et consensu utriusque fieret; aliter: non conjugium, sed opus fornicationis reputetur.

4) Ibidem l. 1, c. 72.

§ 14.

partim synodis perlatae.

Sic vero mutuum, quod ab aliis receperunt gentibus, cum amplissimo rependerunt foenore Hungari. Quorum

eae item leges, quae synodo Laurentiana coaluerunt, commemorabiles sunt [1]). Ac inprimis: ne quis asummi dehinc ad Episcopatum, nisi ex consensu conjugis; ne, qui Diaconatum et Presbiteratum sine matrimonio adepti sunt, illud amplius contrahere possint. Clericis tabernariis et foeneratoribus esse non liceat; nullus presbiter baptismi aut sepulturae pretium exigat, aut conventionem de missa pro oblatione faciat. Episcopus, si quem sacrorum communione interdixerit, Regi id per literas significare; si Episcopi jam defuncti, quin eclesiae suae providissent, tantum filios suos ditassent, hi inde medietatem reddere Eclesiae teneantur. Abbates denique parentibus (cognatis) suis non majus, quam ceteris solatium facere pauperibus possint.

---

[1]) Dedit ea Koller in Hist. Episc. Quinqueecl. T. I. p. 382 et seqq.

III. Leges politicae.

§ 15.

quibus institutum ministerialium excultum;

Isthvánfius Pro-Palatinus historiarum suarum de rebus Ungaricis lib. 16 Oppidum Ruthenorum, quod Orosfalvam vocant, Colomannum Regem adductis e Lodomeria et Gallicia Russorum provincia colonis condidisse tradit; lege lata, ut cetera liberi essent; portas duntaxat et januas Regum custodirent, quod auctor idem sua etiam aetate observatum commeminit [1]). Ex

---

[1]) Edit. Colon. p. 273 vide etiam Pray Notit. praev. p. XCV. Huc faciunt literae quoque Stephani V., quibus Thomam de genere Pok Janitorem Patris sui in possessionibus suis: Kus, terra Téth, terra Byssenorum vicina terrae ipsius de Pok in Comitatu Jaur. cet. confirmat de a. 1270.

classico hoc testimonio aliis quoque diplomaticis locis egregie confirmato; quae item Kéza, seculi 13 scriptor, de conditionariis pro vario laborum genere per Colomannum in varias divisis classes tradit, perspicuum est: Instituto d. Stephani de ministerialibus, cura, studio, labore Colomanni tantum accessisse, ut caeptis illius hic demum supremam impossuisse manum videatur.

§ 16.

atque servis etiam securitas, ne vendi extra fines regni possent, asserta.

Hoc itaque cum d. Stephano commune; aliud, de quo dicere pergimus, proprium Colomanni providentiae studium fuit, ut sibi gloriosum, sic nomini hungaro, populoque universo perquam salutare. Vendi adhuc servi, neque ii solum, qui in hanc nati conditionem, sed etiam, qui in poenam delicti ad civilem mortem hanc damnati sunt, extra fines regni libere potuerunt. Consuetudinem hanc, velut quae et per se barbara esset, et regnum incolis nudaret, qui emendati utilem ei olim praestarent operam, abrogavit, legeque severissima interdixit. Atque hujus beneficio providentiae suae non tantum servos genere hungaros, sed quemque in Hungaria natum etiam alienigenam, ancillamque (exceptis linguae alterius servis, qui ab aliis ducti essent regionibus) maximi Princeps animi complexus est [1]).

---

[1]) Colom. l. 1, c. 77. Rottekius aliarum homo rerum cognitionis judiciique amplissimi de hungaricis oppido quam perpauca et quae o. c. T. V. p. 309 in Hungaria (ab a. 800 — 1300) duos tantummodo legum latores Stephanum I. et Vladislaum I. exstitisse tradit, etiam corrupte legit. De Colomanno, legibusque ejus apud auctorem hunc nihil.

§ 17.

Colonorum denique conditioni prospectum est.

Veteres, ait is, Coloni terra ejecti sua, et aliam non habentes, ad suam revertantur; sin haec jam monasteriis, vel eclesiis collata essent, ipsi vero aliam haberent; nil de praesenti rei statu mutetur [1]).

---

[1]) l. I. c. 19.

IV. *De re militari.*

§ 18.

De obligatione praestandi equi exercitualis.

Instituta per Colomannum, an inveterata jam consuetudo fuerit, ut coloni simul sumpti Domino suo exercitualem equum unum non tam praestare, quam commodare tenerentur, nondum eliquatum; id prope certum habeo, eam a germanis acceptam: de pretio tamen equi, si periret, resarciendo, nihil eorum legibus constitutum esse [1]). Colomannus, quoties ipse aut Dux Almus in provinciam aliquam veniret, equum quidem exercitualem praestari sibi, aut Duci lege jussit, sed de pretio quoque equorum constituit. Horum quatuor commodabantur nunciis, qui de discrimine aliquo ad Regem deferebant [2]).

---

[1]) Vide de his Grimmium o. c. p. 362 et seqq. Equus, qui Colomanno exercitualis, Germanis Saymer, corrupte latine saumarius.

[2]) L. 1. cap. 36 pretium viatici nunciis Palatinus Comes persolvit; quis ille? Thesaurarius, si me audias; qui aeque Archiofficialis, unus itaque Palatinorum Comitum fuit.

§ 19.

De mensura facultatum, secundum quam eques loricatus, per dominos erat statuendus.

In legibus Colomanni alia item usui belli egregie apta [1]) constitutio legitur, ut Comites (Domini) quibus tot tantique essent coloni, ut ab his et equum exercitualem et pensas centum recipere valerent, [2]) ii quidem loricatum, alii quibus quadraginta solum pensae ab hominibus suis provenirent, militem absque lorica in campum educere teneantur. [2])

[1]) Lib. 1. c. 40.

[2]) Recollige, quae lib. III. de pecunia exercituali dicta sunt. Ad legem hanc Colomanni illustrandam facit etiam literarum de libertatibus Koyensium munificentia Magistri Theodori a. 1273 descriptis, quas inferius enumerabimus, pericope sequens: ,,Item ab eodem tempore (in revolutione quarti anni a die sui adventus) annuatim quaelibet mansio denarios exercituales, unum pondus, in festo s. Georgii solvere teneatur.''

V. De re tributaria.

§ 20.

Generatim.

Rem ille tributariam (collectas) ad aes paratum reduxit, fixisque pro summa aequitate sua legibus definivit, quibus plus irrogare nec ipse, nedum exactores possent. Hospites jam accolas, ab alienigenis distinxit prudentissime [1]), et uti hos recipi sine fidejussore vetuit, ita illos a medietate substantiae suae, in partem oneris pecuniae exercitualis vocavit [2]). Atque hunc ille modum in

[1]) Conf. l. I. c. 4. cum c. 35 et 77.

[2]) cit. cap. 35.

emetiendo quoque capitis censu tenuit [3]). **Ministeriales Regis** quippe (udvarnoki maximam partem alienigenarum posteri) et qui in medio horum tardius consederunt, dimidium ejus, quod per ceteros conditionis libertinae homines praestabatur, et ex decreto quidem Colomanni quatuor denarios pensitarunt [4]). **Denariorum** horum, uti et vectigalium tertiam, quae usu hactenus comitibus parochialibus obvenerat, his lege scripta addixit; simul tamen prohibuit, ne quod antea per nonnullos factitatum est, suam ex denariis his praecerpere partem ausint.

---

[3]) Hunc namque denarii pro libertate, distincti a denariis pro opere (e. g. exercituationis) significant cap. 80.

[4]) Ibid. c. 45. § 2.

§ 21.

De Marturinis

Constitutionem Colomanni de Marturinis (a marte animali generis mustellini hoc [1]) nomen) per Slavoniam pendendis, **Bulla aurea Andreae II.**, comunibus universae **Hungariae** (vim vocis universae, et formulae: totius

---

[1]) Helmoldus Chron. Slavor. l. I. c. 1. „Pellibus abundant peregrinis; — ad nostram damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem, itaque pro laneis indumentis — illi offerunt tam pretiosos martures". Mart. Epig. l. XIII 69. Pannonicas vocat cattas „Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas; mavult haec Domino mittere dona Pudens." Martures vocat Henricus Carinthiae Dux in Diplomate de a. 1103 „cum omni utilitate, cultis locis et incultis — castoribus et martoribus" in alio a. 1104 „cum venationibus — pellibus martorum — castorum venationibus". De marture, et marturina (vectigali regio) vide etiam literas Emerici Regis Eclesiae Zagrabiensi concessas. Ac regnum quidem Slovoniae ab antiquo Marturem pro armorum insigni habuit; de quo renovato Privilegium Ulad. II. Kerchelich in Notit. prael. p. 308 produxit.

regni alibi explicabo) non tam expetita, quam flagitata votis, solemnissime approbavit. Quis igitur ferat illudi sibi per recentiores scriptores aliquos, qui confuso Ordinum discrimine, Croatas omnes tributo hoc obligatos comminiscebantur. Imperaturus legem hujusmodi alter fortasse victor fuerat: De Colomanno fac aliter existimes Marturinas ille hominibus conditionis obnoxiae loco denariorum, de quibus diximus paullo ante, non igitur titulo vectigalis majoris irrogavit; liberos (milites, nobiles) non modo vectigalis hujus immunitate donavit; verum Dominis, quorum coloni pensione hac tenerentur, tertiam hujus partem contulit, privatasque horum et publicas aerarii rationes sic conjungendo, se non solum vincere, sed qui victoria sapientissime utendum sit, aprime novisse clarissimo documento comprobavit.

---

2) Art. 27. 1222.

§ 22.

conditae

Haec Colomannus Rex, sui tantum, ut vides, unius similis, atque hujusmodi sunt ejus omnia. Almum ex diverso, nihil ferme, quod publico usui esset, egisse comperio. Propter amissum Regis Croatiae titulum, ardens dolore, conflato bello civili, cum a Croatis nihil spei suppeteret, vocatis in societatem armorum Suatopluko Bohemo et Boleslao Polono, sua ipse confessione, seditionis reus, semel, ac iterum et tertio impetrata a Colomanno fratre 1) venia sic abusus, ut rursum Henricum Caesarem ad invadendam Hungariam permoveret, quartumve reconciliatus ultra etiam adversa Colomanno agitare, et quantum per se staret, sufflaminare conata ejus satageret.

---

1) Germanus enim Regi fuit. Ad quod probandum diligentissimus Podhradczkius in Chronic. Budensi p. 179 amplissimos industriae suae fructus lancibus pandis attulit.

Stirpem itaque invisam, sibique et soboli suae, uti metuebat, fatalem evellere, et in ira, an morbo, utrumque enim traditur, Almum Belamque filium luminibus, ac Belam etiam testiculis privari jussit. Sed posterius hoc, quibus exequendi negotium datum est, pueri miserti facere omiserunt. — Scelus hoc erat Colomanni, minus quidem, quam quod hoc admodum tempore Wilhelmus II. Rex Angliae Cognatorum ultus perfidiam patravit. Sed enim vero scelus, quod per Regem tam spectatae doctrinae comissum, neque familiari graecis consuetudine hac satis elui posse videtur. At enim nec nos hunc caeli hungarici solem sine macula; — sed tanto hoc Rege noctes hungaricas haud paullo magis, quam per Europae plerumque dies, lucidas diximus.

LIBER SEPTIMUUS.

IMAGO HUNGARIAE

SECULI DUODECIMI.

Talis est quaeque resp. qualis ejus est natura aut voluntas
qui illam regit.

Scipio apud Cic. de rep.

X. REX STEPHANUS II.

ab anno 1114 — 1131.

§ 1.

Propter aetatem ejus in procuratione regni Pontifex Strigoniensis, et Palatinus erant aliquamdiu.

Tres et decem natus annos patri successit. Regnum itaque, cui gubernando per aetatem idoneus nondum erat, ejus nomine Proceres, Colomanni, opinor, delecti judicio, inter quos Laurentius Archiepiscopus Strigoniensis, et Joannes Urosius Palatinus praecipui, aliquamdiu procurabant. Horum consilio Stephanus non multo post corona incinctus, hunc jam puer animum altum atque erectum praese gerebat, ex quo judicari posset, alterum eum Hungariae futurum Zoltanum fuisse, si in propiora huic tempora natus, aut Duumviris his, prisca virtutum hungaricarum laude, aequales ceteri Summates fuissent.

§ 2.

Urbibus maritimis, quas Veneti oportunitate hac usi occuparant,

Rerum a Colomanno in filium puerum transitus peroportunus Venetis, ut quod diu adhuc frustra optabant, maritimarum Dalmatiae urbium rursus potirentur. Effectum id dederant a. 1115; sed felicitate armorum Stephani altero mox anno superati, Spalatumque Traguriuṁ cum reliqua, praeter Jadram Arbamque ditione, recupera-

tum. Simultatum, quae Stephano cum Duce Bohemiae Ladislao fuerant, causa incerta, fautor certus: Solthius Comes peregrino natus genere, qui mutuis Regem Ducemque suspicionibus impleverat. Et hanc tamen et aliam cum Leopoldo Austrio, causa limitum, controversiam aequis pactis composuit, et fide Spalatensium Traguri-norumque novo Diplomate sibi devincta, totus jam in eam incubuit curam, ut quod pater ultimum jussisset, acceptam per hunc a Russis cladem ulcisceretur.

§ 3.

Cladem per Colomannum a Russis acceptam ulturus in hos movit, sed spe sua per summam Cosmae de genere Páznán aliorumque perfidiam excidit;

Specie igitur Jaroslai in Lodomeriam, cujus ditione per Ladislaum Ducem Kiowiensem deturbatus est, restituendi, a. 1127 in Russiam movit. Sed bello hoc Optimates per scelus se a fide abduxerunt. Auctorem annales patrii Cosmam de genere Paznani ferunt, qui Regem, ut omnia, ita bellum id absque consilio suorum suscepisse causatus, socios, hi deinde milites ad solvendam obsidione Kiowiam repetendosque Lares, regemque alium eligendum incitarunt. Ex eadem igitur gente Paznanorum, quam penes summa praecipuae in Stephanum I. fidei gloria, haud multo post teterrimae in Stephanum II. nominisque hungarici existimationem perfidiae caput fuit. Verba hujus ad Stephanum: Domine, quid est, quod facis? si cum multa morte militum tuorum castrum capis, quem Ducem constitues? ad speciem providentiae adornata, in re ipsa, et haec, et quae his subjecit: si inter principes tuos eligis, nullus remanet, ignotam adhuc moribus hungaris vecordiam hominum significant, qui in publicum segnes, privatim omni pravae industriae genere graves sunt.

§ 4.

Res igitur bellicas deinceps solo ferme Regio milite, praeclaraque Cumanorum opera gessit, semelque ac iterum opresso bello civili; suo maxime exemplo ostendit:

Atque ex hoc tempore Stephanum, quod Saulem ex sorore nepotem, re ipsa regno destinari intellexit, cum perduellibus ex rigore legis d. Stephani (l. II. Decr. Cap. LI.) egisse, ne nihil Ottoni Frisingensi deferre videamur, concedimus; at enim severitate hac patriam civilis belli periculo ereptam, auctoritatem legitimi imperii vindicatam, arreptaque ad incolumitatem publicae rei media per partem populi meliorem maximamque probata non meminisse non possumus; opprimi nimirum pestis ea, per adolescentem non poterat, nisi huic plurimi de genere equestri sufragati fuissent. Quorum in se studium cum exploratum haberet, plura deinde etiam bella et contra Polonos et Graecos gessit, Regio maxime milite, stipendiariisque Francis, ac Bohaemis, quos Sobieslaus ei suppetias miserat. Egregiam ei Stelphelius quoque affinis, praecipuam vero operam Cumani dederunt, quos per Joannem Comnenum a. 1122 caesos benigne accepit, sedibusque in magna, juxta alios minori Cumania assignatis per omnem vitam suam gratissimos habuit.

§ 5.

quantum bono fortique Principi in amore populi adversus fluxa Oligarcharum studia praesidium existat.

Stephanum, ut nuptias iniret, ex quibus liberi quaererentur, Optimates coegerunt; sed ex conjuge (Adelhais fuit patre Henrico Landgravio Stelphensi et Burggravio Ratisbonensi, matre Richerda Leopoldi Ducis Austriae sorore genita) proles ei nullae. Cum itaque graviori valetudinis genere a. 1130 tentaretur, pars factiosorum Borsium, pars Ivanum Reges eligunt; sed simul Rex con-

valuit, simul hanc quoque civilem procellam dispulit. Quod indicio itidem est: Stephanum, dum viveret, praecipuum boni fortisque Principis praesidium: amorem populi, constanter tenuisse.

§ 6.

Idem in maxima hac bonorum inopia ipse ad designandum sibi successorem animum adjecit, Belamque Almi filium in societatem regni assumsit.

Hujus in salutem ipse, ad designandum sibi successorem animum adjecit, atque haec eum gravissima cura dum versaret, opportune allatum est: Belam Almi filium superstitem esse et in coenobio Pécsvaradiensi servari. Hunc itaque accersitum et consortem regni declarat, et corona redimiri curat; et ut matrimonio quamprimum illigetur, sapientissime providet, Helenamque Urosii Serviae Principis filiam conjugem ei deligit. Stephanus tricennarius decessit; non multo post, quam ei ex matrimonio hoc nepos Geyza natus esset.

XI. REX BELA II.

ab anno 1131 — 1141.

§ 7.

Comitia Aradini anno 1132.

Rebus per hunc gestis vel in primis uxor virili mulier animo, et Sobieslaus Bohemiae Dux per sororem Adelhaiden affinis, et denique Albertus Marchio Austriae commodabat, cui Hedwigam alteram sororem collocavit. His contra intestinas Procerum factiones praesidiis nixus, Aradinum a. 1132 Comitia indixit, magna populi frequentia, tristique caede principum virorum, qui paternae suae

que calamitatis auctores aut erant, aut subdebantur, nobilitata. Horum facultates publico judicio in Fiscum redactas, ut accepit, inter cathedrales divisit eclesias, Stephani Protoregis hac in re secutus exemplum.

§ 8.

post, ubi Borichium, qui se Colomanni filium regnique haeredem ferebat, fautorum ope nudavit,

Liberi caesorum, ut Thuroczius loquitur, registrati [1]) seu, quod idem bene explicat, omnibus exuti bonis suis, cognatique horum Borichio (ex secunda Colomanni uxore Predslava ob adulterii suspicionem ad suos relegata natus hic erat regnique se ferebat haeredem) auctores sunt, hoc ut capessere festinaret; sed et horum studia, et auxilia per Russorum et Poloniae Duces Borichio praestita frustra fuerunt; quod Rex edito in castris ad Sajonem positis novo adversum fautores domesticos Borichii non minori severitatis, quam securitatis specimine, hostibus quoque externis animum hac vice quidquam audendi ademerat. Neque enim eo secius deinceps quoque aemulus is, Boleslai adjutus ope, semel atque iterum fortunam experiri constituit; dum tandem Sobieslaus, ut ad alias Polonus curas avocaretur, huic negotium domi fecisset, non prius desitum, quam promitteret pacto, se a tuenda Borichii causa semet abstinere velle.

---

[1]) Tantundem significat, ac in regestum proscriptorum (Achtbuch germanis, quod eruditissimus Haltaus pluribus exemplis illustrat) relati. Cf. supra l. II. § 33.

§ 9.

alia anno 1136 Strigonii celebravit.

Alia Rex hic Comitia Strigonii habuit. In his communi regni consilio Boznensem Ducatum (Serviam me-

diteraneam, per quam Bosna labitur) filio suo Ladislao dedit, supremo in Ramae regnum (occidentalem Serviae partem a Rama flumine sic dictam) jure sibi retento.

§ 10.

novoque exerciti per Reges Hungariae a fatis quoque Colomanni Juris Patronatus argumento edito,

Inter haec Belae II., causa Gaudii, quem a literis, moribusque commendatum Spalatensem Archiepiscopum renunciaverat, simultas cum Innocentio PP. oborta; non quod factum Regis Pontifici non probatum, sed quod ille contra vetustam consuetudinem, Innocentio inconsulto, a Strigoniensi consecratus Praesule fuit; sed per literas nunciosque placatus Pontifex, Bela petente, Gaudio etiam pallium misit.

§ 11.

de Hungaria haud mediocriter meritus est.

Bela Idibus Februarii 1141 exstinctus Geyzam Regem destinatum, Ladislaum Bosniae et Stephanum Syrmiae praefectum filios, itemque filias Sophiam Henrico, Conradi Imperatoris filio desponsam, et Gertrudem Miecislao Poloniae Duci collocatam habuit, de regno vel multiplici hoc nuptiarum foedere, securitateque suorum domi forisque totidem firmata praesidiis,[1]) haud mediocriter meritus.

---

[1]) De auctoritate Regis hujus satis sit dicere, hanc fuisse tantam, ut in Marchia Ruthenorum absens diuturnae populationi, qua finibus Hungariae proxima pars Carantanae ditionis Archiepiscopi Salisburgensis (Chonradus tum erat) in solitudinem ferme redacta est, per Nuncium hujus interpellatus, nullo severioris medii usu facto, finem imposuit. Atque hoc conjunctionis initium fuit, quae mutuis culta officiis, inter Belam Geyzamque deinde, ac A. Episcopos Salis-

burgenses quamdam necessitudinis speciem habuit. Vide Chonradi vitam auctore anonymo Raitenhuslacensi synchrono apud Pecz T. II. p. 222 seqq. Hansiz T. II. p. 272.

XII. REX GEYZA II.

ab anno 1141 — 1161.

§ 12.

Initium Principatus Regii a Spalatensibus privilegio donandis, Saxonibusque in fundo Regio ultrasylvano collocandis fecit.

Regnum, quod vix puerum egressus, tertia post obitum patris die adiverat, adjutorio matris, itemque avunculi Belae, singulari constantis aetatis prudentia tenuit. Initium Principatus Regii a Spalatensibus eodem, quo Tragurini, liberalitate Colomanni, fruebantur, privilegio donandis fecit. Mox in parte Transylvaniae per Cumanos et Bissenos in vastitatem redacta (fundum regium appellabant) evocatas a. 1143 ex Flandria Saxoniaque colonias collocavit, quae agro colendo, fodinis: Trajani Imperatoris olim in Dacia thesauris reserandis [1]), arcendis simul vicinorum hostium insultibus intenderent. Hospites hi, quod se facturos Geyzae receperunt, rite executi omni hoc industriae genere post paullum ita inclaruerunt, digni ut essent, quorum et vexillum et sigillum splendidam epigraphen „ad retinendam coronam" praeseferret, amplissimisque per sequentes Reges favoribus aucti, sublimes in finitimis partibus regni colum-

---

[1]) Ipsis jam iis unde quadraginta annis, qui ab hoc Rege in Emerici tempora fluxerunt, urbes Transylvaniae Mediam, Sabesum, Cibinium, Claudiopolim, et Schaesburgum aut funditus aut e ruderibus suis excitatas, perhibet Ederus in Comm. de init. Sax. p. 28.

nae [2]), nervus Transylvaniae [3]), et urbes per eos, ubi aditus ex hostico proclivior esset, confestim erectae, decus murusque regni ex ea parte, dicerentur.

---

[2]) Vide Grundverfassung der Sachsen in Siebenb. p. 221.
[3]) Ibid. p. 23.

§ 13.

perpetuis deinde causa libertatis patriae bellis involutus.

Geyza Borichium haereditate hostem accepit, non tam per se se, quam quod Conradi III. Imperatoris confidebat ope, notabilem. Guelphum itaque Henrici superbi Bavariae Ducis fratrem, Geyza in suas pertrahit partes, annuumque huic pactus stipendium, Caesari bellum domi comparat; antevertere tamen nequibat, quin Austrii causam aemuli sui (Borichii) armis propugnandam susciperent; sed horum pars caesi, pars cum Henrico Duce profligati; Borichius effugisse mortem videtur, ut diutius miser, altero demum Geyzae cum Manuele Imperatore Graecorum bello occumberet.

§ 14.

Hungariam, quam alter Caesarum ab ortu, ab occasu alter subjugare laborabant,

Ea enim Principatus Geyzae erant tempora, ut Imperatorum uterque, velut ex compacto, Hungariam mittere sub jugum niterentur. Sed bella cum graeco plura; primi occasionem Servia dedit; quod Bachinus magnus hujus Jupanus arrogantiae fastusque Byzantini pertaesus per affinem suum (Beluses hic seu Bela fuit Geyzae avunculus) facile se permoveri passus est, ut rejecto Graecorum imperio, se cum suis in clientelam Regis Hunga-

riae conferret. De quo postquam Manueli innotuit, ad arma ventum, propeque erat, ut eodem tempore cum Friderico quoque Aenobarbo Imperatore Germaniae, quod hic mox ab inauguratione sua ad bellum Hungariae inferendum accingebatur, decertandi esset necessitas. Pax itaque cum Manuele festinata; interea vero, dum de hac confieret, Fridericus aequiori Principum Imperii consilio a proposito avocatus est.

§ 15.

viribus licet proditione fratrum labefactis,

Alterius, quod anno 1154 inter Geyzam et Manuelem recruduit, belli causa Andronicus Caesaris consobrinus, fratres item Geyzae Stephanus et Ladislaus, proditionis utrinque rei fuerunt. Ille Regi, si ad invadendum imperium auxilio sibi esset, Nissam et Branizobam, quibus paullo ante per Manuelem praefectus est, pollicebatur; hi pari cupiditate dominatus periculum, quod Imperatori immineret, huic denunciant, et tamquam parum esset polluto sic sanctissimae necessitudinis jure, patriam quoque prodidisse, cum non exigua Hungarorum manu, velut proditionis obsides ad Manuelem concedunt, huicque bello contra fratrem, popularesque concitato operam navant. Varia hoc utrinque gestum fortuna; anno itaque 1156 mutua voluntate ad deliberandas pacis conditiones descensum; ex his praecipua fuisse videtur, ne Manuel Regi, fratrum suorum causa, quidquam deinceps hostile moliretur.

§ 16.

integram conservavit.

Neque tamen vel per haec Stephanus fractior animo, imo in conflanda Geyzae invidia ardentior fuit. Byzantio enim ad Fridericum Imperatorem se abstulit, huncque

de ope ferenda interpellavit. Caesar misso in Hungariam legato, qui profugum Geyzae conciliaret, postquam ex hoc reduce intellexisset „illum Geyzae fratrem, regni fuisse consortem; Geyzamque solo fere tantum nomine ei praestitisse, quamdiu Germanitatis illaesa jura mansissent; at enim Stephanum pravorum consilia secutum, bellum ultro intulisse; et postquam superatus sit, queri, quod injuriam facere nequiverit; fugam ipsam in Regis arripuisse invidiam: in regno enim manere ei quieto licuisse“ — non Stephanus opem a Friderico, sed Fridericus a Geyza, praeter oblata fere mille talentorum munera, sexcentos sagittarios ad bellum Mediolanense impetravit. Radevicus quidem Stephanum causam suam ad Fridericum pertulisse scribit, quod Romanum Imperium totius orbis asylum esset; ast Fridericus asylum hoc per Stephanum apud Graecos antea quesitum, rursus ab iisdem sollicitari magna adeo voluntate admisit, ut eundem per Venetias in Graeciam revertentem etiam adjuvaret, et commenta scriptorum, qui aliquod Germaniae in Hungariam jus fuisse ex illo Stephani facto argutantur, refelleret. [1])

---

[1]) Fridericus ipse, testimonio literarum quas de generali Conventu, causa electionis Pontificis Romani, Papiam indicto Romam et ad Episcopum Brixinensem, a. 1159 dederat (Perz monum. Germ. hist. T. IV.) speciatim verborum „ad quam evocavimus totius imperii nostri, et aliorum regnorum, scilicet: Angliae, Franciae, Ungariae, Daciae Archiepiscopos“ cet. de Hungariae idem, quod Angliae, Franciaeque autonomia sensit.

§ 17.

Atque haec verissima, et perpetua memoriae ejus gloria est;

Geyzam inter fautores Victoris quarti, quem Fridericus Imperator Pontificem jusserat, per scriptores non-

nullos numerari facile patior [1]). Eundem postea partibus Alexandri III. legitime electi Pontificis studuisse, multo etiam facilius; primum enim Geyza suae in Caesarem observantiae onus imposuerat sibi; alterum Lucas Banfyus se apud Regem precibus obtinuisse ait, certumque fide Diplomatum est: Geyzam Eberhardo Salisburgensi Metropolitae adversus Fridericum opem promisisse et hoc ipsum etiam Ludovico VII. Galliae Regi perscripsisse.

---

[1]) Argumento literum, quas praecedenti § subjunximus Epistolaeque Concilii Papiensis, quae Regem Ungarorum per literas et legatos electioni Victoris consensisse perhibet a. 1160 apud Percz l. c.

§ 18.

nam de alio, quod ab antiquatis per eum Colomanni scitis, revectaque veteri judiciorum forma vulgo summitur, laudis ejus argumento

Verba literarum Geyzae de a. 1149: „Quia ego instituta s. regis Stephani a rege Colomanno et filio suo, rege Stephano subtracta restitui“ [1]) pro indicio antiquatorum per Geyzam institutorum Colomanni omnium, ac maxime Judiciorum Synodalium, Scriptores quidam summunt, laudantque [2]); nos judicia Synodalia per Colomannum eo consilio instituta diximus, ut horum praesidio tenuiores ab injuria potentiorum securi, jurisque reddendi ratio celerior redderetur; iis abrogatis mala, quibus ille salutari hoc remedio obviavit, recruduisse post paullo docebimus. Magnum itaque belli gloria Geyzam, seu potius excellentibus omnium aetatum Imperatoribus parem: nemo existimet aliter; sed Colomanno etiam justiorem, aequioremque illum fuisse, qui contendunt, viderint ne involvere Colomanni memoriam umbra, atque hac non tam ad illustrandam solidam eam Geyzae gloriam, quam ad

---

[1]) Katona Hist. Crit. T. III. p. 549.

[2]) Kelemen Hist. Juris h. p. 103.

conficiendam huic vanam novae laudis materiam abuti velle videantur.

§ 19.

secus sentire licet.

Si quid mihi videre ex tam longinquo licet, seculi haec culpa fuit, tam culto Colomanni ingenio multum disparis, ut maxime salutaria consulta ejus minime ferret, addendaeque his majoris perfectionis incapax, ad prisca, deteriora licet, sed adsueta, potentioribus vero placentia magis revolveretur. Temporibus igitur cessisse Geyzam, non etiam domestico judicio, atque animi sui sententia quaedam Colomanni Instituta reprobasse existimo, plura enim porro quoque perstiterunt. Neque hic praeterire verba Ottonis Frisingensis licet moribus, temporibusque Geyzae II. apta maxime. „In hoc, ait is, Graecorum imitantur solertiam, quod nullam rem magnam, sine crebra et longa consultatione agrediuntur. — Ad Curiam Regis sui singulis ex primoribus sellam secum portantibus conveniunt, et de suae reipublicae statu pertractare et discutere non negligunt.“ — Quae quidem ille, quam vere dixerit, quot ferme Geyzae literas, tot clarissimos testes habemus [1]).

---

[1]) Harum illae de a. 1156 (C. D. II. p. 140) concessionem Regis et consensum totius regni sui memorant; aliae (ibid. p. 144) regali et totius regni Sigillo principali roboratae, disserte de gratia Regis et omnium totius regni Primatum assensu approbante loquuntur.

XIII. REX STEPHANUS III.

a Kal. Jun. 1161 usque Idus Julii.

XIV. REX LADISLAUS II.

ab Idibus Juliis 1161 usque XIV. Januar. 1162.

XV. REX STEPHANUS IV.

a XIV. Jan. usque 19. Junii 1162

Stephanus III. restitutus, inde usque Nonas Mart. 1173.

§ 20.

Stephanus III. per vices;

Stephanus III. patre Geyza II. matre Euphrosina Minoslai Russiae Principis filia, magni muliere animi natus, regnum, quod peradolescentulus adivit, non ultra sesqui mensem tenuit. Manuel enim, ut erat ambitiosus, fastuque immodico, postquam veteris Imperii Romani fines restituere, arcemque hujus consilii in Hungaria ad subjiciendas, retinendasque in obsequio ceteras provincias opportunissime sita, locare concupivit[1]), totus in eo erat, ut Stephanus senior (Geyzae II. frater) cui Mariam ex Isaacio fratre neptem conjugem dederat, Rex per Hungaros renunciaretur.

---

[1]) Cinnamus edit. Ven. p. 97 : ,,Hungariam in medio occidentalium nationum positam sibi comparare totis viribus satagebat.''

§ 21.

aliquamdiu enim Ladislaus II.

Ad hoc consequendum, et, ut calliditati suae aliquam pietatis justitiaeque speciem indueret, de more approbato

Hungarorum id esse contendebat, regnum ut non ad filium, sed fratrem defuncti Regis devolvatur. Exemplis, quae hanc in rem non deerant, largitiones promissaque ampliora et maximas, quas ad limites ostentabat, copias addidit. Quo factum, ut pars maxima Hungarorum, quod his pares subito opponere vires nequiverant, ut aliquid Manuelis gratia egisse viderentur, jusque simul liberae electionis salvum servarent, non quidem Stephanum ob conjugem graecam invisum, sed Ladislaum fratrem ejus, a quo graecis licet informato moribus prae fratre meliora exspectabant, Regem declararunt.

§ 22.

ab obitu hujus Stephanus IV.

Atque hi fere erant, qui Ladislao paullo post mortuo, suffragia sua in Stephanum IV. contulerunt; hunc nempe Regem habere, quam instantis secus belli calamitati objicere rempublicam maluerant. Erat tamen bene magna Hungarorum pars etiam tum Stephano III. addictissima. Contra hos Stephanus IV. Graecorum implorabat auxilium, eademque opera suam simul perniciem maturabat. Audita enim illorum adventantium fama, qui adversae partis erant, ad quietis fideique speciem se composuerunt, sed ut Rex impetrari a se passus est, copias has, ut domum remitteret, multo acrius questi, palam jam esse: si Stephanum IV. regnare sinant, Manuelem Dominum habituros, plures ad fovendam Stephani III. causam adducunt, praelioque inito superiores Stephanum III. restituunt.

§ 23.

hocque regno exacto, rursum Stephanus III. Hungariae praefuit.

Manuel propositi de Hungaria sibi quoquo modo asserenda tenax, ab armis, quae per Stephanum IV. exora-

tus, frustra resumpsit, ad dolum, specie amicitiae, involutum se convertit. Georgium Palaeologum Praefectum Praetorio cum legatione amplissima misit, qui Belam alterum Geyzae II. filium, adhuc puerum filiae suae Mariae sponsum expeteret, in spem imperii per se educandum. Stephanus de hoc affinitatis vinculo, et sibi et regno gratulatus lubens annuit, legatoque Imperatoris Belam tradidit. Hunc ille indito Alexii nomine dignitate Despotae exornavit, neque eo secius, postea quoque omni quaesita causa, jam quod Stephanus III. haereditatem a patre Belae filio assignatam detineret; jam, quod necem Stephani IV., quam Hungaris imputabat, inultam pati non posset, semel atque iterum copias in Hungariam ducere et fortunam contra Regem egregie fortem, suppetiisque per affines suos praestitis adjutum tentare non cessavit, licet jam a. 1163 professus sit: Bela in integrum restituto, nullam sibi amplius belli, nisi injusti, rationem relictam esse. Bosniam ille Serviamque trans Savum, ex citima regione Syrmium et Dalmatiam haeriditatis Belae titulo tenuit, ex animo suo non huic, sed qui illi ex altera conjuge natus inter haec est, filio Alexio transmittendam. Hunc enim a. 1170 successorem suum declaravit; Belae vero, quem Maria filia alteri destinata marito, cum Agnete Graecis Anna, sorore Augustae junxerat, Caesaris axioma concessit.

§ 24.

Cujus in sedem Romanam indulgentiae testimonio literae de a. 1169 exstant.

Geyza II., ut Alexandro III. Pontifici satisfieret, de Episcopis sine auctoritate et consilio ejus non deponendis nec transferendis petenti annuit; filius Stephanus III. a. 1169 hortatu ejusdem Pontificis, plus, et de Clericis enim procurationi rerum Episcoporum decedentium praeficiendis; et pacto cum Patre convento ad quasvis rega-

les aliasque Praepositaras, Abbatias et beneficia eclesiastica extendendo promisit [1]).

[1]) De literis his per Katonaium ex Baronio mance, per Kollárium ex Conteloro integre vulgatis Kollár, Katona, Pray egerunt affatim. Pro sententia Katonaii etiam verba „de consilio gloriosae reginae Martis nostrae", faciunt, quae Diplomati Steph. III. bene conveniunt, in literis Belae III. frustra quaeruntur.

XVI. REX BELA III.

ab anno 1173 — 1196.

§ 25.

Licet mox post obitum Stephani III. Rex electus,

Maxima licet gentis consensione Rex salutatus, tamen quum essent, qui eum, tamquam a puero consuetudinibus aulae Constantinopolitanae innutritum aversarentur, fratrique ejus Geyzae in patriae educato sinu faverent; et rursus alii, qui viduam Stephani III. (Agnes erat Henrici Austrii, cui cognomentum Jasomirgottio, filia) uterum gerere, quoad igitur haec partu levaretur, exspectandum censerent; insignia regia ne tum quidem adeptus est, dum Geyza, quod libertate sua ad ciendam seditionem abusus esset, in custodiam datus, opinionem vero de graviditate reginae nihil habuisse veri constitisset. Lucas enim Strigoniensis Archiepiscopus, quod a Rege graecis informato moribus latinae eclesiae nimis quam metueret, eidem inaugurationis praestare officium cunctabatur.

§ 26.

non ante Idus Januarias a. 1174 et literas, quas ab eo Alexander III. Pontifex exegerat, nomine suo subnotatas, diademate regni incinctus est.

Rex igitur et Ordines ei addicti Alexandri Pontificis interpellarunt auctoritatem, qui cum Archipraesulem illum semel ac iterum nequiquam monuisset, tandem peragendi ritus hujus potestatem Colocensi Antistiti fecit [1]. Ne quid tamen inde jus Strigoniensis eclesiae detrimenti capiat, literas Rex prius, quam inauguraretur, dare debebat, quales Pontifex voluit, non ad solam securitatem eclesiae illius, sed ad eum modum exaratas, ut „salva una semper esset, apostolicae sedis auctoritas, a qua hungarici regni corona processisset“ [2]. Particula haec literarum illarum pura in praesens, ut Prayus rite observat, verborum forma, initium fuit gliscentis ex hoc tempore Romanorum Antistitum per Hungariam dominatus, frequentia casuum, quibus Reges sequentes, qua causa coronationis filiorum praevertendaeque delectus aleae, qua item laborantis in regno inter se Ducesque saepe diviso auctoritatis suae, Pontificum opem solicitabant, sic sensim protensi, ut seculo post Bonifacius VIII. persuaderet sibi, dare se Hungariae etiam invitae Regem posse.

---

[1] Neque eo minus privilegia, quae edidit, nullo temporis ante an post coronationem, discrimine, plena vi probandi pollent. Juris consv. P. II. tit. 14. Adeo verum est ad Regii Majestatem Principatus acquirendam apud Hungaros principio in electione plus, quam coronatione situm fuisse.

[2] Recitat literas has Pray in Spec. Hier. Hung. P. 1. p. 113 et seqq.

§ 27.

Idem justae severitatis exempla ab Regio exorsus lare, cum omnes muneris sui numeros expleret,

Inter coronationis solemnia Belam, ne dubium esset, quod exemplar regendae Hungariae delegisset, ex Stephani praescripto se hanc gubernaturum recepisse [1]), nullus dubito. Justam itaque morum illius severitatem aemulatus, cum paullo post Geyza Euphrosinae matris, itemque Stephani Archiepiscopi Colocensis et aliorum ope custodiae semet subduxisset, in fugae auctores fautoresque ita animadvertit, ut quod de matre in Graeciam, uti ipsa cupiverat, dimittenda, Stephano Archiepiscopo autem sede sua movendo cepit consilium, non modo non invidiosum, sed populare esset. Cuncti enim certo plane sensu judicabant: eum, qui jam in aditu regiminis, vel periculo existimationis suae quieti et tranquilitati publicae inserviret, postea quoque privatum officium rationibus reipublicae nunquam non posthabiturum.

[1]) Formulam nempe juramenti de pace Eclesiae servanda, ad instituta quoque d. Stephani, extensam fuisse. De veteri itaque formula illa nova accessione aucta Engelio c. o. P. I. p. 260 ad hunc modum assentior.

§ 28.

quam in his honestatis, dignitatis, gratique animi officiorum habuerit rationem, sua erga Manuelem Imperatorem,

Ab hac profectus laude Bela eum se constanter gessit, ut cum virtutibus, quae regiam dignitatem maxime ornant, excelleret omnibus; tamen in his ipsis propria ejus quodammodo nobilitas magnitudoque tum animi, tum ingenii, tum consilii excellere videretur. Antequam ad capessendum Hungariae solium iter iniret, per Manuelem

obstrictus sacramento, ne adversus eum aut Graecos moveret quidquam, fidem hujus religiosissime coluit. Et Dalmatiam itaque Manueli ad dies vitae reliquit tenendam, et vero bello, quod ei cum Sultanno Iconii erat, copiis, quas Ompodinus Banus et Leustachius Vajvoda Transylvanus duxerunt, auxilium tulit.

§ 29.

et Pontifices Romanos observantia docuit.

De ejus in Eclesiam latinam studio Innocentius III. PP. locupletissimus testis est. Ex cujus literis ad Emericum Regem datis intelligas: inter universas universi orbis provincias Hungariam speciali quadam praerogativa per Apostolicam Sedem dilectam, tum ob merita regni, tum vero ac praecipue ob ferventis devotionis constantiam et inviolabilis sinceritatis affectum, quem Bela exhibuit. Praeclarum sane elogium, sed aliud ejusdem Pontificis „nullam in hoc Bela neque rugam fuisse, neque maculam" multo majus; ad utriusque enim et sacrae et profanae reipublicae rationes pertinet, vereque de eo et domi et Romae praedicari potest. — Juramentum is inaugurale ex verbis Pontificis nuncupavit, hacque promptitudine sua effecit, ut latini ab eo Eclesiae suae metuere desinerent; illa vero indulgentia, quod ad hujus necessitates relevandas censum ea tempestate per Hierarchiam hungaricam conferri cum vetare posset, non vetuerat, hoc consecutus est, ut praeclara ejus in Sedem b. Petri voluntate, hi plurimum etiam confiderent.

§ 30.

Fuit tamen haec ejusmodi, ut Dalmatiam non ultra obitum Manuelis in Graecorum esse potestate pareretur.

Per tempus, quo Manuel Dalmatiae praefuit, Veneti et Jadram et Tragurium occuparunt. Manuele a. 1180

mortuo Spalatenses confestim se Belae subjecerunt; anno altero Jadrenses, dudum in omnem intenti occasionem, qua Venetorum excutere jugum possent, ad pristinam redierunt officium. Atque ex hoc tempore nomen maritimae provinciae, partiumque maritimarum (tenger melléke) apud nos in usum venit.

§ 31.

Praesules vero Eclesiarum non alios deligi admitteret, quam quos his praefici etiam reipublicae civilis interesset.

Dalmatia potitus per Spalatenses non alium, quam genere Hungarum eligi Archiepiscopum admisit; quod plane persuasum sibi haberet: Incolas, si obsequentem Regi Antistitem haberent: et ipsos in fide facilius continendos. Effecitque sic, ut a. 1185 Petrus Chitelini filius, nobili apud Hungaros genere ortus Archiepiscopus eligeretur, novae postmodum apud Corbaviam sedis Episcopalis conditor.

§ 32.

Galliciam nondum ullo jure Polonis obnoxiam regno Hungariae adnexuit, huicque Andream, Emericum enim natu majorem filium jam antea Dalmatiae, Croatiaeque praefecit.

Bela III. circa a. 1189, jam Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae nec non Galaziae (Galliciae) Regem se scribit. Et Dalmatiae quidem ac Croatiae Emericum filium natu majorem praefecit, postquam eum a. 1185 consortem regni declarasset, coronarique jussisset. Hujus vicem Calanus Quinqueeclesiarum Antistes ab ingenii consiliique ubertate longe celeberrimus, Regiis auspiciis aliquam-

diu gessit [1]. Galliciam Ordines provinciae hujus, quod et Casimiri Poloniae Regis arbitrium et Vladimiri Jaroslavo geniti forocia aeque invisa fuerat, Belae sua sponte obtulerunt; nulla neque hujus, neque illius injuria; quoniam de jure successionis nihil adhuc lege fixa constitutum ibi viguit. Hanc itaque Bela filio suo Andreae procurandam credidit. Quam licet postero tempore Vladimirus in suam redegerit potestatem; Regis tamen Galliciae titulum Bela, quod ita inter eum et Vladimirum convenerat, gerere perseveravit [2].

---

[1]) Anno enim 1195 Emericus, qui bis coronatus dicitur, jam per se se praefuit apud Farlat. IV. p. 341. Hoc Belae III. consilium posteri deinceps pro lege observarunt, quam verba Diplomatis Andreae III. (C. D. VII. v. 5. p. 547) „Ducatum Slavoniae, qui est prima dignitas Regiae prolis“ etc. clarissime combrobant.

[2]) Titulus ei apud Farlat. T. IV. p. 12 sequens tribuitur: Rex Hung., Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque ac Galliciae.

§ 33.

Bello contra Andronicum Comnenum gesto captam Bulgariae partem filiae suae Margarethae dotem dedit.

Partem denique Bulgariae bello, quod contra Andronicum Comnenum solio Constantinopolitano per scelus adrepentem moverat, acquisitam (haec Nissam usque protendebatur) filiae suae Margarethae, postquam in manus Isaci Angeli Imp. convenit, dotis titulo cessit, per Calo Joannem deinde vulgo Joannitium Bulgariae Regem, ignavia horum, occupatam.

§ 34.

Carantaniam per Ottocarum Leopoldo Austrio cessam, qua haec juris erat hungarici, occupavit.

Partem Carantaniae, quae per Belam I. Udalrico genero collata, ad Duces Meraniae et tandem Ottocarum

pervenit, per hunc Leopoldo Austrio cessam, jure postliminii occupavit, ne tamen nullam affinitatis, quae ei cum Duce, Helenae sororis suae marito, intercessit, habere videretur rationem, in Fridericum Caesarem litis arbitrum consensit.

§ 35.

Regnum patriis gubernavit moribus, et speciatim:

Scriptorum domesticorum una est fere omnium opinio: fieri nequivisse, quin ab Rege bizantinis inutrito moribus, patriis quoque institutis graeci quidpiam importaretur. Belam hi, ut prae reliqua multitudine mortalium cultiorem concedant, communi tamen cum hac modulo metiuntur, quia ad praecipuum ejus studium quidquid agendum susciperet, ita peragendi, ut ex quibusque rebus per se gestis virtutes patriae cum specie quadam liberali eniterent, animum haud satis advertunt.

§ 36.

Ordinem juris per sanctos Reges observatum tenuit;

Neque aliter de illo apud Katonaium meum loco sentio, quo Regem hunc perturbatam prius in Hungaria judiciorum formam ad Graecorum imitationem immutasse dicit; nisi verius sit credere, Curiam Regis ambulatoriam, generalem, aut specialem regni, vel provinciae Congregationem et alia Judicia hujusmodi per Belam III. in literis b. Petri Quinqueeclesiensis enumerata Regem hunc ex Graecia, ubi nihil horum reperit, attulisse, et non pridem per Majores instituta probataque per d. Stephanum observasse? aut Regem, cui nihil esse debuerat antiquius, quam ut sparsa in invidiam suam opinionum commenta ex animis evellat, cum cetera d. Stephani instituta praesenti semper animo teneret, hoc, in quo is caput sapientiae civilis collocabat, monitum, ne

latini graecis, aliaque aliis regatur gens moribus, inprudentem contempsisse?

§ 37.

solennes s. Stephani dies Albae jure dicundo agere solitus.

Sed de dicto (dictum enim illud, non etiam consultum Katonaii fuit) jurgare diutius cum viro rerum aliarum hungaricarum peritissimo verecundia est; praesertim cum celare nec possim, nec velim: me ex Regesto Varadiensi antiquissimum Majorum; diem memoriae d. Stephani sacrum „festum s. Regis (Szent Király napja)" appellandi morem; ex Diplomate vero Belae III. per eum producto paullo plus, hoc namque didicisse, quod Rex is primus solennes s. Stephani Regis dies (Octavas vulgo) inter cetera pietatis officia jure dicundo agere solitus, consuetudinis, quae deinde per Bullam auream in vim scriptae legis elevata ad Curiam Regiam etiamnum obtinet, initium fecit, providendo simul, ut quod d. Stephanus non Strigoniensi tantum [1]), sed Albensi quoque Eclesiae dedit privilegium, ne Jobbagiones et populi ejus Palatini seu Vice-Palatini ad Congregationem generalem aut etiam specialem et particularem vel Comitum parochialium, seu eorundem simul cum aliis communem, vel sine aliis seu victualium administratione, seu solutione aliqua teneantur [2]) inviolatum servetur.

---

[1]) Batth. LL. EE. T. III. p. 297 in Visit. Ecl. Strig. Coloni ejus immunes esse referuntur a descensu exercituantium et solutione victualium, quae solent exigi in Congregatione Palatinali vel quacunque alia de causa.

[2]) l. III. ad § 127.

§ 38.

Exstant vero justitiae studii ejus testimonia plurima.

In maxima igitur Belae III. laude per chronographos patrios omnes justitia ponitur. Rectissime hoc; quoniam ceterae virtutes cum Matre hac sua habitant. Fuitque is fama hujus ad exteros quoque clarissimus: quod vel ex literis, quas Stephanus Episcopus Tornacensis ad eum dederat, [1]) satis intelligitur. Certis ad haec auctoribus accepimus, primam ei, postquam Dalmatiam recuperasset, fuisse curam, ut Farkasium de genere Puk Hungarum, Palatinum, juris dicundi causa, Jadram mitteret, auctor instituti, ex quo aliquarum Dalmatiae insularum reditus Palatinis cessisse feruntur [2]).

---

[1]) Katona Hist. Cr. T. IV. p. 241.

[2]) Farlati Illyr. sacr. T. V. p. 11.

§ 39.

De Cancellaria Regis Belae III.

Huic cum non infrequens antea, tum vero postquam Margaritam Philippi Regis Galliarum Sororem secundis votis conjugem sibi adjunxisset, major etiam cum literatis gentis hujus usus. Non itaque illum Ordini Cisterciensium in Hungaria eandem, qua in Galliis frueretur, impertivisse libertatem certius habeo, quam Scholam Veszpremiensem, hoc esse auctore, ad similitudinem Parisinae conditam. Nascentibus quidem melioris Styli Curialis initiis Bela hic praefuit. Cancellariorum nomen fluxum adhuc, et paucis Regum Notariis usurpatum, his ab ejus aetate perpetuum mansit, appellatione specialis Notarii Regii muneri, quod in praesentia Causarum Regalium Director obit, servata; nihilque cunctor asseverare: jus quoque et privilegium, quod Albensis Eclesia in ipsa Vice-Cancellaria ab antiquo tenere art. IX. De-

creti de a. **1291** innuitur, ab hoc processisse **Rege**. **Cui**, qui antea Capellae **Magistri**, jam Comites vocantur Capellae **Regiae** [1]). Quod scriptoribus aevi medii etiam Graphiarium, Secretarium, Chartophilacium, Archivum dictum et recondendis et emittendis inservivisse literis [2]) adnotantem me si reprehendas, memineris: interdum genus esse peritiae vitare, quod doctis placeat [3]). Ab eo petitionibus loqui traxisse originem Simon de Kéza scribit vere. Ad quod post ea, quae jam in Notitiis praeviis me dicere memini, unum modo addam: varietatem styli Diplomatum veterum, ejusdem licet Cancellarii subnotatorum manu hinc fluxisse, quod liberalitate Regum petitiones eadem, qua proponebantur, acceptatae sunt forma, per homines exteros ad habitus, consuetudinesque suas verbis sibi propriis accomodata [4]). Id velut extra omnem

---

[1]) Geyza II., quod literae ejus de a. 1150 apud Koller Hist. Ep. Quinqueecl. testantur, Notarium Barnabam, et Nicolaum regiae Capellae (tabulario) Praesidentem; Stephanus III. Bicennium Notarium et Sudam Capellae Magistrum, ac Sigillatorem habuit. Anno 1163 Hugo Notarii, Thomas Officio Magistri Capellae praefuit. Paullus Episcopus Ultrasylvanus ultimus circa a. 1181 Belae III. Notarius, nam qui hunc sequebantur jam Cancellarii, eodemque tempore Magistri aut Praesidentes Capellae, Comites dicti sunt. Hi Carolo et Ludovico I. Regibus, simul etiam Secretarii Cancellarii et Secretarii Notarii appellantur, et Villermus quidem Praepositus Ecles. Agr. Comitem Capellae et Secretarium Cancellarium Ludovici Regis se scribit a. 1369 in literis, quibus testatur mandatum sibi esse a Rege „ut in Conservatorio Regali literas quasdam Papales exquirat, et earum copiam petenti sub Sigillo Regio, quo praetextu dicti honoris sui, scilicet Comitatus Capellae utebatur, extradet" Wagner Dipl. Sáros. p. 467.

[2]) Spelmannus ad vocem Capella Regia.

[3]) Cassiodor. in Praef.

[4]) Pro plurimis aliis unum vide sis Diploma monasterio S. Crucis datum citatumque per nos saepius.

dubietatem positum aeque pridem occupavi: curasse Regem hunc, ne causae coram se definitae obliterentur; constituisse igitur, ut negotium quodlibet in auditorio regio discussum scripti confirmetur testimonio [5]). In solennibus literis expediendis Sigillo aureo (Bullam auream dicimus) jam Geyza II. usus est. Sigillum mediocre per Comitem Capellae; annulare per specialem Notarium, conservatum a temporibus Belae III. fuisse uti notum [6]) ita de initio consuetudinis hujus nondum satis compertum est. Crucem duplicatam jam Ladislai II. monetae, itemque Belae III.; Sigilla tamen hujus filiorumque pro insigni Hungariae leonem, ac Andreae II. quidem plures numero in campo, quae non vana conjectura est, argentes exhibent [7]).

---

[5]) Spiesz Archiwische Nebenarbeiten I. p. 176. His aliae quoque Regis hujus de a. 1191 consonant „quoniam scrupulus quaestionis raro aut nunquam provenit, cum titulus possessionis authentici scripti beneficio posteritatis quoque memoriae comendatur".

[6]) Ex literis Sigism. R. de a. 1436 (Szvorényi o. c. f. 1. p. 27) „praesentarunt nobis quasdam literas nostras mediocri Sigillo nostro, quod alias apud Comitem Capellarum nostrarum Budensem pro tempore existentem habebatur et inpendenti consignatas" apparet Sigillum Regum mediocre apud Comitem Capellae exstitisse. Diversus ab hoc fuit Apocrisiarius seu specialis Notarius ad annulum Regium, qualis Thomas erat Pontifex Váciensis, testimonio literarum Elisab. Reg. de a. 1284 „in aula regia Belae IV. Apocrisiarii et specialis Notarii, qui meruit officium exercere Sigillo et ministerio annulari". De quo suo loco.

[7]) De his, scutoque regni vide eruditas Luczenbacheri nostri ad Magyar orsz. e. i. pénzei p. 83 et 103 notas, quibus adde: leonem in Sigillo quoque Mariae I. videri.

§ 40.

Quod is in Dalmatia edidit munificentiae genus, ut Comitatum de Modrus Bartholomaeo de Veglia petenti, more italo in feudum conferret;

Consuetudo agrum in feudum conferendi apud Italos olim coepit [1]; apud Hungaros Bela III. Rege in partibus Dalmaticis Italiae proximis. Terram ille totam pertinentem ad Comitatum Modrus tum in praemium meritorum, tum vero ut securitati partium maritimarum hoc consuleret praesidio, a. 1193 Comiti Bartholomaeo de Veglia [2] contulit „jure haereditario perpetuis temporibus possidendam ea pactione, ut is Comes infra limites regni cum decem loricis in compensationem suscepti beneficii Regi assistat, extra regnum vero cum loricis quatuor ei serviat. Si Comes idem, nulla relicta sobole decederet, unus ex filiis fratrum ipsius eodem pacto conventionis observato, sub Regiae Serenitatis dominatu tranquille terram eam possideat et quiete". Pactum, conventio, beneficium, cujus titulo Comes Bartholomaeus de Veglia Italus, terram Modrus ita sibi per gratiam Regis conferri postulavit, ut directum hujus dominium porro quoque penes Belam III. et ejus successores existeret, a jure proprietatis, quo Nobiles Hungariae, terras descensuales, aut a divo Stephano sibi collatas tenuerunt, haud modicum differt.

---

[1]) Meyer, Hallam cet.

[2]) Frangepano vulgo. Quod nomen Richtero (vide sis Hormayr Archiv. cet. ad a. 1824 p. 245) „germanis Freiherr, oder fränkischer Herr hoc sensu colitur circa sinum maris flanaticum et secundum vetustissimum MSS. (ita idem Richterus) Comitem olim notavit, et Frangispanes prisca lingua Graffi quoque dicebantur". — Quod equidem refero, non affirmo.

§ 41.

apud sequentes Reges exempli habuit vim; hi enim et Austriis in finitima Hungariae parte, et Saxonibus in Scepusio hoc donationes titulo fecerunt plurimas.

Italos hos, in limitibus Hungariae ad Noricum sitis, Germani consecuti sunt, qui in Comitatibus Hungariae finitimis bona simili, quo non alium in genitali solo meliorem noverant, beneficii titulo aquirere contendebant. Hunc illi, prout et Saxones in Scepusio (apud hos enim plurima literarum hujusmodi copia exstat) jam diserte feudum, Curias, Lehen appellant, quarum possessionem ut adire haeredes legitime possent, ex praescripto legum feudalium nova per singulos generationis gradus; Principis opus concessione fuit [1]). Ita Bartholomaeo de Veglia adhuc superstite; Andreas II. nepoti ejus Jerindoni feudum, de quo supra diximus, confirmat, conceditque ut si eum Bartholomaeo Patruo supervivere contigerit, hoc sine haerede decedente terram „quam ex Regali beneficio idem Bartholomaeus meruerat obtinere, (obtinuit autem ab Andrea II. etiam Comitatum Vinodolensem) ipse Jerindo eodem jure perpetuo possideat". Utrumque feudum hoc deinde Bela IV. filiis Jerindonis: Friderico Bartholomaeo et juniori Jerindoni itidem confirmavit, descripsitque diserte servitium, quo ii haeredesque sibi et successoribus suis tenerentur; cetera inter, ut dum et quando Rex in regno Croatiae coram adesset, per omne, quod ibi ageret, tempus unus ex Comitibus his et eorum haeredibus personaliter, pro posse decenter provisus cum expensis serviendo eidem assistere debeat.

---

[1]) Confer, quae hanc in rem Meyerus c. o. T. I. p. 222 et seqq. adfert.

§ 42.

Idem denique constituit plurima, ex quibus non commoda solum, sed ornamentum quoque patriae suae curasse illum diligentissime, in comperto est.

Bela III. pondus quoque, ad quod aes signatum examinaretur, definivit accuratius [1]). Et ne singula prosequamur, Hungariam accepit obsitam tentoriis (hinc contubernalium pro Jobbagionibus eundem habitantibus locum in Regestro Varadiensi nomen), in qua praeter haec plurimae ex cannis, rarae ex lignis, rarissimae ex lapidibus aedes erant; reliquit autem hoc etiam cultus genere locupletissimam.

---

[1]) In priv. Andr. II. Saxon. Transylv. collato cum nullo alio pondere, nisi cum marca argentea, quam pater noster Bela eisdem constituit; videlicet quintum dimidium fertonem Cibiniensis ponderis cet. Marca ungarica 4 fertones; ferto duas uncias appendit. Secundum literas Sigismundi de a. 1426 marca Budensis uno lotone gravior erat, quam marca Belae III. Vide Eder l. c.

XVII. REX EMERICUS

ab anno 1196 — 1205.

§ 43.

Huic perpetuum fere Andreas bellum frater fecit,

Emericus gloria regni patre minor; non quo vel animi vel ingenii minus ad ornandum solium attulisset, sed quod Andreas frater legato sibi ad iter palaestinum ingenti thesauro, ad clientes militesque comparandos, horumque ope invadendum regnum abusus, ad praeclarissima quaeque nitentem interpellarat.

§ 44.

non tam extorta Dalmatia et Croatia, quarum Ramaeque et Culmiae se deinde Ducem scripsit,

Pro bonitate et aequitate causae Emerici Coelestinus III. et qui huic a. 1198 successit, Innocentius III. Pontifices maximi, Archiepiscopi item Strigoniensis et Colocensis, Esau denique et hunc consequutus Mogh Henricus deinde; Mike; et Benedictus; ac Cephanus de Hedervára [1]) Palatinus, cum parte meliore Optimatum stabant; gerebaturque res cum Andrea et sociis seditionis non tantum solito armorum apparatu, sed Vaticanis etiam fulminibus; is tamen eorum et animus et numerus fuit, ut impediri non posset, quin Croatiae, Dalmatiaeque Andreas jam a. 1198 potiretur; et parte Serviae meridionali (Rascia proprie quae vocabatur) Chulmia item (Zahlimia Constantini Porphirogenetae) ea nempe hodiernae Bosniae portione, quae Cettinae et Naroni fluviis interjacet, jure armorum in ditionem suam redactis, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Chulmiaeque se scriberet Ducem.

---

[1]) Ex serie Palatinorum Prayi et Manuscripto paterno D. Augustini Szalay Secret. aul. antiquitatum hungaricarum diligentissimi.

§ 45.

quam imposita Emerico eadem ad retinendum, qua ipse ad invadendum, regnum arte utendi necessitate gravis.

Is, dum prima sic cessissent prospere, viam, quam ad avertendos prodigalitate sua ab Emerico animos ingressus est, porro quoque institit. Sic vero huic etiam, licet natura sua ad sobrium liberalitatis modum esset comparatus [1]), ne omni Comitum aulicorumque praesidio

---

[1]) Domum ille regalem in castro Strigoniensi, quae nondum fuit opere consummata, Archiepiscopatui in perpetuum donavit a. 1198

latus nudaretur, eadem ad retinendum, qua ipse ad invadendum regnum, arte utendi necessitatem imposuit. Itaque deinde factum est, ut regnaretur non tam legitima imperii vi, quam largitionibus, pravaque sensim opinio invalesceret, praecipuum id esse Regum officium, ut se Promos nullis adstrictos legibus constanter meminerint.

(II. p. 324) sed, quod providentiam ejus testatur, conditionem adjecit, ut tempore necessitatis se in ea recipere Archiepiscopus teneatur.

§ 46.

Opera Innocentii III. modicum a belliscivilibus otium, quo Emericus ad asserendam Hungariae Serviam usus est.

De componendis fratrum dissidiis Innocentius III. adnitebatur maxime. Fructus modicae quietis erat jus Coronae Hungariae in Serviam, rectius Serbliam, quae in Diplomatibus etiam Rascia dicitur, solemnissimo affirmatum monumento. Jam Belus, alias Bela, cujus soror Helena Belae II. collocata fuerat, fratribus suis in Servia et parte Bosniae rerum qui potiebantur, auctor erat, ut se in clientelam Geyzae II. Regis Hungariae conferrent. Hoc facto, cum alter abnepotum Dessae (fratris ejus) Stephanus unionem cum sede Romana pollicitus diadema ab Innocentio III. posceret, hoc ei non alias, quam consensu Emerici, ejusque in Serviam jure clientelari salvo, promissum; Stephano deinde per Vulkum fratrem, Emerici adjutum armis, solio depulso, Vulcus idem per Emericum Rex constitutus, salvo in temporalibus jure Hungariae ab Innocentio coronam impetravit. Summus Emerico Regi cum Pontifice hoc usus fuit, de quo Regi huic qui exprobrant, id fere agunt, ac si contenderent, Emericum tum demum laudandum fuisse, si Pontificem illum justitiae causae suae auctoritatique legitimi imperii faventem, et quin jure Majorum Prae-

latos Eclesiarum deligeret, non admodum reluctantem [1]. minus observasset, quam ceteri per Europam Reges populique ob summam sacerdotii et majorem etiam singularis ingenii consiliique existimationem, haud paribus rebus, sua Pontificem hunc sponte coluerint.

---

[1]) Quod verba Innocentii III. apud Katona confirmant: „quia multa gesta sunt, et geruntur in regno tuo, quae si deducerentur ad limam, correctionem exposcerent graviorem, non solum de voto tuo, captione fraterna, et electionibus Praelatorum" cet.

§ 47.

De ritu coronationis filii ejus Ladislai infantis;

Habuit is Pontificem hunc in eo quoque sibi assentientem, ut filius suus licet infans adhuc, diademate regio cingeretur; hac enim ejus mente intellecta de sacramento fidelitatis Ladislao nuncupando datis ad Archiepiscopos et Episcopos literis providit, et negotium coronationis Archiepiscopo Strigoniensi commisit, decrevitque simul, ut pater filii sui vice juramentum tam super Apostolicae sedis obedientia, quam eclesiae hungaricae libertate verbis Progenitorum diceret [1]).

---

[1]) Lit. Innoc. III. vide Cod. Dipl. VII. 430.

§ 48.

Qua cum ingenti populi consensione peracta, Emericus plurimis exsuperantiae animi sui monimentis eum cumulum addidit, ut Andream bellum instaurantem captumque,

Solemnia coronationis a. **1204** peracta, maxima populi, neque eorum tantum, qui suam Emerico fidem et domi et navata pro Ottone Caesare foris opera, egregie aprobarunt, verum ejus item multitudinis consensione, qui per Andream anno superiore conducti ad abrogandam

Emerico regiam dignitatem accingebantur [1]. Hoc enim bello, quam fuerit altus animo Emericus, clarissime patuit, quando alter veluti Scipio Africanus [2] vel quem hujus laudis gloria et isti et aliis veteribus Romanorum Ducum Velleus Paterculus anteponit, [3] Octavianus Augustus, singulari quadam fiduciae exsuperantia, inermis in medium hostilis exercitus descendit, pari fortuna; inimpeditus enim ad fratrem pervenit, huncque manu prehensum extra aciem duxit, et in castro Kheene custodiae mancipavit; multitudinem vero, ipsa virtutis hujus gratia captam, eo clementiae suae beneficio sibi devinxit arctissime, quod nemini suam in Andream fidem, damno esse voluit.

---

1) Innoc. III. ad Cap. Strig. de X. Cal. Decemb. 1204 „absque contradictione qualibet et praejudicio alicujus praescripta Coronatio ab universitate fuerat celebrata."

2) Auli Gelii Noct. Att. l. IV. c. 18.

3) Hist. Rom. l. II. c. 80.

§ 49.

non multo post libertati redderet, filiique sui tutorem constitueret.

Nondum annus a captivitate Andreae abiit, dum hunc quoque Emericus libertati reddidit, et his magnificentiae animi sui monimentis, ut cumulum adderet, ultimae voluntatis tabulis, eum Tutorem filii sui Ladislai constituit.

XVIII. REX LADISLAUS INFANS

anno 1205.

§ 50.

Rex veri nominis

Clavum regni per manus Patrui, Tutorisque sex menses tenuit. Locum itaque in serie Regum Hungariae eodem, imo majori, quam Ferdinandus IV. Patri suo praemortuus, jure obtinet [1]). De hujus matrisque conditione solicitus Innocentius III. mox, atque ei de obitu Emerici renunciatum est, Andream datis ad eum literis hortabatur „ne munere Tutoris ad regales fundos alienandos, detrimentumque pupilli et matris ejus abuteretur“. Quod per Pontificem illum optimae suae in Regiam Domum voluntati datum, nemo bonorum erat, qui non prolixissime aprobaret. Andream enim, quem levem adhuc prodigumque cognoverunt, meliori deinceps vivere instituto non pueri regis, non viduae reginae intererat magis, quam reipublicae universae.

---

[1]) Clariss. Prayus privati scriptoris transgressus modum, quando Ladislaum infantem in numero Regum non recte duci asserit, censuram Katonaii per ea, quae in H. R. H. p. 193 ex aliquibus Ladislai IV. et Andreae III. literis adfert, non evertit; constare enim sibi si voluit, ex similibus Andr. II. et Belae IV. literis, et Petrum Venetum et Samuelem Abam ex Regum numero expungere debuerat. Quod ille non fecit, quia jure consuetudinario Hungariae (II. tit. 14.) ambo Reges habentur; laudo consilium; eo vero minus probo, quod Ladislao infanti locum, quem pariter juris illius praesidio tenet, adimere se posse arbitrabatur.

LIBER OCTAVUS.

REIPUBLICAE HUNGARICAE

ANDREA II. REGE

FACIES.

Ut quisquis factus est princeps, extemplo fama ejus incertum bona an mala, caeterum aeterna est.

Plin. in Pan. ad Traj. C. LV.

XIX. REX ANDREAS II.

ab anno 1205 — 1235.

§ 1.

‚icet ex formula magis adstricta, quam Emericus, inaugurale nuncupaverit juramentum;

Solemnia coronationis Andreae II. hoc memorabile xhibent, quod paullo plus, quam Emericus pro filio, voere namque Andreas insuper debuit: se jura regni ui et coronae honorem illibate conservaturum [1].)uod igitur apud Germanos ex aliquo tempore usu venit, t Imperatores in consecratione sua se bona Imperii conervare, et per quemcunque detenta recuperare velle jure ırando promitterent [2]; id Archiepiscoporum, Episcoporumque, credo, maxime diligentia in Hungaria quoque eceptum inveteravit [3]).

---

[1]) Ita literae Honorii III. PP. C. D. III. p. 294. Hoc igitur rtum; simul vero jurasse Andream: Collectas suo se arbitrio factuım non esse ex litt. Greg. PP. de a. 1235. Kat. H. C. V. p. 737 lmodum probabile est.

[2]) Chron. Montis Sereni ad a. 1222 „Otto Imp. cum in Concratione sua jurasset se bona Imp. conservare et a quolibet dента repetere velle".

[3]) Elisab. Reg. a. 1272 „Cum die appositionis Coronae cali nostro promisimus juramento, quod jura nobilium per antecesres nostros indebite alienata et injuste occupata reddi faciemus et stitui". — Ladisl. IV. a. 1279 „Primo quidem juravimus, quod em Catholicam et libertatem ecclesiasticam servaremus ac tenere-

mus et teneri faceremus, et servari in regno nostro, ac terris nob subjectis quoque. Constitutiones quoque et Decreta SS. Regum pro genitorum nostrorum, et bonas consuetudines eorundem, nec no omnia alia et singula, quae nostri progenitores in sua consueveru coronatione jurare, inviolabiliter servaremus."

§ 2.

tamen non tam Principem, quam voluntatis uxoris sua ministrum cum ageret,

Andreas regnum, quod fratre et nepote superstit bus flagrantissime cupiverat, dum Conjux ejus Gertrudi filia Ducis Meraniae in vivis esset, ex hujus administr bat arbitrio; ambiguus ab Emerici, an Ladislai filii huju obitu initium Principatus computaret? Diplomata eni in utrumque sensum dedit [1]).

[1]) Vide compendii causa Ederum in init. Saxon. Transylva p. 194, nota 23.

§ 3.

praesens amittendi regni adiit periculum, quod quide discussum;

Uterum adhuc Regina gerebat, cum Pontificem lit ris de VII. Idus Junii 1206 interpellabat, praeciper Antistitibus Sacrorum in Hungaria, ut proli, quae sil prope diem nasceretur, juramentum fidelitatis, ad mand tum Patris praestare ne cunctentur. Detulit voto eju Pontifex, ipse vero mascula auctus sobole [1]), cum alia quoque semper is esset, quem illum uxori superbae av raeque aut expediret esse aut liberet; tum vero hoc qu que suae in eam indulgentiae adtribuit, ut fratrem eju Bertholdum spreta sponsa, Bambergensem antea Praep

[1]) In solemnitate gaudii de nato filio villam Billike in sylv Bakon condidit VII. v. 1. p. 235.

situm, Archiepiscopum Colocensem, mox Banum Dalmatiae et Croatiae renunciaret; licet neque id aetatis erat, neque ita a literis informatus, ut seu huic seu illi muneri praeesse cum dignitate posset. Hoc Reginae arbitrium, nimiamque Regis uxorii in prosequendo, quod prompta nuper et Polonorum et Russorum consensione adfirmatum est, Coronae Hungariae in Galliciam et Lodomeriam jure et immodico Reginae in alienigenas, studio, ad aequitatis rationem revocando, ignaviam, quum plurimi aegerrime ferrent; ad haec vero et maritus et uxor, ac ille quidem quod de Fisci exiguitate questus, nullum collectarum finem faceret, hanc vero corradendo intendere thesauro cognitum esset, gravissima populi flagrarent invidia, clam de evocandis ad regnum Geyzae filiis actum, nunciique ad eos expediti sunt. Huic conjuges regios periculo bona eorum fortuna exemit [2]). Hac tamen ita deinde usi sunt, ut regina suum illum fratrem altius etiam provehi, Vajvodamque Transylvaniae et provinciarum Bacsiensis et Bodroghiensis Comitem declarari procuraret, Rex vero, ut aliquod tandem otio interponere negotium videretur, in Galliciam seditionibus perturbatam duceret. Eo absente Regina, quod fratri suo, Ekberto, ut vetus apud Hormayrum Chronicon habet, uxorem Bencze Bani antea jam Palatini, procaretur, IV. Kalend. Octobris 1213 in campestri tentorio interemta est [3]).

[2]) Nuncios cum jam Spalatum pervenissent Dom. Comes de Sebenig cepit et ad Regem cum cartis adduxit C. D. III. v. 1. p. 101.

[3]) Archiv für Geographie etc. a. 1821 p. 457. — Dlugossus VI. diem retinet, sed errat in anno, quem 1212 ponit.

§ 4.

sed quia prodigalitate ignaviaque ejus,

Reversus in Hungariam Rex in aliquos paricidii hujus reos animadvertit; alios ad aliud tempus seposuit, plurimorum ausum tam nefarium, quum ulcisci non valeret,

oblivisci maluit. Sic vero nec justae severitatis praebu exemplum, nec clementiae laudes meruit. Per morte uxoris plenae redditus voluntatis suae libertati, cum nih magis, quam cogitandi laborem fugeret, nihil quoque me ditato consilio, sed omnia ex inveterato quodam anim sic comparati habitu egit, ut exquisitissimis liberalitat titulis [1]) peculium castrorum in donationes [2]) effundend sua ipse confessione prodigus, idemque populum null Ordinum discrimine perpetuis posthac quoque collect premendo, avarus, tanta ingenii in iram injuriasque pra cipitis [3]), quanta nimiae lenitatis ederet specimina, s in omni vitae genere varius, ut si quando aliqua animi i posterum prospicientis vel avitae Majorum virtutis elux specie, hujus famam contrario protinus vitio ipse sibi er peret.

---

[1]) Familiaria ei in Diplomatibus axiomata sunt: ,,illa maxin petitio mereri censetur obtentum quae praecedit velle petentis. La giendo terrena, lucrari caelestia, et temporalibus institutis acquire sempiterna. Optima in principe donandi mensura immensitas judic tur. Excellentissima Regum nobilitas nullis largiendi limitibus ci cumscribi debet; cum ex Regis Regum testimonio plene cognover mus imunda quaeque per elemosynarum largitionem posse penit emendari. Item: inter ceteras virtutes Regum Majestatem adornant immensitas largitatis commendabilior atque praepollens judicatur" et

[2]) Castri terras proprias appellat, in lit. a. 1221 (III. 32 de nostris terris propriis scilicet, de terris castri Zagrabiensis et

[3]) Sic fatetur ipse Joannem Archiepiscopum Strig. possessio Tardos ex ira per se esse mulctatum a. 1218 (III. v. 1. p. 25 Roberto Strigoniensi propter quamdam indignationem homines villa Pogran abstulit et rursus rediens (propria ejus verba sunt), mentem, restituit (IV. 710). Benedictum Ducem filium Korláth Emerico ac de se quoque optime meritum ,,sicut frequentius Magn tum, ait, animos ad diversitates sensuum contingit alterari" unive sis bonis spoliatum in exilium misit, bonis deinde uxori, quae aulam Reginae ab obsequiis fuit, redditis a. 1221 (III. 317, 373

§ 5.

retro lapsa sunt omnia; ruentis reipublicae praesidium in coronatione filii ejus Belae quaesitum.

His moribus quum esset, in deligendis vero Magistratibus sic et a consilio et a fortuna destitueretur, ut palatina praesertim officia hominibus mandaret, qui indulgentia ejus, ad sua compendia communisque non minus libertatis, quam regiae exitium auctoritatis abuterentur, parum effugit, quin ordines Regni ingratiis ejus filium Belam vixdum decennem, sed qui vel in teneris meliora promitteret, Regem coronarent. Intercessit tum Pontifex per Andream interpellatus, Episcoposque a societate consilii hujus prohibuit. Non multo post tamen Rex sua ipse sponte concessit, quod antea recusarat, potestate Regis junioris (ita enim illum appellari placuit) non tantum nullis conditionibus limitata, sed in novo sigillo, quod post caedem reginae in locum prioris tunc deperditi, sculpi jusserat, ejus item Protoma galeata ac epigraphi Belae Regis, instar contra-sigilli, adjecta. Eodem tempore alterum filium Colomannum, ut Gallicienses Principes populusque postulabant, Regem his dedit, concessu Pontificis per Archiepiscopum Strigoniensem coronatum, eique sororem Regis Poloniae Salomaeam conjugem delegit.

§ 6.

Ex itinere in Palaestinam suscepto reversus,

Per legatos Ordinum imperii latini ad capessendum, quod a morte Henrici vacabat, solium invitatus; cum consulti hanc in rem PP. M. responsum ambiguum haud dubie Petri Antisidoriensis Comitis gratiam spectaret, Andreas ad solvendum tandem votum sacrae expeditionis animum appulit. Conscripto itaque exercitu, cujus pars magna Siculi Saxonesque fuerant, factisque ad sumtus itineris nominibus, ac Venetarum, Anconitarumque navi-

bus conductis, postquam de administrando, dum ipse abesset regno ita providisset, ut res hungaricas Joannes Archiepiscopus Strigoniensis auctoritate prudentiaque commendatus, Dalmaticas Pontius de Cruce Militiae templi per Hungariam Magister procuraret, a. 1217 vela solvit. Sed necquiquam ingens ille apparatus fuit. Semel enim iterumque ac tertium inita cum Sefadino Turcarum Sultano pugna licet superior, quum de ulteriori belli gerendi ratione inter se Cyprique et Hyerosolimorum Reges sua tantum sectantes commoda non conveniret, in Hungariam se recepit, nullo alio operae pretio facto, quam quod Leonis Armenorum Regis filiam Andreae filio cum jure successionis haeredibus hujus pacto, Belae vero etiamtum impuberi, impuberem Mariam Theodori Lascaris filiam desponderet. Itinere continuato ab Asane Bulgarorum Imperatore non prius dimissus, quam huic filiam nuptui se traditurum spopondisset.

§ 7.

Hungariam reperit omni licentiae genere deformatam, exolutamque legibus.

Redux, Hungariam perfidia plurium sacri profanique ordinis virorum labefactam, justos aerarii reditus interceptos; Joannem Archiepiscopum, quod muneris sui pro virili satageret, finibus regni exactum, bona castrorum, nonnullorum magnam partem occupata, alia quod populi eorum in libertatem se asseruerant, de priori statu longe demigrasse reperit.

§ 8.

Harum auctoritati restituendae impar,

Ipse tamen, quem antea, cursum animi porro quoque tenuit; peculatores enim terrore adventus sui in fugam conjecisse, et Honorium, ne haec iis alibi locorum ad

declinandam poenam praesidio esset, interpellasse; Judices demum, qui de populis bonisque a castris avulsis cognoscerent, delegasse [1]) contentus, potentioribus, bona violenter occupata, velut jure parta privilegio addixit, imo vero eadem nullo adimenda obtentu esse jure jurando fidem fecit.

[1]) In his Comitum Tiburtii, Gyulae Alexandri et Heliae ad partes Tibiscanas delegatorum (a. 1221) memoriam Reg. Varad. ad num. 361, 366, 368 servat.

§ 9.

cum ad ceteros, quibus jactabatur casus,

Alia deinde ex aliis continua serie subnata mala sunt; infelix belli, quod exacto ex Gallicia Colomanno susceptum est, exitus; spes filii junioris de potiunda Armenia per Regem Hyerosolimorum perempta; gravissimaque inter Andream et Belam, si pater ultra quoque suo res instituto gerat, non abs re verentem, ne nihil sit, in quo olim succedat, exorta dissidia, quae verbis aliquamdiu et demum armis agitata, quod Reges pari utrinque potestate colliderent, justi, non civilis belli speciem habebant.

§ 10.

dissidia inter eum filiumque, Belam exorta accessissent, consilium de reformando statu regni aliis permisit.

Inter haec Honorius PP. plurimis testatus verbis non hanc Andreae, cum filium suum Regem inungi juberet, mentem fuisse, ut hic, eo sospite, rebus pari auctoritate praeesset, in quosque dissidiorum auctores censuris ecclesiasticis animadverti praecepit. Neque ambigi potest futuros fuisse bene multos, qui pro veteri minarum hujusmodi religione reversuri ad Andream erant, nisi (quod

ignavo Principe plerumque accidere solet) pro Rege illo servi dominati fuissent. Hoc enim rerum statu plane sciebant, Pontifici dicto audientes si essent, non tam ad naturalem Dominum sibi revertendum, quam servitutem regulorum illorum subeundam esse. Condita itaque per d. Stephanum Monarchia huc delapsa, ut nedum hujus, sed ne alterius quidem recte constitutae civitatis reliqua esset species, de omni jam regni statu reformando cogitandum fuit. Quam quidem ad causam, huicque junctam populi salutem, cum optimos quosque, tum vero Antistites Eclesiae hungaricae plurimum ingenii prudentiaeque adtulisse certum est.

§ 11.

In his Joannes Pontifex Strigoniensis, quam ante Septennium apud Anglos Archiepiscopus Cantuariensis in pari causa praeivit, viam

Principem inter hos locum Joannes Pontifex Strigoniensis tenuit, ut hoc Primatis regni Hungariae fastigio summus, ita ab suo in utramque rempublicam studio clarissimus. Cujus inter plurima specimina unum est, quod quia rationes Instituti hujus attingit, tacitum praeterire non queo. Andreas, ut erat semper levis, futurique inprovidus, et unius tantum, quam, sine industria et labore, solaque obtineri largitate posse autumabat, gloriolae appetens, facile se per Barones suos persuaderi passus est, ut animum „ad alterandum regni statum, ab antiquis illibate conservatum" adjiceret, et qui usque adhuc terras possessionesque castrorum Udvarnokorumque Regiorum alienasset, jam „et castra, et Comitatus et terras et ceteros opulentos Hungariae proventus in perpetuas haereditates Baronibus suis et militibus distribuere" constitutum secum haberet. Atque in efficiendam voluntatem hanc, ut erat ad obeundas muneris sui Regii partes alioquin ignavus, solertissime incubuit. Hanc cum maxima reipublicae calamitate conjunctam perniciem spectavit aliquamdiu

Archiepiscopus ille; postquam tamen eo res adducta esset, ut pie tacere nequiret, Regi mentem suam aperuit. Ex qua cum hic videret, ita animum ejus esse comparatum, ut „novas institutiones fieri penitus renuat“ [1]) tanta in eum ira exarsit, ut tamquam infidelem praedio Tardos donatione Emerici Regis acquisito deturbaret, a. 1218 reddito iterum. Haec Joannes Pontifex Strigoniensis olim: tu quid in praesentiarum egerit? quaeris. Haec enim Chronographorum Hungariae incuria est, ut nequeas cum illis hoc maxime loco non expostulare. Ego, quod sentio, dicam: egit, ut tantumdem ei pro Bulla aurea Andreae II. debeamus, quantum Angli, aequali horum temporum Stephano Langtonio Archiepiscopo Cantuariensi pro Magna Charta sua, consentientibus sensibus se debere profitentur.

---

[1]) Vide Literas Andreae de a. 1218 supra ad § 4. nota 3. excitatas, ex quibus verba hic indicata sumsimus ad rem, uti gesta est, repraesentandam.

§ 12.

ut erat justi aequive studiosissimus

Ad laudes maximi nominis viri hujus nos jam antehac [1]) diximus quaedam, satis luculenta ad hoc intelli-

---

[1]) In Not. praev. § 56. Literae eam in rem ad preces Joann. Archiepisc. ipsiusque, nec enim dubito, verbis a. 1215 editae Ill. 1. p. 169 hoc habent commemorabile exordium „Cum a primis generantibus una libertatis conditio cunctorum fuerit, sed declivis postmodum humana fragilitas secundum diversa merita diversos sortita fuerit eventus; divina permittit pietas et id ipsum annuere debet regia benignitas, ut pro quibus propria vel aliorum efficaciter interpellant merita, licet aliquo servitutis debito prius obligati fuerint, pristini libero statui aevi restituendi fore censeantur. Hac itaque nos animadversione moniti propter honestam et justam petitionem Joannis“ cet. Hoc literarum Regiarum exordium Mathias deinde Notarius Belae R. suum fecit.

gendum[2]): nil ei fuisse antiquius, quam ut moribus, institutoque vitae suae exprimeret illud Terentianum:

— hoc tu facito cum animo cogites:
quam vos facillime agitis; quam estis maxime
potentes, dites, fortunati, nobiles;
tam maxime vos aequo animo aequa noscere,
oportet; si vos vultis perhiberi probos [3]).

Atque in hanc ille virtutem suam, cum Summatum plerique, aut rerum suarum, aut partium magis, quam cummunis Patriae satagerent, majorem jam ad modum explicandam sibi incumbendum ratus est, ne spem bonorum, qui in eum sic, ut unam desertae omissaeque reipublicae salutem intuebantur, officio suo destitueret, sanctaque ea testaretur, quae per Andream et Regiae administros potestatis violata et Nobiles, et Jobbagiones Castrorum et Cives, et Hospites ore uno quererentur.

---

[2]) L. II. § 100 ad b.

[3]) In Adelpho Act. III. scena 4. 55 — 60. Quam gratus in Collegium Sacerdotum majorum Ecl. Strig. fuerit, quam liberaliter inopiam horum, qua per Donationes regias, qua suas sublevaverit, literae loquuntur apud Katona H. C. T. V. p. 33; C. D. III. 1. p. 68, 69, 167. His aliae accedunt pagina nunc citata 69 et 101 exscriptae. Joannem hae alterum nobis Catonem majorem, eumque, uti Katonaius docuit, omnino Hungarum sistunt. Romanus ille sodalitates et epulas constituit Sacris Idaeis Magnae Matris acceptis (Cic. Cato M. c. XIII.); Joannes noster diem translationis b. Alberti et aliam memoria omnium Sanctorum solennem, non ritu solum Eclesiae, sed, sacris peractis, de more patrio per Notarium Belae Regis et vitae b. Gerardi auctorem descripto, inter convivia et accubitionem epularem amicorum per Collegium illud celebrari voluit, et ut hoc perpetuis servari temporibus possit, de opibus abunde suppeditavit.

§ 13.

i n s t i t i t.

Quod igitur Péterfius de Luca Archiepiscopo Strigoniensi adnotavit, hunc exemplo Thomae Cantuariensis

ea aetate in Henricum II. Angliae Regem armati providisse, ne in pari causa par incendium Hungariam corriperet, equidem auctori huic relinquo; id nihil ambigo repetere: omnino Joannem Pontificem Strigoniensem illam ipsam, qua Stephanus Langtonius apud Anglos praeivit, viam publicae rei consulendi instituisse. Jura Langtonius populo per b. Edvardum Confessorem asserta obtendit [1]) Regi illi Andreae simillimo; huic Joannes Strigoniensis libertates per s. Stephanum concessas opposuit, licet ut illa, ita hae nullis enumeratae, fixaeque legum tabulis, aut Diplomate, professa edito opera firmatae fuerint. Horum namque vicem utrobique praeclara aequitatis divorum illorum Regum fama acceptaeque a Majoribus, ad hos vero per seniores propagatae traditionis fides supplevit. Par idcirco gentis utriusque in hoc etiam causa est, ut quomodo Angli ad Leges b. Edvardi ex magna Charta sua, ita Hungari ex Bulla aurea Andreae II. ad leges s. Stephani ducere argumentum soleant. Sed vero Archiepiscopus ille Cantuariensis Eclesiae primum libertatem in solido collocavit; hoc ipsum Joannes Pontifex Strigoniensis a. 1222 fecit; tum vero, uti ille, de communi libertatis in omne aevum Palladio, quod sua Anglis Charta magna, Bulla nobis aurea praestat, compingendo laborem adivit. In summa, uti arbitrium utrobique idem; ita neque inter rationem, modumque circumscribendi arbitrii, si rei species indolem, quidquam inter coaeva haec Providentiae civilis monumenta differt.

[1]) Humeius o. c. Vol. I. c. 11: ,,We may now of the tenor of this charter conjecture what those laws were of King Edward, which the english nation during so many generations still desired, with such an obstinate perseverance to have recalled and established.

§ 14.

t e n u i t q u e.

Hoc Andreae II. Decreto populo hungarico velut aliud initium libertatis factum; in re ipsa cautio de hac

observanda interposita, acceptaque est. Commune namque hoc etiam Bullam auream Hungarorum et Magnam Chartam Anglorum mansit fatum, ut diu sine pondere essent, quae populus maximo jurium suorum ponderi esse voluit; prisca enim malorum cohors, post editas literas has, multo etiam majori vi regno utrique incubuit, chartaeque et hujus et illius pretium paribus utrinque modis et quadam veluti gentis utriusque, ut videbimus, deinceps consensione flagitatum sequior demum aetas, et Bullae quidem nostrae momentum justitia et benignitas Ludovici I. asseruit. Neque eo minus scriptores aevi posterioris omnem Bullae hujus gratiam ad unum conferunt Andream. Qui eapropter eximiis per Verbőczium ornatus epithetis [1]), Kelemenio quoque libertatum nobilitarium aequissimus juxta, ac beneficentissimus Instaurator audit [2]).

---

[1]) Op. trip. II. tit. 6 et 14.
[2]) Hist. jur. priv. § 39 nota d).

§ 15.

Primum igitur libertatem hierarchiae hungaricae Decreto Regis confirmari procuravit;

Ex decreto Andreae, quod de libertate Cleri edidit, personae in sortem Domini per tonsuram clericalem insignitae, conveniri jure, nisi coram Archiepiscoporum, Episcoporumque, Praepositorum, Archidiaconorum seu Diaconorum foro nequibant; vicissim Clericus contra laicum in causis secularibus jus suum coram tribunali Judicum secularium prosequi tenebatur. Constitutum praeterea, ut nemo ordinis Clericalis liberos denarios vel pondera vel quemcumque censum ad fiscum pertinentem solvere debeat, et si collector publicorum vectigalium haec ab iis exigeret, vel super eos descenderet, ut fur et raptor pellatur. Ne demum quisquam Udvarnokorum

Regis seu civilium, sive cujuscunque servitutis jugo subditorum, ad tonsuram clericalem admittatur. Quorum tamen primum, semper exceptis judiciis terrarum, hoc nempe sensu fuit acceptum, ut ratione causarum, quae essent de terris, Clerus quoque respondere coram foro seculari [1]) deberet; ultimum, usu magistro, significabat: ad tonsuram Clericalem illos, qui de ingenuorum, liberorumque classe non essent, nisi per Dominos suos manumissos prius, admitti non potuisse.

---

[1]) Vide Scita Comitiorum (Consistorium Andr. II. appellat) in sylva Beregh de a. 1233. C. D. III. 2. p. 323.

§ 16.

Parsque deinde magna maximi Comitiatus fuit, ex quo Bulla aurea Andreae II. exiit. Per hanc

Decreto altero, cui a sigillo Bullae aureae nomen, verba sola si spectes, jura per s. Stephanum populo concessa et per Andream II. confirmata, rem si altius introspicias, antiquissima primorum, verorum et naturalium Nobilium, seu liberorum Servientium jura ab ultima deducta gentis origine insitaque moribus; propria item Protoregis hujus Instituta et Privilegia, secunda gentis voluntate Jobbagionibus Castri et Hospitibus collata, firmataque usu, continentur. His quaedam posterioris aetatis intermista sunt scita, et leges; ne quid ad similitudinem Magnae Chartae Anglorum desideres, ex ratione ejus temporis ita conditae, ut harum aliquae pro vinculo fidei de ceteris observandis inservirent, securitatemque communis libertatis, arcis instar, tuerentur.

§ 17.

Primaeva naturalium Nobilium regni libertas instaurata;

Jam primum Decreto hoc vetustissima ingenuorum, liberorum, militum praerogativae unitas, quae invectis

Aulitum, Servientium Regiorum, aliisque Jobbagionum varii generis nominibus scissa videri poterat, communi Servientium appellatione restituitur. Vera itaque est, cujus jam superius commeminimus, Stephani Verbőczii de aequata per Decretum hoc Nobilium omnium libertate sententia. Cui qui obtrectant, non illi spiritum legum, sed fluxum Andreae et nepotum in aliquali prisci Regum Comitatus simulacro efformando, imitandoque peregrino titulorum luxu consilium pro lege summunt, singulari certe, per quam nempe factum sit, ut dum non tantum valentiores naturales Jobbagiones, Servientesque ex ordinibus militiae, cui Castri praefuit Comes, eximerent, sed Castrenses etiam tenuiculo facultatum apparatu Servientes Regios, Aulitesque renunciarent. Ordo coalascere pergeret novus eorum, qui ut non Comites, ita nec jam e numero Liberorum seu Militum s. Stephani essent. Huic itaque lege hac obviam itum, parique stabilita militiae conditione liberorum Servientium omnium, seu Regis hi, seu Regni Servientes essent, praerogativa quoque penitus aequata est. Quod dum auctor ille Juris consuetudinarii asseverat, constat ille sibi ea etiam parte, qua (I-ae tit. 93. § 4) Viduabus Baronum solo nomine talium et insignium, quod recte subjicit, usu vetusto dotem quinquaginta marcaram, eandem scilicet ipsam admensam esse perhibet, quae testimonio literarum Belae IV. [1]) longe antiquissima consuetudine viduabus Jobbagionum naturalium debebatur. Quod argumentum, quanti in rem praesentem momenti sit, censoribus Verbőczii expendendum relinquo; ipse enim non cesso mirari singularem plane viri hujus et memoriam

---

[1]) Vide eas in Mantissa; alias similes C. D. III. v. 2. p. 490; eandem 50 marcarum dotem accipit vidua Pousa Jobbag. castri Trenchin. a. 1247. C. D. IV. p. 471. De dote, quae viduabus Baronum regni obvenit (100 marcae fuerunt) literae testantur Belae IV. de a. 1235 „Dyonisius uxori Turde pro dote sua persolvat centum marcas"; aliae item Ladislai IV. Diplomati Caroli R. de a. 1327 (IX. v. 6. p. 82) insertae.

et scientiam, qui non modo vetustissima quaeque Juris privati hungarici capita, scitaque Juris publici omnia, sed praecipua etiam Historiae Juris utriusque momenta tenuit.

§ 18.

et cetera novo robore firmata antiquissima Jura sunt,

Capita Decreti hujus, quae Servientes, populosque horum, a tributis, vectigalibusque publicis, a praestando Regi aut ministris commeatu et hospitio immunes; sine haerede sexus virilis qui decedunt, libera hos de rebus suis disponendi facultate pollere; obeuntibus ab intestato Cognatos propinquiores succedere, nullaque alia, nisi militiae teneri obligatione testantur, jura repraesentant, quorum summam Hungari attulerunt secum. De juribus his nihil d. Stephanus deminuit, sed Andreae, clientumque levitas nulli avitae libertatis parti non gravissimam plagam inflixit. Et hae igitur resanatae, et munus militiae ex lege d. Stephani descriptum; qui cum tuendae pacis, quam inferendi belli potiorem haberi rationem vellet, decrevit, ut Servientes liberi extra regnum ne Regem quidem, nisi conducantur mercede, velintque sponte, sequi debeant, libertatique huic qui insistunt, mulctari eapropter non possint.

§ 19.

Institutaque d. Stephani plurima;

Ex Decreto hoc Servientes, nisi arcessantur judicio, audianturque, condemnari; et quae in eos haberentur, capitales quaestiones, sine Regis terminari conscientia nequeunt. Judicis Curiae Regiae potestas ordinaria ad Regis alligata Curiam; Jurisdictio vero Comitum Parochianorum hunc ad modum circumscripta est, ut huic causae de jure proprietatis praediorum diserte eximerentur. Bi-

lochi tamen regales fungi munere suo, nisi iis consciis, non possent. Pars tertia redituum Castrorum Comitibus his cedit; reliquae duae, Cybriones item, tributa, boves ad Regem pertinent. Decernitur porro, ut Comitibus auctoritate sua ad opressionem populi qui abuterentur, ultra ablatorum restitutionem Magistratus abrogetur. Integri Comitatus vel munera publica perpetuo jure instar praediorum ne conferantur. Quae omnia sunt ejusmodi, ut his post ea, quae de Institutis d. Stephani diximus, non nos oporteat immorari.

§ 20.

atque haec inter ea etiam, quae se ad Jobbagiones Castri et Hospites referunt.

Articulus Bullae aureae XIX. de rusticis perperam inscriptus de Jobbagionibus castri agit, lege per d. Stephanum constituta tenendis; Bellatoribus, puta, castri huic muneri suo, [1]) ceteris ad labores bellicos, et operas in conservationem castri necessarias servandis, finibusque his Instituti castrensis nullius in gratiam aut favorem subducendis. Privilegia d. Stephanus hospitibus quae impertivit, illibata esse voluit, hancque ejus voluntatem Bulla Andreae II. pro perpetua haberi lege jussit.

---

[1]) Hi vendere terras suas, nisi consentiente Rege, nequibant. Itaque cum Paulus filius Terezen, Vid et Dobruzlov Jobbagiones Castri Barsiensis terram Ryucska et Bela ad se et omnem Cognationem suam pertinentes, de comuni omnium Cognationum suarum consensione et ex permissione ac beneplacito D. Andreae R. Leustachio Comiti a. 1228 coram Capitulo Strigon. venderent „Regis nomine Samuel Comes et Burunch coram Capitulo aderant, ut de hujus permissione fidem facerent. Et reambulatione terrarum, in praesentia Jobbagionum provinciae instituta, et partes et nuntii Regis literas emptori postulabant extradari.“ Autogr. in Regn. Arch. Cap. Scepus.

§ 21.

Constitutio Colomanni Regis de marturinis confirmata.

Caput Decreti hujus XXIX. de marturinis inscriptum auctorem suum prae se fert. Sensum hujus dedimus alibi; hic pericopen literarum Belae IV. junioris Regis de anno 1224 alteram item Andreae II. de a. 1231 legem adjungimus, ut res ibi explicita, perpetuo ejus usu edocto, in plenissima luce collocetur. „Porro hospites, ait in Diplomate de terra Klokocse (C. D. III. v. 1. p. 466) Bela, quos praedicti liberi homines (de Radus) habuerint infra metas praescriptas, decem denarios debent persolvere pro marturinis. Unde quilibet de praefatis liberis hominibus tertiam partem marturinarum habeat de suis hominibus, duae vero partes marturinarum totius terrae illius, quae ad jus nostrum pertinebant, Radus et haeredibus ejus dedimus in perpetuum.“ Legum vero a. 1231 art. 33 haec habet: „Item: pro singulis marturinis quatuor pondera [1]) persolvantur, quantumcunque in ea provenerit; tertia pars domino fundi et duae partes domino terrae persolvantur.“

---

[1]) Similem Andreas II. favorem a. 1218 Blagaiis praestitit apud Valvasor die Ehre des Herzogth. Crain T. IV. „praeterea, ut nec ipsi Dux et Banus, nec etiam officiales quipiam nostri vel ipsorum, collectas marturinales, quas ipsis in resarcitionem et recompensam praefatarum eorum pecuniarum ad honorem nostrum expositarum perpetuo damus, in dicto Comitatu ipsorum et Dominio taxare, exigique et recipi debeant, neque possint, quovis modo.“ De populis terrae Dobouch vide sis alias Ladislai IV. de a. 1280 literas. C. D. V. v. 3. p. 23.

§ 22.

Quaedam denique ex ratione praesentium temporum condita sunt.

De lege Bullae aureae, denarii ut tales sint, quales fuerunt tempore Regis Belae [1]) Collectanea nummorum Andreae consule, reperiesque hoc Rege in Hungaria quoque jactatum esse nummum sic, ut nemo posset scire, quid haberet [2]); atque haec, leges item de Ismaëlitis et Judaeis a Magistratibus rei aerariae, vectigalium saliumque arcendis [3]); de possessionibus extra regnum non conferendis, dataque populo regni collatas redimendi facultate [4]); si hospites, videlicet boni homines in Regnum

---

[1]) Art. 23.

[2]) Cic. de Off. III. 20.

[3]) Art. 24.

[4]) Art. 26. Andreae pro axiomate fuit: munificentiae regalis immensitatem etiam ad extraneos bonae conditionis fragrantia longe lateque, dilatari debere. Hoc ille axiomate orsus est literas, quibus Abbatiae s. Crucis in Austriae (apud Pecz. C. D. P. II. p. 70) terram Leginthov ultra vicinum ei novum praedium et curiam Regis (Königshof) ac villam dictam Salun sive Winden et aliam Potersdorf juxta lacum Fertö per Majores suos donatas confert a. 1217. Atque huic opponitur axiomati lex haec: Ceterum ex Tabulis pacis inter Andr. et Leop. Ducem Austriae initae videas, Ducis hujus populos in Hungaria partim Advocatiarum ex donatione Dominorum terrae, partim occupationis, partim ex privilegio Regis vel Donatione in feudum, terras tenuisse, a quibus ut decimas praestent, his conventum literis fuit. Ad historiam legis hujus pertinet etiam donatio Lud. I. (IX. v. 2. p. 151) qua Hermanno de Schwarcza quemdam fundum Curiae seu laneum integrum in Rajka (Comitatu de Moson) jure perpetuo confert, dando eidem et haeredibus de praedicto fundo Curiae seu laneo quibuscunque regnicolis, sed non extraneis, si voluerint, in vita et in morte, qualicunque modo alienandi plenam et liberam facultatem, ita tamen, ut praedictus Hermannus et sui haeredes aut etiam, quibus ipsum fundum venderent, quemadmodum

venerint, de his sine consilio regni ad dignitates non provehendis [5]) sunt eae quidem praestantes, tuleruntque vetustatem, his tamen omnibus longe antecellunt, quae art. 1 et 8 communis Palladio libertatis sunt constitutae.

---

exteri regnicolae illius partis, de hujusmodi fundo seu laneo servire sunt consueti, sic et ipsi debitam fidelitatem regi et s. regni Coronae observantes Castro de Ovár vel ipsius castellanis consueta servitia semper exhibere teneantur.

[5]) Art. XI.

§ 23.

ac speciatim dignitati Palatini prisca Judicis Communitatis auctoritas reddita;

Decreti hujus art. VIII. constituitur: omnes ut homines regni indifferenter Palatinus discutiat. Judicis haec Communitatis, initio conditae Civitatis hungaricae, erat auctoritas, quae per ss. Reges limitata, lege hac in integrum restituta est. Quod quidem consilium, cum non ex novandi profectum lubedine, quam per mores valentiorum praesentis temporis licentia corruptos imperatum sit, difficile factu est, non probare. Commendabat illud imprimis ratio celerius obtinendi juris, cui necessitas adeundae Curiae Regiae quoties negotium cum illis, aut novis repentinisque Servientibus Regiis erat, quorum plerique non tantum Comitum Castri, sed Palatinorum quoque Jurisdictioni eximebantur, haud modicam imposuit moram. Instaurata ad haec primaeva libertatis politicae aequalitate, nihil magis consentaneum fuit, quam ut Palatinum non Servientes modo naturales, sed Comites etiam et valentiores quique, tamquam Judicem regni ordinarium venerari, ejusque stare Sententiae teneantur. Denique Missi Regii, quod dixi alibi, non eos se praestiterunt, ut haec pars Institutorum d. Stephani ex justitia et aequanimitate horum aliquam apud populum colligeret gratiam.

§ 24.

constitutum: ut Solemnia memoriae d. Stephani quotannis in maximo populi Conventu Albae celebrentur.

Magnae Matris in coelos assumtae festum (Nagy boldog Asszony napja hungarorum) s. Stephanus et Ladislaus; Bela III. proximum s. Stephani diem, ritu illorum [1]), in maxima omnium ordinum frequentia quotannis Albae celebrabat. Hujus itaque mos iste dimissus per Andream, Decreto hoc, in perpetuam elevatus legem, primo namque mox articulo constitum, ut quotannis Solemnia festi s. Stephani Albae celebrentur [2]); his Rex, nisi arduis negotiis aut valetudine impediretur, per se adsit [3]); Palatinus quidem, qui vice ejus Causas audiat, abesse non possit; Servientes autem, qui voluerint, libere illic convenire valeant. Qui institutum hoc pro Foro duntaxat dirimendarum contentionum privatarum summunt, vereor, ne Sententiam legis non penitus assequantur, ut quae tam ad has, quam vero generatim quasque justas populi de juribus per quoscunque violatis querelas, harumque remedia, et quo nihil neque cogitari augustius, neque decerni ad salutem publicam aptius praestantiusque potuit, ad memoriam d. Protoregis non solum piis ad aras precibus, sed quod paullo plus, eique gratius esset, sanctis-

---

[1]) Vide Legend. maj. s. Gerardi apud Batth. p. 314 de s. Lad. LL. ejus l. III. c. 3.

[2]) Ex Diplomate Belae III. de a. 1175 (Farlat. T. V. p. 355) verbisque „quum Albae s. Regis Stephani solennes agerem dies Zagrabienses Canonici — devotas porrexerunt preces" cet. colligere est: id, quod lege hac constituitur, mox post apotheosin d. Stephani lege aut usu invaluisse.

[3]) Ad historiam conditae legis hujus literae Honorii PP. de a. 1222 (III. v. 1. p. 390) haud parum conferunt, ex quibus apparet id primum ursisse Ordines „ut omnes populi (regni) conveniant bis in anno, ubi etiam Rex junior (Bela) personaliter interesse teneatur".

simis administrandae Justitiae officiis celebrandam patet. Quod ut eo sit clarius, legem subjiciam Belae IV., animis post institutam annuam hanc Albae celebritatem, restitutamque veterem Judicis Communitatis auctoritatem, ad revehendum simul priscum Congregationum Communitatis usum inclinantibus, in haec providentissimo consilio conditam verba [4]): „item ordinamus, quod singulis annis, in festo s. Regis unus ex nobis (seu Bela seu filius Stephanus Rex junior) Albam venire debeat, et de quolibet Comitatu duo, vel tres nobiles debeant convenire, ut in horum praesentia de omnibus damnis et injuriis per quoscunque datis et illatis omnibus satisfiat". — Non dilatabo argumentum; patet enim ex his per se: in illa plurimorum, priscos communis colloquii campos spectantium, contentione Belae IV. hanc fuisse providentiam, ut hujus habendi modus, ex mente Belae I. ni fallor, ad Systema, ut loquimur, repraesentationis Comitatuum hodiernum adducatur; est vero et illud satis clarum: axioma art. 14. 1715 Generalium Comitiorum celebrationem salutare gravaminum relevandorum esse medium, non hoc demum articulo natum, sed jam olim legibus his, explicitum esse.

---

[4]) In Syll. Decr. Com. Kovachichii Decr. a. 1267 art. 8.

§ 25.

Palatino commissum: ut legibus Decreto hoc comprehensis intendat, nec Regem aut Nobiles, aut alios deviare consentiat;

In legibus Belae IV. commodum citatis, nulla est vicariae Palatinorum in anniversario ad Albam conventu potestatis, immo ne nominis quidem mentio. Ad quod eos animum advertere velim, qui Decretum hoc Andreae II., auctore Bela rogatum, solertia incogitata vulgarunt. Huic enim, ut plura Constitutionum harum capita, tum

vero ea, ut videbimus, displicuerunt maxime, quae ad exauctam Palatini auctoritatem pertinent. In his serie penultima, momento suo prima est, qua ei pro praecipuo officii munere committitur, ut nec ipse a legibus his deviet, nec Regem vel Nobiles vel alios deviare consentiat. Hac namque condita, principalique tuendae communis libertatis cura Palatino mandata, unum duntaxat ad regenerandam primaevam reipublicae sub Ducibus formam reliquum erat, ut Palatinus publicis populi deligeretur sufragiis. Quod quidem populus flagitabat etiam, sed responsum accepit art. 3 alterius Decreti Andreae II. de a. 1231 comprehensum. „Si Palatinus male administraverit negotia Regis et regni; suplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus constituamus, quem volumus; et nos precibus eorum annuemus.“

§ 26.

denique Ordinibus regni, si Rex Decreto huic decerperet, resistendi asserta facultas.

Id tamen incunctanter, maximaque, anno 1222, voluntate Andreas concessit, ut si Rex, aut posteri tollerent, mutarentve quampiam legum harum, Episcopis aut Optimatibus ceteris, vel Nobilibus universis et singulis sit fas ei resistendi, quin propterea perduellium numero habeantur. Causam particulae hujus Decreti Andreae ego Patribus Concilii Toletani de sec. VII [1]) et Kelemenio nostro [2]) ac Hallero Restaurationis scientiarum politicarum auctori [3]) Regibusque et populis, quorum exemplis auctor hic in rem suam utitur, defendendam committo: mihi enim aliud, nulla peregrini moris imitatione mixtum, planeque proprium vitae civilis Hungarorum momentum

---

[1]) Forum judicum tit. 1. l. II. l. IV.

[2]) Hist. Juris hung. priv. § 40 ad d).

[3]) T. II. p. 437.

illud, velut, multo majus augustiusque, et stirpis eorum laudibus congruentius praeplacet, quo omnium licet animi, post obitum Alberti, in una Majestatis populi cogitatione defixi fuerint, maxima igitur omnes contentione Bullam auream Andreae II. per Vladislaum I. Regem confirmari urserint; hunc tamen sua ipsi sponte modum libertati suae posuerunt, ut a resistendi facultate illa sibi vendicanda sapientissime abstinerent. Forte fallor; sed mihi stat sententia firma, resistendi facultatem illam non tam populum flagitasse contumaciter, quam Andream alacriter concessisse, quem in plerisque tam ante, quam post editam Bullam eam literis sic plane prodigum auctoritatis suae videas, ut in aliis posteros suos, si his decerperent, regni exsortes declararet; in aliis homines regios, si quid contra auderent, capiendi, vinciendique aut, si mallent, pellendi privatis faceret potestatem [4]).

---

[4]) Supra § 15. In priv. Ecl. Zagr. a. 1217 (III. 1. p. 210) „et si aliquis — contra praedicta jura aliquid attentare praesumserit, si fuerit de regali progenie paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percutiatur, et nunquam ad Coronam — possit pertingere, sed toto tempore vitae suae sit vagus et profugus" cet.

§ 27.

Per has tamen leges nihil quidquam de moribus Andreae demutatum

Condito Decreto hoc et Rex et Barones omnes solemni jurejurando fidem suam de eo religiose servando obstrinxerant [1]). Atque inde evenisse credo, quod nomina eorum, velut testium tabulis his subscripta non sint. Plura Decreti hujus facta esse exempla, cum ad calcem ejus diserte asseratur, dubitare nolim; quod tamen e his ad Pontificem aliosque mittendis ibidem innuitur,

---

[1]) Art. 5. 1231.

reipsa factum non magnopere confirmo; id certum est: non Regi, non Baronibus ejus majorem deinceps, quam antea justi aequive rationem, aut peccandi verecundiam fuisse.

§ 28.

imo contra clarum earum sensum peregrinum liberorum Comitum institutum ejus maxime Privilegiis excultum est.

Collectas cogere Andreas II. non ante, quam vivere desiit, et quem olim divitiarum, eum unum perpetui quoque tributi hujus cepit fructum, adsuetam a puero prodigalitatis voluptatem; nisi forte in condito apud Austrios monasterio Steinensi meliorem facultatum suarum fecisse usum existimes. Idem aequalitatem politicae libertatis instaurasse; limites auctoritatis Palatinorum protulisse videtur, ut cum nihil amplius, quod donaret, reliquum esset ex injuria legum harum materiam largitionum faceret. Liberos quidem Comites Hungaria novit jam antehac, sed hi omnes ortu peregrino, iique ipsi erant, quos leges nunc citatae antiquissima gentis de aequalitate libertatis politicae consuetudine teneri deinceps voluerunt. Constitutionem hanc illubentissimis his fuisse renovatam, non valde laborandum mihi est, ut evincam; Factum hinc, ut precibus, auctoritate, consilio horum persuasus Andreas non modo privilegium immunitatis a foro Palatini, qua fruebantur, confirmaret, verum similem hungaris quoque nonnullis conferendo gratiam, ipse primus liberorum Comitum instituisse videatur ordinem, quorum ea aliquamdiu fuit praecipua praerogativa, ut contra constitutionem finemque legum harum, in celeriori justitiae administratione defixum, conveniri jure coram Palatino haud possent. Atque haec ceterarum quoque Bullae aureae legum conditio; solus Andreas sui nunquam non similis, quippe enim saepe nimis quam praeceps, saepius non tam indulgens, quam ignavus; brevissima erant intervalla quibus Princeps commodus fuit.

§ 29.

Privilegium tamen Saxonibus Ultrasylvanis collatum

Bullae aureae proximum aetate est privilegium Andreae, quo pristina Saxonum Ultrasylvanorum jura probat, novisque eum ad modum auget, universus ut populus a Varalt usque Boralt unus sit populus, unumque habeat Judicem, id vero est: summum Magistratum, Comitem Cibiniensem, sigillumque unicum. [1]) In quos itaque gens haec antea divisa fuit, Comitatus cessent, praeficique his deinceps, nisi qui inter eos degat, liberisque populorum sufragiis electus fuerit, per Comitem illum possit nemo. Ad terras, quas antea tenuissent, sylvam Blacorum, Bissenorumque Moldaviae vicinam, et quidquid beneficii aquae reddunt, adjicit; fora eorum tributo libera, institores a vectigalibus immunes pronuntiat; legendorum praeterea sacerdotum, pendendarumque eis decimarum, salium denique minutorum circa festum s. Stephani octo et ad festum s. Martini totidem diebus libere recipiendorum jus confirmat; cavetque, ne quis in medio eorum jus civitatis pecunia compareret, aut villam vel praedium regia consequi donatione possit. Quae omnia populo huic ita confert, ut universi quotannis ad lucrum Camerae quingentas marcas argenti, ponderis per Belam III. defixi, milites praeterea infra fines regni quingentos, extra regnum, si Rex per se in expeditionem iverit,

---

[1]) De antiquissimo, usque 1370 sigillo Saxonum vide Eder o. c. p. 145 quo et illud et aliud a. Lud. I. acceptum sigillum describit, cujus perigraphe itidem est: Sigillum Cibiniensis provinciae ad retinendam Coronam. Civitas Megyesiensis Jacobum Pisonium Jurium Doctorem, Protonotarium Apostolicum, Praepositum s. Joannis de Castro Quinqueecl. Praeceptorem et Secretarium Ludovici II. protulit; hujus itaque maxime gratia Rex idem privilegio (vide Transylvan. period. Zeitschrift v. 2. p. 94) a. 1517 concessit, ut civitas ea cera rubra in sigillandis literis uti possit.

centum, sin secus quinquaginta mittere; quod si Rex in medium eorum venerit, tres, si vero Vajvoda ex ratione reipublicae ad eos delegatus vel per territorium eorum profectus fuerit, duos solvere descensus teneantur. Quibus ita constitutis, quodnam jam sit Saxonum Transylvaniae in fundo hoc regio jus? inter eruditos disceptatur: mihi sententia anonymi placet, in scripto periodico Transylvaniae T. II. fasc. 1. pro feudo, depromta, quem unum Saxones in Hungariam migrantes possessionis titulum optimum noverunt, expetitumque impetrarunt.

§ 30.

resque aliae a. 1224 gestae eidem in laudem cedunt;

Vellem, quis enim est, qui nollet? totus ut Andreae Principatus anni, quo privilegium hoc edidit, laudem haberet. Eo enim factum praeterea est, ut arrogantiam Honorii, qui collatam per eum militibus teutonicis terram Borza, nulli nisi Pontifici jure proprietatis subjacere literis suis declaravit, jure indignatus, hanc ab iis reciperet. Colomannum in Galliciam ex pacto debitam reduceret; Belae denique reconciliatus Dalmatiam et Croatiam administrandam crederet.

§ 31.

sed consilium de revocandis liberalitatibus, novo cum filiosque amittendi regni periculo involvit;

Anno sequente Honorius Pontifex intellecto, Andream quaedam in praejudicium regni auctoritatisque Regis alienasse, datis ad eum Belamque literis auctor fuit, ut alienationes has revocare tanto magis studeat, „quod quum in coronatione sua juraverit jura regni sui et honorem coronae illibate servaturum, juramentum, si quod adversus haec dixit, illicitum fuerit, et ob eam rem nec observandum.“ Non ingratum hoc Andreae, Belae quidem per-

quam gratum; id vero pro juvenili hujus fervore familiarique proverbio: „ea, quae sine ratione fierent, ratione praevia revocari debere“ laetissimum fuit, quod negotium hoc, maturo, ut ait, Majorum terrae consilio, auctoritateque Patris sibi mandatum fuerat. Creari itaque Judices placuit, qui de donationibus illis cognoscerent, viros a suo in rem publicam studio claros et provinciae tam arduae pares. Ex Dalmatia itaque reversus rem eam in Hungaria; subrogatus vero ei frater Colomannus in Slavonia, tam strenue gessit, ut patri sibique excidium prope arcesserent; quum alii a summis dejecti fortunis, alii horum periculsi casu Regem cum filiis trucidare, Hungariamque inter se partiri in animum induxerint, ac denique regnum Friderico Imperatori obtulerint.

§ 32.

quo liberatus, Decreto a. 1231 legem de resistendi facultate alio eo fidei vinculo permutavit, ut sibi, si contra libertatem comunem niteretur, sacris Archiepiscopus Strigoniensis interdicat.

Horum tamen nuncio in via capto et hoc evasit Andreas discrimen, et Comitiis a. 1231 celebratis ab Ordinibus regni non invitis impetravit, ut quibusdam Bullae aureae capitibus illustratis admissa per eandem resistendi facultas, qua nonnulli ad nefarium illud proditionis regni crimen abusi sunt, huc immutaretur, ut si quid legibus adversum Rex committeret, facultas Archiepiscopo Strigoniensi sit, eundem praemissa admonitione, sacris interdicendi. Quam deinde Robertus Archiepiscopus contra Dyonisium a. 1227, 1228 Palatinum, Samuelem quondam Camerae Comitem, et Nicolaum Tavernicorum Regalium Magistrum, quorum consilio Rex Judaeos et Saracenos, avaritia sua populo graves, religioni vero etiam periculosos a Magistratibus non removit, ita usus, ut per latus horum Regem ipsum peteret, cum sic nihil effecisset, sa-

crorum usu templorumque aditu et regi et populo universo, nullo proborum improborumque discrimine interdixit.

§ 33.

Qua quidem facultate ita Robertus usus est, ut remedium per hunc adhibitum, an malum populo gravius acciderit, non facile statui possit.

Probari nimia Archiepiscopi solertia Pontifici, per Regem nuncio eodem Dyonisio olim Palatino, et Rembaldo Magistro Hospitalis per Hungariam et Slavoniam edocto nequibat; Jacobum itaque Praenestinum Archiepiscopum in Hungariam delegavit, cujus, Comitiorumque in sylva Beregh a. 1233 mense Augusto, more Majorum, praesentibus Episcopis, et Baronibus, testimonioque Cleri et populi habitorum auctoritate effectum, ut quae de Judaeis et Saracenis Magistratu movendis, Collectis non a Clero, non a reliquo populo exigendis publica lege decreta, de damnis vero Eclesiarum (pactos sibi sales annuos reposcebant) reparandis promissa per Regem sunt, non solum observaturum se jurejurando sponderet, verum sponsionem hanc sua filiorumque, ac Optimatum confirmari fide procuraret [1]), non alio fructu, quam ut nervosius qui ista disserunt, semper jurasse Andream lingua tantum, non etiam mente, audeant dicere; qui autem remissius, hi tamen non possint non summam animi ejus levitatem accusare [2]).

---

[1]) C. D. III. v. 2. p. 319.

[2]) Ex literis Greg. IX. PP. de a. 1235, qui supremus Andreae fuit, apparet: hunc palam professum ,,quod Juramentum'' de quo nunc diximus, ,,observare nihil esset aliud, quam renunciare quodammodo Regiae dignitati; cum reditus sui propter regales munificentias assignatis ex eis tribus partibus suis filiis et nepoti sola

sibi quarta retenta multum essent diminuti" interpellasse Pontificem eum, ut deinceps quoque collectam recipere moderatam possit, praesertim cum ad tutelam regni graves se subire oporteat sumtus, pro stipendiariis retinendis."

§ 34.

Moldavia Andrea Rege in Jus Coronae Hungariae concessit; quin hoc fortunae interventu, Regiae detrimenta auctoritatis

Cumania, quae nunc Moldavia dicitur, a. 1227 in jus Hungariae concessit, pari et populi et Ducis voluntate [1]; nec in Dalmatia praeter Jadram cessam Venetis in pretium aliquot navium commodatarum in usum itineris sacri, amissum quidpiam, ex auctoritate Regia, firmissimisque hujus praesidiis: reverentia et amore populi, plurimum.

[1]) Pray Hist. Reg. P. I. p. 221.

§ 35.

pensarentur.

Quod tamen is de altera consorte sua, in idem amoris consortium et in unum Regiae potestatis participium, matrimonii sacramento copulata scribit [1]), nihil Majorum moribus, nostraeque de Juribus Reginarum sententiae [2])

[1]) Ex Spiesii Collect. Schvartner in Introd. in rem dipl. p. 339.
[2]) Libr. III. § 8.

detrahit; quando ex aliis Regis ejusdem literis in aperto est, vel primam Ejus consortem, quae apud virum uxorium omnia potuit, ut loco hujus sedere pro tribunali posset, speciali ejus consensione opus habuisse [3]).

---

[3]) C. D. III. I. p. 149.

LIBER NONUS.

DE

BELA IV. REGE

STATORE HUNGARIAE NOVO.

Utilissimus idem ac brevissimus bonarum, malarumque rerum delectus est, cogitare: quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris.

Tacitus.

XX. REX BELA IV.

ab anno 1235 — 1270.

§ 1.

Scita Comitiorum, quae pro solenni ejus inauguratione celebrata sunt.

Ut pater vita decessit, festinatis Albae Comitiis Bela alterum coronatus est. Aderat et Colomannus frater ejus idemque Dux Slavoniae et in solemnitate hac ensem praetulit, Dux Russorum Daniel equum duxit. Tempus reliquum, more vetustissimo gentis, causis cognoscendis impensum, hac autem vice etiam, postulandis ad quaestionem Baronibus, qui patris a Bela animum alienarunt, aut in utriusque conspirasse necem arguebantur. Publico hi damnati judicio; lex praeterea de regno malis hominibus, quorum numerus licentia superiorum temporum haud mediocriter increvit, purgando rogata, et demum de revocationibus superfluarum et inutilium donationum Emerici Andreaeque actum. De lege hanc in rem condita quatenus, donationibus illis retractatis, Regnum ad statum, in quo Bela III. rerum potiente fuit, reducendum decernebatur, et sibi et regno majorem in modum gratulatus, quod tamen cautum simul fuerat, ut initium revocationis a bonis fieret, quae Eclesiis monasteriisque ultra justam mensuram collata essent, et ubi prima provenissent, tum demum adversus alios procederetur, invitus, et causa duntaxat sedandorum, in quos deliberatio prorupit, mo-

tuum [1]) probavit; Judicibus ad rem peragendam publico lectis Comitiatu [2]).

---

[1]) Vide IV. v. 1. p. 71—104 de Praelatorum, omnium Baronum nostrorum, nec non totius regni nostri consilio et consensu. Primae literarum harum a. 1237, secundae a. 1238 editae, atque hae quidem etiam in Tudom. Gyűjt. a. 1828 f. 1. p. 5 vulgatae legem de revocatione superfluarum donationum aequaliter ad tempus, quo Bela regimen jure successionis adiit, id vero est: inauguralia ejus Comitia referunt.

[2]) C. D. V. p. 64, 66, 140.

§ 2.

Horum effectui dum insistit, gravissimam incurrit invidiam,

Primi ex praecepto legis, aut certe primis proximi Agriensis et alii Cisterciensis Ordinis Abbates, Hospitalis item Hyerosolimitani militiae templi s. Lazari Magistri ad experiendum de bonitate juris sui in locis quibusdam sententiam evocati sunt. Parte horum abjudicata, offensus Pontifex, dum portionem aliquam domui hospitalis illius per Belam redditam intellexisset, iram posuit; tanto tamen majorem invidiam Rex incurrit, dum judicia haec in potentiores exerceri caepta sunt. Hi enim palam questi, Reges alios ex bello revertentibus, vel interemtorum et captorum propinquis praemia: villas, possessiones, et praedia contulisse jure perpetuo tenenda; Belam nedum simile fecisse adhuc quidquam, verum ea etiam, quae in jus proprietatemque data per alios essent, retractare, quum multos aperte, plures tecte secum sentire comperissent, regnum Friderico Austriae Duci obtulerunt. Sed hunc in Hungariae fines magna suorum manu illapsum, dum a factionis capitibus majora auxilia frustra exspectat, Bela in fugam necessitatemque redimendae pacis conjecit, bonorum omnium adjutus ope; dum tamen

conservandae, quam pater neglexit, Majestatis causa complura ageret ejusmodi, quae in gentis etiam accipi contemptum possent, horum quoque animos sollicitos reddidit.

§ 3.

Institutis quibusdam, quae in gentis accipi contemptum possent,

Fastum a matre accepit, notatum jam in puero, in viro deinde gravissimis per Clem. PP. IV. castigatum literis [1]. Et Interdictum quidem de sede praeter Principes, Archiepiscopos, Episcopos, se coram, per alium neminem capienda; quodve praeterea de sellis, quas Optimates plures in Curia Regis paratas habebant, ni recipiantur, comburendis, praecepit, insolentis et superbi dominatus habebant speciem. Hujus invidiam fuga Reginae viduae auxit. Quam etiamtum uterum gerentem, nemo erat, qui tam ancipitis consilii discrimen parum humana privigni asperitate, compulsum adivisse dubitaret; constituto denique, ut negotia quaeque, ad modum Curiae Romanae, per petitiones agerentur, levioraque mox Cancellarii per se expedirent; ad Regis vero auditorium ardua duntaxat et gravia perferrentur, de industria jam irruere in odium populi videbatur. Majores, quod suplicationem Cancellariis porrigere, horum ope adeundi Regis facultatem exorare debuerant, Belae, ut qui id jam ageret, ne vel sermonis commercio cum suis consociaretur, offensissimi, Cancellarios tandem suos esse Reges; Regemque alium non se habere vulgo

---

[1]) Recoll. Notit. praeviar. § 11. Literas Clementis PP. IV., quod Timotheum, quem hic Eclesiae Zagrabiensi praefecit, velut humili natum loco, nec Majestati Consilii, laterique suo convenientem amoveri ab ea cathedra flagitabat, per Raynaldum ad a. 1266 productas, dedit Kat. H. c. VI. p. 448.

jactabant; id vero non hi tantum sed populus omnis acerbissime dolebat: Belam, quum rem monetariam proventusque aerarii leges Judaeis locare vetarent, interpellata adversus vim harum Pontificis auctoritate, hujusque consensu cum cautione, ut publicani hujus generis Christianorum uti opera debeant, obtento, regnum priscis calamitatibus objecisse. Mathias ipse, qui Ejus paullo ante Notarius, jam Pontifex Strigoniensis erat, Ugrinus item Colocensis Archiepiscopus molimen Stephani II. Zagrabiensis Praesulis, qui Spalatensem cum hac conjungi, Sedemque suam in Metropolim erigi concupivit, secunda Belae voluntate ali, molestissime ferebant, quod hic Eclesiam eam a provincia sua avelli, iste Primatialem potestatem diminui nollet, et duos in eodem regno Primates existere posse negaret [2]. Accessit ad haec, quod bona, quae Ecclesiis donata superflue, lege jussus recepit, mox iterum restituit; plurimas vero earum, terris castrorum partim jam antea recuperatis, partim exemtis novitus ita auxit, ut essent, post legem eam multo, quam ante locupletiores [3].

---

[2]) Rem omnem, ejusque, ex sententia Archipraesulum horum, exitum vide apud Farlat. t. V. p. 367 qui narrationi suae subnectit „neque recentiori tempore cupiditatem hanc omnium animis exolevisse". De sententia vocum in eodem regno inferius.

[3]) C. D. IV. v. 1. p. 104 et plurima alia in hunc sensum.

§ 4.

et postquam Cuthenus Rex Cumanorum cum 40 suorum millibus in ejus concessisset potestatem, nimio in hos studio auctam.

Inter haec, Cuthenus Cumanorum Rex, per Tataros (hoc enim apud nos Mogolibus illis nomen) semel atque iterum victos tandem victus cum 40 suorum millibus jus civitatis a Bela postulavit. Percommodum id huic accidit;

res enim eo jam fere loco fuerat, ut non ille magis ope hujus indigere, quam Belae, ut erat immobilis invidiae, hoc maximo munimenti genere opus esse videretur, cui adversus infestos insisteret. Accepit igitur habuitque et Regem et populum tam liberaliter, ut quum hic Nomadum more quocunque incedebat, armentis suis depasceret omnia, essetque moribus parum pudicis, maligna vulgi opinione Rex alienae culpae reus subderetur. Principes itaque hic, Barones, Comites, et Cumanos omnes ad monasterium de Keö prope Tibiscum convocavit, constituitque, ut Cuthenus et pars suorum Pestini fixam haberet sedem; reliqui per diversos sparsi Comitatus degerent, et si lis inter eos Hungarosque oriretur, Comites gentis utriusque jus ex aequo dicerent. Perstitit tamen ultra etiam Cumanis propensiorem se dare; Hungaris copiam sui adeundi, uti antea, rariorem, minimis vicissim Cumanis inimpeditam praestare, hosque et in sedendo et sufragiis in consilio promendis potiori habere loco.

§ 5.

Exitiabili hoc animorum discidio Hungaria perierat prius,

Haec Hungariae facies fuit, truculenta odiis, veteremque cultum penitus mutata, quum Tatari evastata Russia, Poloniaque, jam ad confinia apropinquabant. Accepta fama, Bela per omnem mox Hungariam proclamari fecit „ut tam nobiles, qui servientes Regis dicuntur, quam castrenses et pertinentes ad castra, se ad exercitum praparарent, ut essent, quando Rex mitteret, in promtu.“ Archiepiscopos vero et Episcopos et Majores regni Budam convocavit, quorum consensu, postquam decrevisset, singuli ut stipendiarios suos paratos haberent, impetrari a se passus est, ut Kuthenus, quem multi in perniciem Hungariae cum Tataris conspirasse suspicabantur, cum uxore et liberis et nonnullis Majoribus custodiae manciparentur.

§ 6.

quam per Tataros periret,

Ita iniit annus, qui suis jam Hungariam urgentibus fatis [1]) fere nihil ad excellentis alicujus virtutis laudem, at contra omnia, quibus hostes male perdi cupimus, praestrictae aciei mentis damna: odium gloriae, lentum ad legitima jussa obsequium, geminatam jam Idibus Martiis ad Pestum, Vaciumque stragem, Cumanos immerita Kutheni caede factos ex amicis hostes, infandam ad Sajonem cladem, fugam [2]), solitudines omni mortium genere horrentes et demum funus reipublicae tulit, cui deflendo non lachrimae, nedum describendo verba suppetunt.

---

[1]) Nangius in gestis s. Lud. Tataros Ungarorum veritos potentiam, prius quam signa in hos inferrent, Daemonum consuluisse oracula scribit, ab hisque responsum: Ite securi, quia spiritus discordiae et incredulitatis vos praecedent, quia turbati Ungari vobis non praevalebunt. Itaque factum subnectit; ante introitum enim ipsorum Rex et Principes, Clerus et populus invicem dissidebant, et ideo se parare noluerunt; unde pavore concussi hinc inde fugientes multa millia occisi sunt. Reynald. ad a. 1241 num. 17. Qui Nangius illa Daemonum apud Tataros oracula noverit, scire parum refert; nostrae quidem gentis et bellicas virtutes et insidiantes gloriae harum daemones: discordiam et tardam periculorum, quamvis significatorum fidem (jam Thucididi compertam) et speciales cladis ad Sajo acceptae causas novit apprime.

[2]) In hac data fidei in Regem exempla percenset Joannes Comes Majláth in Österr. Archiv ad a. 1833 p. 313.

§ 7.

In hac, postquam misere collapsa est,

Biennium et amplius Tatari per Hungariam longe lateque pro lubedine grassabantur. Interea Rex in

Austriam primum ad Fridericum Ducem, per hunc vero violatis hospitii juribus, omni, quem reliquum adhuc habuit, thesauro spoliatus, nec nisi post cessos huic Mosoniensem, Sopronienseim et Castriferrei Comitatus dimissus, versus Croatiam contendit; Stephano Vaciensi Antistite ad offerendum Friderico Imperatori, si Tataros Hungaria depelleret, feudi titulo regnum delegato. Gratum hoc Caesari, at vero quod hic se facturum recepit, ut Conrado cum exercitu praemisso, mox ipse etiam subsequatur, intra sola tantum verba substitit; bello enim contra Gregorium IX. Pontificem intentus, curam illam, Hungariae clypeo defensionis suae, ut pollicebatur protegendae [1]), penitus dimisit. Rex itaque omni destitutus ope, quum per Caidanum Tatarorum Ducem in maritimis quoque partibus ad necem quaereretur, in insulam Vegliam se compegit, pusillam eam quidem, sed, quae, ad subducendam discrimini vitam ampla satis; nam ad videndam eminus Hungariam caedibus, flammisque pereuntem plus, quam satis fuit.

---

[1]) Fridericus apud Petrum de Vineis ,,ecce enim quod Rex Hungariae regnum nostrae ditioni subjecit, dummodo defensionis nostrae clypeo protegatur.“ Ex hoc igitur pacto nihil juris Imperatoribus Romanis in Hungariam enatum esse, recte deinde Innocentius IV. scripsit apud Rajnaldum. Cetera vide in Hist. Reg. Hung. p. 244.

§ 8.

erigenda, quam, rebus adhuc integris, regenda major Bela

Bela usque adhuc inglorius; nam quod Fridericus II. Imperator et Thomas Archidiaconus affirmant, praecipuam cladis Tataricae causam Regis desidiam fuisse, ut negare haud facile, ita concedere nisi difficulter possis; idem tamen postquam Tataros accepto de obitn Ogothai Chani sui nuncio Hungaria decessisse intellexit,

redux in colligendis constituendisque hujus reliquiis et quem ferrum, fames, pestisque et luporum multitudo induxerunt, squallore detergendo, prudentia, industria, assiduitateque semet praebuit singulari.

§ 9.

De veteribus terrarum possessoribus investigari,

Id itaque inprimis dedit operam, ne de juribus legitimorum antea possessorum quidquam mutaretur. Horum enim multis a stirpe excisis, multis in saltus, abruptaque montium se recipientibus, aut alio dilapsis, avitaque arva tardius repetentibus, alii cum injuria horum aut Fisci in vacua venerunt. Et Rex quidem, si quid terrarum hujusmodi donatione contulit, jus primorum possessorum diserte salvum voluit. Clausula itaque literarum super donationibus regiis „salvo jure alieno“ quae hodieque obtinet, Belae suam debet originem. Idem ex consilio regni delegatis, qui iniquas occupationes in Congregationibus Comitatuum hoc indictis fine cognoscerent [1]), super juribus quidem rite edoctis solemnes edidit literas, quae vero castrorum, aut regii fuisse Fisci compertum est, suo dispensanda judicio retinuit, hoc negotii genere apud Transylvanos Laurentio Vajvodae commisso [2]).

---

[1]) Cod. Dipl. VI. p. 292. Pray H. R. H. p. 250 super terris castri de Bana et revocandis castrensibus ex speciali Regis mandato Vincentius Ep. Nitr. judicat. VII. v. 2, p. 307.

[2]) Cod. Dipl. V. p. 272.

§ 10.

horumque novos apparari indices procurat;

Disquisitione jurium peracta, jussu Belae indices omnium locorum verorumque et nobilium filiorum Jobba-

gionum apparati [1]) sunt, ut non unius tantum Legendae s. Stephani, sed horum quoque ad imitationem illius confectorum per Belam IV. indicum (Regestum regale appellantur) jacturam doleamus.

---

[1]) Cod. Dipl. VI. v. 2. p. 392 „quod sicut in Regesto nostro jam dudum confecto et per nos saepius aprobato invenimus contineri, Vidus et suos filios fuisse et esse veros et nobiles filios Jobagionum de Thurocz a. 1266.“ Item C. D. VI. p. 2321 „terram Zerdahely in iisdem metis et terminis, sicut in nostro Regesto plenius continetur, exemtam ab ipso castro contulimus“ cet. Aliud exstantissimum Regesti ejus indicium Mantissa exhibebit.

§ 11.

terras cultoribus vacuas coloniis undique adductis, uti rogabatur, aliis titulo feudi, aliis titulo nobilitatis et haereditatis,

De dispensatione terrarum vacuarum haec Belae in iteris de a. 1268 verba sunt: „Hungaria ante plena poulo, postquam regnicolae in magna parte vel peremti el abducti fuissent, multis locis in solitudinem redacta, d se consilii cepisse, ut de cunctis mundi partibus homiies tam agricolas, quam milites, edicto regio convocaret, enientibusque causa habitandi regnum, assignaret teras, et possessiones et aliquibus reditus, unicuique, rout status sui exigentia requirebat.“ Cum novis hospiibus his peregrina quoque Feudorum, Lihniorum, tem Lihenorum et Lehenorum vocabula apud nos icrebuerunt, quorum et feudorum quidem etiam pro bois locatis et conductis [1]), lihenorum pro fundo accepto-

---

[1]) Sic Cod. Dipl. V. v. 3. p. 441. Nicolaus Banus possessioem suam 30 lihenos minus una continentem monasterio de Kéthely n donat, ut si aliqui Nobiles vel Jobagiones ibi lihinum vel lihinos

rum [2]) frequens dehinc in Diplomatibus ocurrit mentio, nihilque abnuo, nonnullas Belae donationes ad modum juris teutonici [3]) comparatas; alias vero esse ejusmodi,

---

habere voluerit, deservire teneantur in censu annuo. Ibidem tomo VIII. v. 3. p. 563 nonnullae terrarum particulae et unus mons in territorio possessionis Jaszow pro duobus staminibus albi panni polonicalis et pro 300 cubulis vini Budensis, more praediali vel feudali perpetuo possidendus et utendus conducitur. Ibidem t. IX. v. 2. p. 268 de a. 1353 pro possessionaria portione Ghilermi Cardinalis apud possessores titulo feudali existente 60 fl. solvuntur. Ibidem p. 582 de a. 1357. Prior cruciferorum s. Joan. Hyer. queritur, quam plurimos Nobiles et alterius status homines, praedia et possessiones titulo feudali tenentes pacta servitia et solutiones non observare; Rex vero cum Praelatis et Baronibus decernit: eas, dum et quando monasterio illi expedire videbitur, aufferri ab iis posse. In hunc sensum conventus mon. b. Adriani de insula Zaladiensi testatur literis de a. 1428, quod relicta Stephani filii Bani de Also Lindua duas marcas denariorum novorum unum pelliceum bonum, 4 porcos verres et 24 acones frugum ratione feudae annualis conservationis terrae Istvánfölde censum scil. monasterio s. Crucis de juxta Mura in festo b. Martini persolvi debendum persolverit.

2) Vide Cod. D. T. III. v. 1. de a. 1214, a Jobagionibus Mosoniensis castri, in villa Nulos XIV. loca curiarum, quod vulgo Lechun dicitur. VIII. v. 4. p. 226 item p. 347 fundos integros curiarum vulgo Lehun nominatos in Comitatu Sopроniensi, item fundis integris Curiarum vulgo Lehen etc. Lehen a lanea probe discernendum, quod haec mensura fuerit agri 12 virgas complectens, quarum quaeque sedecim ulnas et palmum numerabat apud Scepusienses; ibi aratrum 120 jugera agrorum significasse vide sis Supl. ad Ann. Scepus. p. 140, 141.

3) Juris teutonici meminit Ladislaus IV. in literis de a. 1278 (VII. v. 2. p. 65) quibus bona quaedam seu reditus, quae Detricus de Rohrau ex concessione regalis suae gratiae in usum a se detinebat, quae post mortem ejus sibi vacare caeperunt, Ottoni juniori de

ut quod quis impetrasset, alienare et vendere nullo titulo posset, sed ipse et filii sui servitio proventum possiderent [4]). Quas quidem hujus generis literas ejus, si cum illis conferas, per quas de Jobagionatu castri exemtis concedit „ut ea praerogativa gaudeant, qua universi nobiles servientes regales fruuntur, omnesque terras et possessiones, quas adhuc coluerunt, aut justo titulo habuerunt, vel in futurum habituri sunt, deinceps titulo nobilitari et haereditatis habeant, teneant, et possideant „aut per quas ex numero Jobagionum exemtis conceditur" ut terras antea possessas, tamquam veri haeredes dandi, legandi vendendi, et conferendi cuicumque voluerint, liberam habeant facultatem" tute sine interprete etiam statues, quid donationes illae ad modum juris teutonici et hae jure hungarico factae differant. Utriusque generis donationes, aetas subsequa tulit plures; nec desunt, quae superne teutonicam illam formam praeseferant, et in hungaricum desinant modum.

Haaslen ad instantiam Rudolphi Regis Romanorum „secundum jus teutonicum" et secundum quod per alios Dominos in Austria aliis onis est infeudatus, titulo feudali confert. Idem C. D. T. V. v. 2. . 406 villas quasdam in Sáros Ottoni a Bieburstein ad intercessionem ejusdem Regis Romanorum jam a. 1277 obligatione feudali contulit. Vide similes C. D. IX. v. 2. p. 151.

[4]) C. D. IV. v. 3. p. 183 alia item C. D. VI. p. 313 Magistro Illuino ita facta, ut singulis annis more praedialium Comiti Simeghiensi unam marcam solvere teneatur.

§ 12.

ıc Nobilibus quidem alienigenis cum consilio Regni confert;

In advenis nobilibus, qui latifundiis, nisi cum consensu et consilio Baronum et Praelatorum donari non

poterant, vetus hoc institutum [1]), non item et legem, ex qua absdare terras hungaricas exteris nefas habebatur, velut obliteratam situ observavit.

---

[1]) Vide donationem Adamo Polono advenae factam super Therne VI. p. 489.

§ 13.

In terris vacuis castrensium Udvarnicorumque nova condidit municipia.

Novi coloni vacuis castrensium, Udvarnicorumque terris, neque tamen officiis etiam illorum successere; quoc jurisdictioni Comitum, Centurionumque exemti jura ampliora, conditionemque leniorem nacti sunt. Fiducia hujus in peregrinos liberalitatis usi veteres incolae, pares ab eo, successoribusque favores certatim deposcebant [1]) habueruntque hos omnes in vota sua faciles. Ex quo intelligas, inde ab aetate Belae IV. priscum Castrorum systema non fortuito, sed Regibus plerisque volentibus defluxisse.

---

[1]) Idem per hospites tam hungaros, quam teutonicos suburbi castri Bors exoratus, ut statum eorum, qualiter et in quibus sibi au Comiti castri deservire debeant? ordinare dignetur, privilegio constituit, ut hi sibi expeditionis tempore militem unum ornamentis militaribus honeste praeparatum ex centum mansionibus mittant; Comiti Castri in nativitate domini unam pecudem pascualem, 100 panes, 12 gallinas, 12 cubulos cerevisiae, et quaelibet mansio unum cubulum anonae dare teneatur.

§ 14.

Arcium per privatos erigendarum auctor, his partem terrarum castrensium in praedia contulit.

Inter me itaque et scriptores, qui **Hungaria** instaurata institutum quoque castrorum redintegratum existimant, haud modicum, tantum enim vero, quantum inter diversas d. **Stephani Belaeque** consilii rationes discrepat. **Partes** regni ultra **Danubium** sitas, ne adiri per **Tataros** possent, fluvius hic tuebatur, idcirco fortalitium et aqua contradictionis **Belae** apellatus [1]). **Ad** hujus itaque oras amplius muniendas, et reliquias populi maximam partem per **Tataros** interemti, hoc tutelae genere protegendas, loca quaedam munitionibus apta, comuni **Baronum** suorum consilio, iis, qui et nossent et possent in his aedificia ponere, auctoritate regia [2]) contulit, et ut hos conservandi castri sumtibus pares redderet, terras quoque castrorum regiorum ditioni exemtas illis in perpetuum addixit [3]). Verbo rem dicam: quam flagranter in revindicandis castrorum terris adolescens elaboravit, tam liberaliter deinceps et has, et quas integras reperit, Castrorum publicorum opes in dotem privatorum Castellorum [4]), multiplicandosque Comites libe-

---

[1]) In literis ad PP. de a. 1254 (VI. p. 218) congruit haec ejus sententia cum inscriptione, quam monetae Imp. Rom. (v. Banduri II. p. 248) verbis ,,salus reipublicae Danubius" praeseferunt.

[2]) Per privatos, nisi Rege annuente, exstrui castra nequibant, etiam ex art. 10. 1298.

[3]) Comitatum Lucsman per Stephanum III. a. 1171 abalienatum adolescens recuperavit, seu ut ipse loquitur, de novo constituit, post C. D. IV. 3. p. 148 in haereditatem contulit. Ad Castrum Köszeg (Güns) terras complurimas Castri ferrei IV. 3. p. 114 applicuit cet.

[4]) Ex verbis Belae IV. (Cod. D. IV. v. 3. p. 199) ,,Denique cum Bulgarorum temeritas — Banatum de Zeurino hostiliter deva-

ros contulit. Qua in re voluntatis ego sanctitatem veneror; de fructu namque consilii hujus, nemo tam parum in historia horum temporum versatus est, ut nesciat, Belam ipsum haud levia contra nonnullos [5]), multo tamen gravissima quaeque posteros ejus adversum plerosque Barones et Dominos arcium hujusmodi ex vero questos esse.

---

stasset, et plerique de Baronibus nostris defensionem Banatus nollent assumere, per nos etiam diligenter requisiti — M. Laurentius collato sibi per nos ipso Banatu Bulgarorum devicit exercitum, et sic — ipsum Banatum — nostrae restituit Majestati" intelligas, quantam penes Laurentium virtutis laudem, tantum inertiae apud plerosque alios Barones dedecus exstitisse.

[5]) Castella haec mox tamquam latrociniorum et rapinarum sedes notantur jam art. 24. 1291. 12. 1444. 4. 1543. 25. 1547. 56. 1563. Vide etiam art. 20. 1659 et Dissert. in Tudom. Gyűjt a. 1828 v. 5.

§ 15.

Pactio, quam a. 1247 cum Equitibus hospitalitiis iniit.

Hi Belam ex partibus maritimis reducem comitabantur; erantque tam ab officio hoc, quam laude virtutis militaris ita eidem commendati, ut plane persuaderet sibi non melius regni posse defensioni consuli, quam si horum sibi operam arctius devinciret. Terram itaque de Zevrino, et totam a fluvio Aluta et Alpibus Transylvanis Cumaniam conditione militiae et defensionis Castrorum in Confiniis existentium ut est Posonium, Mosonium cet. ita iis cessit, ut quinque et viginti annis sequentibus omnes, dimidiam deinceps redituum partem suam facerent [1]).

---

[1]) Literas ejus vide apud Katona H. C. T. VI. p. 98.

§ 16.

Ad addendum Castro Posoniensi novum munimenti genus animum adjicit.

Arcem Posoniensem, quod ad usum belli commodo in finibus situ esset, alio praeterea munimenti genere obfirmare caepit consilium. Quot quot enim et in majori et minori Comitatu ejus nominis (minor per insulam Csallóköz porrigebatur) reliqui erant Jobbagiones s. Regis, de his ita constituit, ut munus militiae non in longinquo obirent, sed laboranti castro omnes omni virtutis suae robore praesto essent [1]).

---

[1]) Literas huc facientes in Mantissa dabimus.

§ 17.

Banatus Machoviensis initium suum aeque a Bela IV. numerat.

Macsove Castrum erat in Servia occidentali, confinique Bosniae, ad ripam Drini dexteram situm, cujus territorium usque ad Kolubram fluvium procurrit. Qui huic praeerant, Duces deinde, Banique appellabantur. Primus illud, beneficio Belae, Ratislaus Dux Galliciae per conjugem Annam gener ejus, post filius horum Bela Dux de Macsova in Annalibus Altahensibus; hoc per Henricum Comitem de Gűssing circa a. 1272 in insula leporum interfecto, Bani nomine, Aegidius, Joannes, alii tenuere.

§ 18.

Idem, ut vires bellicas semper in promtu haberet, tam eo, quo possessionem Comitatuum Modrus et Vinodol Vegliis confirmarat,

Bela Friderico et Bartholomeo Nobilibus de Veglia, tutelaribus, ut dicere amabat, geniis suis [1]) Comitatus Modrus et Vinodol per patrem suum cum omnibus reditibus collatas [2]) a. **1251** porro quoque addixit; iisdemque literis servitii horum militaris fixerat legem eam, ut „si Rex in maritimis partibus coram adfuerit, in mari cum una navi (csajka) et cum una barka serviant; si vero necesse fuerit exercitum Croatiae convocari, infra montem Gozd cum **20** armatis decenter instructis, ex alia vero montis parte, quocunque exercitum croaticum Rex convocaverit, cum **10** armatis servire debeant“.

---

[1]) Vide literas ejus IV. 3. p. 109, quibus eos illustrium Primatum regni Hungariae praerogativis ornat, locumque in medio sui ministerii attribuit alibi jam citatas. His ille praeter Comitatus Modrus et Vegla a. 1255 Civitatem quoque Segniensem (VI. p. 309) donavit. Eorum fuit etiam Comitatus de Busan in Croatia, ab iis ad Zrinyios devolutus, per Gregorium autem Zrinyium Ludovico I. 6 mille florenis auri boni venditus, quem filia Maria levatis 9 mille florenis Comitibus de Corbavia pignori dedit; Sigismundus Rex autem numeratis sibi bis mille florenis Paulo filio Greg. Zrényi remisit. Comitatus idem cum Koszthanicza, Szthenyechnak, Lipoviz, Serad, Buzin, Kladuse et Osztervicze per Mathiam Corvinum Martino de Frangepanibus deinde nova donatione collatus est.

[2]) Cod. Dipl. V. 268. VI. 98.

§ 19.

quam, quo Comitatum Breberiensem Subicsiis contulerat, privilegio adnexam quoque obligationem militiae descripsit.

Ad hunc ille modum Subicsiis Comitatum Breberiensem contulit, tenuitque hanc consuetudinem suam in omnibus fere privilegiis, quibus aliquos ampliori quodam liberalitatis Regiae munere donavit [1]).

---

[1]) Ita terram Bew juxta Tyciam, quae antea per Saracenos possidebatur, post recessum Tatarorum a. 1257 Petro et aliis de genere Dem, Paulo item et cognatis hujus de genere Pettho confert, ut ratione ejusdem terrae, quotcunque sunt, ad exercitum suum decenter armati debeant proficisci. IV. 2. p. 424.

§ 20.

Atque ad hoc consilium suum accomodavit is munus quoque militiae per filios Jobbagionum de Thurocz,

Non multitudine copiarum, sed justo eoque a disciplina et armatura bene instructo, dum itaque usus poscit, parato milite vires belli contineri, experientia eum docuit; de filiis itaque Jobbagionum de Thurocz, quod debitum et consuetum numerum excesserant, officiaque libertatis exhibere commode non valebant, anno 1255 decrevit, ut singuli sex filii Jobbagionum loricatum unum ad exercitum regium destinare debeant.

§ 21.

et Jobbagiones equites monasterii de Tihany praestandae,

Idem „Regiae hoc esse sublimitatis officium professus, ut status suorum subditorum taliter ordinet, quo

quilibet in suo certo statu et numero suae libertatis officia sine gravamine exhibere valeat“ [1]) considerato magno, ut ait, et inutili multorum **Jobbagionum** equitum monasterii sui de Tihany numero, accersitis anno **1267** in praesentiam suam tam Abbate et Conventu, quam universis iisdem Jobbagionibus, praecepit Laurentio C. Palatino, ut ceteris Jobbagionibus in conditionarios populos redactis, duodecim ex iis eligeret, qui „in jobbagionatu et officio equestri secundum morem antiquum relinquerentur.“ Paruerunt Jobbagiones unum id petentes, ut ne ad popularia et conditionaria servitia ignominiosa detruderentur; aliquam potius perscribendam pecuniam Abbati quotannis depensuri. Neque minus hi sibi prolixe de ejus voluntate promiserunt, quam ille libenter concessit, „ut praeter personas illas duodecim, reliqui et ipsi, et eorum posteri, per singulas mansiones, singulis annis dimidium fertonem Abbati solverent in duobus terminis, et ne ex solutione hac libertati eorum ullum accederet discrimen, **Jobbagionum** iis nomen permaneret, ac exercituales Regis essent deinceps etiam, sicut antea exstiterunt“ [2]). Atque hoc deinde per plerosque privatos etiam Eclesiarum patronos factum, sed dissimili horum, qui militari ordine illo movebantur fortuna; quod in libertinorum minoris libertatis censi numero sunt.

---

[1]) C. D. IV. 2. p. 295.

[2]) Vide sis literas Laurentii Palat. C. D. IV. v. 3. p. 418 personis duodecim; alias p. 420 „conditionariis exercitualibus Regis“ concessas.

§ 22.

Notio exercituantium Nobilium de Scepusio.

Quae de Jobbagionibus exercitualibus Regiis diximus, necessitatem nobis attulerunt aliam item novam,

nec aetate Belae IV. antiquiorem exercituantium Nobilium notionem explicandi. Facimus hoc praelucente classico Diplomate [1]) quo is libertatem antiquam universorum Nobilium de Scepus describit. Pars hujus praecipua: „quod nullus ipsorum aliquam collectam, vel exactionem solvere teneatur; nisi ipsa collecta ad Servientes Regis et alios quoslibet nobiles esset generalis; per fora et portas ejusdem Scepus nullum tributum ipsi nobiles, et Jobbagiones eorum persolvant; in expeditione per Regem facta sub Regio vexillo quatuor, qui habent terram octo aratrorum sufficientem, unum mittere debeant decenter armatum. Comes de Scepus nec ipsos, nec eorum Jobbagiones possit judicare, nisi in causis furti, monetae, et decimarum; super causis autem minutis inter se ortis diffiniendis ipsimet sibi possint Judicem eligere,quem vellent. — Comes de Scepus nullum descensum super eos possit facere violentum; — Super furto convictus perdere debeat judicium juxta nobilium consuetudinem aprobatam" [2]). Literae hae anno editae **1243** Bullae aureae Andreae II. synonimae Nobiles Scepusienses juribus istic descriptis ab antiquo frui testantur, non itaque tam hae a Bulla ea mutuantur robur, quam potius ipsae mutuant illi fidem, qua parte non novum ea Servientibus Regis, Regnique concessum privilegium, sed vetustissima Ordinis equestris jura confirmata testantur. Nobiles hi (ante vulgatum epithetihujus usum Altiores vel Proceres Jobbagiones Castri Scepusiensis) Nobiles regni erant, et his ipsis literis a Servientibus Regis secernuntur, minus consulto: si verba spectes: sin rem, et jura quae enumerant, consultissime;

---

[1]) Katona H. C. T. VI. p. 12.

[2]) Libertates hae cum juribus Nobilium et Jobbagionum castri per Mathaeum Banum Slavoniae et Ladislaum IV. (apud Kerchelich in not. prael. et C. D. V. 2. p. 498) recensitis mire quam consentiunt.

ad laudes enim fidei Stephani Verbőczii Bulla aurea Andreae II. varias antea Nobilium classes aequatas perhibentis maximus his ita comparatis Nobilium Scepusiensium literis cumulus accedit. Atque hi sec. XIII. plerumque exercituantes etiam Nobiles de Scepusio dicuntur [3]) cujus ea vis appellationis est, ut in numerum exercituantium horum Nobilium de Scepus referri tantundem sit, atque aurea Nobilium donari libertate [4]).

---

[3]) Sic Lad. IV. quosdam cum terra sua a nexu obnoxietatis pristinae absolutos libertati Nobilium de Scepus aplicat „exercituantes in futurum, sicut de terra tanta exercituandi mos exstitit usitatus".

[4]) Ita Andr. III. (VI. 2. p. 245) „fideli suo Comiti Filiorum Jobbagionum de Scepus. Cum nos Folkus — et cognatos ejusdem cum omnibus possessionibus ipsorum haereditariis, emtitiis et acquisitis — de numero et consortio filiorum Jobbagionum de Scepus pure et simpliciter eximendo in coetum et societatem exercituantium Nobilium de Scepus duxerimus transferendos; fidelitati tuae cet. cum ipsos et haeredes ipsorum illa velimus gaudere libertate, illoque potiri honore, quo alii exercituantes Nobiles de Scepus sub vexillo Regio militantes gratulantur."

§ 23.

Bela castrum in monte Pestiensi novum condidit,

Bela altero post aditum regni anno, Jura Civium Albensium confirmavit, rebusque etiamtum integris, urbem Tyrnaviensem Bulla donavit aurea; post illatam vero per Tataros regno vastitatem, auspicatissimo usus delectu loci, in monte Pestiensi castrum condidit, quod Buda appellatum, tantam non multo post a frequentia civium et hungarorum et teutonicorum celebritatem na-

ctum est, ut in hoc deinde Ludovicus I. Regiam collocaret suam.

,,Non alium certe decuit Rectoribus orbis
Esse larem; nulloque magis se colle potestas
Aestimat et summi sentit fastigia juris" [1]).

De Bulla aurea per Belam IV. urbi huic data Duumviri, quos ab edito commentariisque suis illustrato Codice Juris Budensium laudavimus, professa opera, eaque assiduitate disseruerunt, ut praeter immunitatem descensus, portoriorumque intra fines regni, liberamque Civium de rebus suis et in vita et mortis causa disponendi facultatem, jus item Plebanum et Villicum liberis sufragiis deligendi, hunc si in jure dicundo, a consuetudinibus usu probatis discederet, coram Rege, aut cui hic eam provinciam mandaverit, conveniendi, onera denique per omnes, qui aliquam in medio Civium possessionem haberent, aequa ratione ferenda, in quibus haec Budensium et illa Tyrnaviensium bulla congruunt, Budam exemplo urbis Viennensis jure quoque depositionis mercium donatam esse [2]) dubitari nequeat.

---

[1]) Claudian. VI. Consul. Honorii.

[2]) Buda Vár. Törv. Könyve § 67 et Append. Einiges über das Stapelrecht der Städte Ungarns.

§ 24.

alterum in monte Grech, cui Zagrabiae nomen.

,,Hanc quoque regni partem ad securitatem confinii t alia commoda muniri" cum vellet, animum ad impoendam monti Grech urbem adjecit, peregitque proposiım conditionibus et libertatibus, quas hospites istic conregati inter se fecerunt, anno 1242 Bulla aurea probas. Literae hae, privilegiumque Tyrnaviensium adprime dem cohaerent. Quod enim urbi Zagrabiensi, sinılare tribui videtur beneficium ,,ut si quis intestatus

decesserit et nec uxorem, nec filios, nec cognatos habuerit, duae partes rerum suarum per viros fidedignos consilio Civium ad hoc deputatos, pauperibus et Eclesiae Civitatis ejusdem distribuantur, tertia vero pars ad utilitatem Civitatis reservetur" nemo unquam Juris consultorum Hungariae erat, qui liberae urbis privilegio non inesse natura interpretaretur. Non itaque Tyrnavia tantum, sed liberae Civitates quaeque fundos urbanos, si haeres legitimus, aut testamentum deesset, ante conditos quoque art. 35. 1638 et 16. 1649 usu constanti suos fecerunt, ut adeo jus hoc apud Zagrabienses non Bela IV. conditionibus expositis paullo ante restrinxisse, sed ipsos primaevos hospites, hanc sibi, posterisque legem poni voluisse, veri sit simillimum [1]). De re militari idem Belae, quod d. Stephani fuit, consilium in privilegio per hunc Civibus Albensibus concesso expressum. Ex quo Zagrabienses ad exercitum, quem Rex in partes maritimas aut Carinthiam vel Austriam duceret; Budenses in omnem ejusmodi expeditionem, „in quam Rex personaliter iret" decem milites; Tyrnavia de centum mansionibus unum mittere debebant; Privilegio hujus disserte addita hac cautione, ut „in exercitum, cui Rex personaliter non interfuerit, venire ne compellantur".

---

[1]) Quod de privilegio Cassoviensium item, quod eandem formulam continet, existimo.

§ 25.

summa legum scriptarum Belae IV.

Bela Decreto a. 1267 per se filiosque juramenti etiam religione firmato, jura nobilium, et specialiter: ne de populis eorum quaecumque recipi collectae, aut ratione descensus aliquod iis imponi onus; vel Nobiles ipsi, nisi die causae dictionis prius constituta, damnari invitique ad bella, quae acquirendorum regnorum causa

susciperentur, trahi; aut bona sine haerede decedentium, prius, quam cognati in curia Regis audiantur, conferri aliis possint; confirmavit, constituitque, ut eorum bona qui sine haerede in exercitu obirent, quocunque acquisita modo in cognatos, ejusdem cum defunctis propaginis, devolvantur. Concessit praeterea, ut terrae castri vel Udvarnikorum, ad quas populi suo vel Reginae nomine vocati congregatique essent, priorem retinerent indolem suam; populique illi privilegiato gauderent nomine hospitum liberorum. Perferri denique legem passus est, de causis Nobilium sine petitionibus (suplicationibus scriptis) expediendis.

§ 26.

Constitutionis ejus in re judiciaria.

Emericum Regem dicere alicubi memini multitudinem Judicum calamitatem esse litigantium. Ad hanc temperandam Bela constitutionibus suis haud parum contulit. In quibus jure maximo laudaveris, quod Bilochorum Regiorum abrogato instituto, fures quoque et latrones conditionis servilis, Comitum parochialium commisit judicio [1]). Pro tribunali sedit frequentissime [2]); nihilque habuit antiquius, quam ne causae rerum capitalium, quas

---

[1]) Promitti, audio, fore prope diem: ut sciamus Bilotos aevo quoque Lad. IV. superstites in vernaculo Falusi Ispány dictos. Comitem hoc terrestrem significat, et nihil neque cum Bilochis Andr. II., neque cum Bylokis Lud. I. aut Bilokis Mariae apud Kollár, eo vero minus cum Biró commune habet, ex quo birságium derivatum diximus. Vide sis literas etiam C. D. IV. 1. p. 68 et seq.

[2]) De generalibus regni judiciis, Curiaque ejus et filii Stephani confer literas per Joan. Horváth Ep. in suo Egyh. ért. 821. t. IV. productas.

contra nobiles institui contingeret, nisi judicium ipse ant probasset, pro definitis haberentur. Nobiles etiam, qu servientium rusticorum amplexi conditionem sunt, judicar per Vice-Comites solos prohibuit, addita ratione: hos d ordine juris, nec per ipsum Comitem tantum parochianun verum in praesentia Jobakionum castri, judicandos esse Constat porro ex literis ejus: Curiales Comites plures ultra primaevos auctoritatis suae limites huc processisse ut et vicarios haberent, et gravissimam quoque destru ctionis villarum poenam dictarent; de generis etiam no bilitate decernerent, causaque turpis lucri arcesseren ad judicium suum etiam insontes, et per neminem ac cusatos. Quod ne faciant deinceps, vicemque suam ultra quam abesse eos a castro oporteat, comittere alteri, ve causarum species, quas nunc admodum memoravimus cognoscere ausint, cavit sapientissime [3]).

[3]) Recollige literas ejus datas Nyulensibus in provincia Jaurinensi.

§ 27.

Juris patronatus Regum tenacissimus, uti hoc adversus Pontifices;

Crescente in dies Pontificum Romanorum auctoritate et in collegia sacerdotum, quibus deligendi Antistitis facultas data est, imperio, haud abs re Bela verebatur, n sedes Romana omnem nominandorum Praesulum Hungariae potestatem occupet. Jam igitur a. 1242 Privilegium Pharensibus concessum Rex in maritimas partes has indulgentissimus, ea affecit conditione, ut eligi ab iis, ad quos hoc de jure spectat, Episcopus de fidelibus tantum ad regnum Hungariae per natales suos alligatis, Comes item de Hungaria et ad Regem Hungariae pertinens pos-

sit [1]); in Hungaria vero egit paullo etiam apertius, nemo ut alter per collegia Sacerdotum deligeretur Praesul, quam quem ipse optasset maxime [2]). Cui quidem juri suo generatim; quod vero ad Pontificem Strigoniensem, Agriensemque: hoc institit firmius, quia is primus inter Principes esset Eclesiae Hungaricae idemque praecipuus Regis Consiliarius [3]); hic autem, si quis Regum quatuor haberet filios, munus Eclesiae suae per sanctos mandatum Reges, ut quartum custodiret, eique loco nutricis conservatrix esset et magistra, praestare teneretur [4]).

---

[1]) Katona H. Crit. T. V. p. 1059.

[2]) C. D. IV. p. 364 cum de antiqua et aprobata regni consuetudine in electionibus Pontificum assensus Regis debeat postulari.

[3]) Ibid. VI. p. 146.

[4]) C. D. IV. v. 3. p. 33 et V. v. 1. p. 153. Ex quibus apparet ex instituto SS. RR. vacante Sede Agriensi deligendum fuisse Episcopum nobilem genere, et juris peritum; huic decimam de poledris ea lege addictam, ut haec filio Regis nato vel nascituro reservetur, deducta parte tertia Episcopo Agriensi ,,ut cum filius Regis ad aetatem pervenerit legitimam, superabundans in equis existat, et Patronum Eclesiae Agriensis se cognoscat".

§ 28.

ita cetera sua, regnique jura contra Principes alios

Bela tantum quod reversus ex Dalmatia est, Veneti Jadram occuparunt. Hanc quod duci bellum in longius, cura Hungariae instaurandae non admiserat, iis tum cessam, a. **1252** recepit. Prius enim, quae Fridericus Dux Austriae et antea et dum ipse in partibus maritimis abesset, perfide, avareque in Hungaria egit, ulturus [1]) exer-

---

[1]) Hunc Bela in lit. a. 1255 ,,specialem suum inimicum, regnique insidiatorem"; in aliis de 1256 ,,capitalem inimicum suum" vocat.

citum in Austriam infudit, et rebus hac vice compositis, cum non animus etiam Friderici ad quietem compositus esset, generali expeditione indicta [2]) bellum Radislavo genero, eodemque Galliciae Duce; Frangepano, Rolandoque de genere Ratolt praefectis administratum, ea fortuna gessit, ut Friderico per Frangepanum interfecto, quos huic antea cedere coactus est, Comitatus tres recuperaret.

---

[2]) De bellis his vide anonym. Zvetl. ad a. 1243. Hanth. fasc. campi lil. T. I. c. 1318. Chron. Salisb. apud Pecz col. 359. Cumanos reliquum exercitum hac quoque vice praecessisse de industria adnoto. Ceterum de bellis itidem cum Frid. gestis plurima cum eruditione Joann. Czechius mihi semel atque iterum laudatissimus disseruit in Neues Archiv für Gesch. a. 1829.

§ 29.

egregie tuitus;

Fridericus stirpis virilis Babenbergicae ultimus fuit. Vacuam itaque Austriae Styriaeque possessionem et Bela et Ottocarus appetebant, quorum ille auctoritatem Pontificis, jusque Gertrudis, neptis quae fuerat Friderici, solemni pacto cessum sibi; hic testamentum Friderici I. Imperatoris et inde enatum uxori suae succedendi jus causae suae cum pretenderent, res ad arma deducta, et tandem a. 1254 opera Innocentii PP. hac definita lege est, ut Styria Belae; quod cis montem Semeringum esset, Ottocaro cederet [1]). Itaque Bela Styriae praefecit Ste-

---

[1]) Clarius hoc anonymus Leobiensis his ad a. 1253 verbis: Ottokarus Rex Bohemiae resignavit totam terram Styriae Belae Regi Hungariae tali conditione, ut quidquid esset de terra Styriae ultra montem Semerincum, remaneret cum tota Austria. Unde exortum est, quod isti in nova civitate et circum quaque dicuntur Australes, cum tamen eadem civitas sit sita in terra Styriae.

phanum filium, quem jam ante vix septenni majorem a. **1246** coronari jusserat [2]). Neque tamen diuturna provinciae et honoris hujus possessio erat; cum enim Stephanus Banus Slavoniae pro Stephano juniore Rege Styriam administraret, essent autem ex Ordinibus provinciae plures Ottocari partibus addicti; effecit hic facile, ut populus omnis ad eum descisceret, nec praeter Petovium quidquam in Stephani maneret potestate. Novum hinc inter Belam et Ottocarum bellum, varia gestum fortuna, terminatumque pace nostris non aliter data, quam si provincia omni, Petovioque decederent. Haec anno **1260** in publicas relata literas; privatim enim in eo utrinque convenerat, ut Ottocarus repudiata Margareta, Cunigundam Belae ex filia neptem sibi matrimonio jungeret; Bela vero natu minor Regis filius, filiam Ottonis Marchionis Brandenburgici ex Ottocari sorore natam sibi desponsaret [3]).

---

[2]) Jam tum Slavoniae Ducem; ita enim Bela IV. in literis de a. 1246 (IV. 1. p. 404) „cum igitur in medio regni nostri Albae, coronato per divinam clementiam charissimo filio nostro Stephano Rege et Duce totius Slavoniae pro tribunali sederemus". — Ex quibus colligas, quam vere Andr. III. in literis avunculo suo anno 1299 impertitis „Ducatum Slavoniae primam esse dignitatem prolis Regiae" dicat. Is Stephanus a. 1259 jam se Dei gratia Regem primogenitum illustris Regis Hungariae et Ducem Styriae scripsit.

[3]) Solemnia nuptiarum a. 1261 Viennae celebratarum quidam de familiaribus Domini de Lichtenstein coram praesens (Hormayr. o. c. ad a. 1820 p. 223, 224 et 227, 228) describit: Praemittit Hungarorum regalem in vestitu, omni pretiosissimarum pellium genere exornato, luxum ad ostentationem opum comparatum, et uniones, gemmasque barbae artificiose intexendi consuetudinem haud scio, an a Graecis sumtam. Ita enim Thucidides l. l. „nec multum est tempus, ex quo apud eos (Graecos) illi, qui de senioribus erant, ferre desierunt aureas cicadas, quas capitis comam religantes cincinnis inserebant." Item „Heroes Homeri aurum Crinibus implexum ferebant Plin. 33. I." Subjicit deinde: Bela war da nah mit fünf andern Konigen; Es waren da nahmlich zween

seiner Söhne, Stephan und Bela, die gekrönt da sassen, ferner der König der Reussen, der König von Massovite, dessen Hausfrau war König Belas Kind, und der König von Serwey; diese drei empfangen ihre Krone vom Herrn von Ungarn. Quod quidem ille rectissime hactenus; quae enim sequuntur „ausserdem dienten ihm noch 50 mächtige Herzoge, die ihre Krone von ihm hatten, das war der Herzog von Agrim, und der reiche Herzog uber Wald, und der von Krabaten, der Herr von Bossen und fünftens der König und Herzog der Türken" librarii mendum in voce Türken pandunt, non dissimile errori commentatoris, qui Über Wald (Transylvaniam) Jenseits des Wiener Waldes interpretatus est.

§ 30.

Domi, ne ex diuturnitate Magistratus Palatini quidpiam detrimenti jura Regia capiant solicite intendit.

Auctoritate Comitis Palatini lege Andreae II. ultra descriptos a divis Regibus fines prolata, Bela IV. ne quod inde Regii Majestas Principatus detrimenti capiat magis etiam, quam Majores sui sollicitus, per tempus, quo in universum Rex fuit, octo supra decem, quod quidem ad huc compertum est [1]), Palatinos habuit; non illos novos omnes, sed quorum aliquos semel, alios iterum, quosdam, pro ratione fiduciae suae, tertium muneri huic praefecit.

---

[1]) Ex serie Palatinorum Prayi et Manuscripto paterno D. Aug. Szalay alias laudato, et Mantissa mox subnectenda.

§ 31.

Ad extremum bello cum filio Stephano conflictatus est.

Cum ille sic totum se muneris sui Regii partibus impenderet, longe gravissimum a regio exortum est Lare

malum publicum. Veteres inter Belam patrem et filium Stephanum simultates, post amissam Styriam, quod pater hunc solis praeesse partibus regni vellet ultra Danubium sitis; hic e diverso Jus primogeniturae, nescio per quos, uti praetendit, Progenitores suos Regum filiis institutum urgeret [1]), hocque flagitaret obstinatius, quo magis pater illud recusare perseveraret, in bellum eruperunt, gestum non tam inter Hungaros, qui poene omnes, ut erant alieno a Bela animo, cum Cumanis pro filio ejus stabant; quam inter hos Teutonesque, Slavos, ac Bohoemos [2]), quibus ille suam Belaeque filii salutem delegaverat, plusque vice simplici sopitum, majoribus semper odiis recruduit, pari exitu, ut pater armis filii vinceretur, morumque hactenus pereuntium internecioni [3]) ominosis ad Feketehalom (in lit. Steph. de a. **1267**: ca-

---

[1]) Lit. in Tudom. Gyűjt. a. 1828 fasc. 2. p. 90. C. D. V. 1. p. 103 ,,cum nos jus Ducatus a Progenitoribus nostris (?) regum primogenitis institutum requirare voluissemus". Sed enim quaestionem omnem resecant verba literarum Ladisl. IV. ibid. V. 2. p. 95 ,,cum avus noster patrem nostrum investigari faciebat — machinans eum privare jure geniturae et regni diademate spoliare". — Qui enim Belae Regis in filium juniorem cognominem, fuit singularis amor, dubitare non sinit; hunc, si per patrem stetisset ei in solio fuisse successurum.

[2]) ,,Pro eo, quod charissimus pater noster promisit non sollicitare Cumanos nostros; repromittimus sibi Teutonicos, Slavos, ad Ducatum Slavoniae pertinentes et Bohoemos, quos — habet — vel habuerit, non sollicitare," — verba pacis sunt a. 1262 patratae. (IV. 3. p. 72 et 160.)

[3]) Indicio tristi sunt literae Steph. IV. 3. p. 289 Stephani M. Thaver. Reginae majoris, in hanc et maritum Belam perfidiam remunerantis, et alia p. 409 quibus posteris Bácsholda Cumani, quem villa Aranylábú Bárth donarat, hanc abjudicat ,,quia ad praeceptum parentum suorum Belae IV. et Mariae reginae contra se insurexerunt".

strum Fekethewyg), et rursus Ilsvaszegh (ibid. Irsnazeg contra generalem exercitum patris) triumphis praeberetur semen, cujus quae deinde fuerit messis, post paullo apparebit; in praesens enim Stephanus dimidia potitus Hungaria et aequa salis proventuum parte, ex amissis per acceptam a Tataris cladem, s. Coronae provinciis [4]), Bulgariam recuperavit, rege hujus Assane vectigali effecto.

[4]) Literae Belae IV. de a. 1254. IV, v. 2. p. 220.

§ 32.

Jure tamen Stator Hungariae novus

Bela junior, voluntate Patris ab a. 1262 Slavoniae [1]) praefuit. Hunc a. 1269 fatis functum Pater, cujus amor, deliciumque fuerat, tantae impar jacturae brevi consecutus est. Rex hic, cum seque, Hungariamque servare posset, si Chano Tatarorum hoc ipsum sollicitanti cedendo, Hungariam ejus subjecisset clientelae, exitium commune turpi saluti praetulit [2]); post ubi Tataros a finibus Hungariae, non etiam a proposito revertendi abiisse intelligeret, duas filias duobus Ruthenorum Du-

[1]) C. D. IV. 2. p. 218 seqq. Thomas A. D. Spalatinensis Schwandt. T. II. p. 632 ,,Quod (Slavoniae) dominium ei (Belae) naturali jure competebat, utpote qui secundus erat Regis filius; primogenito jam Stephano Ungarici regni diademate insignito".— Naturale hic, non positivum loquitur jus; Andreas III. vero ,,Ducatum Slavoniae primam esse Regiae prolis dignitatem" testatur. Quod et in Emerico, et Bela IV., atque hoc quidem Slavoniae primum, Transylvaniae deinde praefecto vidimus.

[2]) De literis Chani Tatarorum ad Belam eximia cum eruditione Jerneius disseruit in Annal. erud. Soc. Hung. T. VII. p. 117.

cibus, tertiam Duci Poloniae, per quos deinde Hungaria defenderetur, collocando, harum quoque matrimonia reipublicae jure imputat; in hujus enim incolumitatem, cum omnes jam ingenii animique opes effudisset, ipsa ad extremum vota, spesque suas et filiarum impendit.

§ 33.

per gratam posteritatem appellatur.

Atque ab hoc Belam IV. excellenti studio suo metiendum verissima aetatis posterae, quia gratiae et odio exemta sententia est. Etsi enim singula ejus facta appendentibus quaedam excusatione opus habeant; in summam tamen intuenti, clarum est: haec omnia partim ad instaurandam consenescentem jam Coronae Majestatem, partim ad decus nominis Hungarici ornandum, quaedam, postquam misera illa tempora subsequuta sunt, ad necessitatis, salutisque publicae rationes fuisse directa. His adductum Belam IV. cupreos nummos primum cudi procurasse adnotarunt plures [1]); neque hoc novum est: aetate ejus attestationes in scriptis fuisse exhibendas, regnique hanc dici consuetudinem [2]). Quibus ego tertium addam, quod vitium quidem, sed, ab aequali Hungarorum cum cultissimis ea aetate Europae populis progressione discendi, prope laudandum vitium est: ita plerosque horum Juri se Justinianeo dedisse, ut Innocentius IV. cum nimium Juris hujus, prae consuetudinibus patriis, studium Francis, Anglis, Scotis, Valliis,

---

[1]) Magyar Ország ekoráig ismeretes pénzei p. 115 seq.

[2]) Joann. Horváth Ep. Egyházi Értek. a. 1821 t. IV. literis vulgavit Belae IV. de a. 1266, quae hoc ipsum semel atque iterum testantur.

Hispanis improbat, his Hungaros etiam diserte adjungat [3]). Ad quod Scriptores illi haud satis respexerint, qui semper leges Imperatoris illius procul a tribunalibus Hungariae abfuisse contendunt. Sed cum his alter erit conversandi locus oportunior.

---

[3]) Literas has per Pontificem illum a. 1254 exaratas vide sis in Additamentis Mathaei Paris p. 190.

LIBER DECIMUS.

EXTREMA

REGUM STIRPIS VIRILIS ARPADIANAE

TEMPORA.

Rebus cunctis inest quidam orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.

Tacitus.

XXI. REX STEPHANUS V.

ab anno 1270 — 1272.

§ 1.

Comitia a. 1270 non magis a solemniis inaugurationis Regiae, quam eximio, quem populus edidit, probi rectique sensus testimonio celebria sunt.

Sensum recti et sobrium populi hungarici judicium saepe alias laudavimus non nostris magis, quam testium verbis, quos dedimus abunde. Fidem horum, novo illustrique argumento, e re cognoscas gesta Comitiis, quae Stephano in integrum coronando Albae celebrabantur. His ille frequentissimo, post annalium memoriam, aderat numero et cum de Magistratibus regni officiisque horum Optimates, pro sua quisque facundia dissererent, appareretque, alios aliorum sub exemplis sibi ipsis suffragari; alios aperte jactare se, et ignavissimos quosque plurimis, ut fit, verbis abundare; una populus universus voce Rolandum acclamavit, Rolandum de Rátolt, bonorum virorum optimum, consiliorum plenissimum, Patriamque tum demum felicem, fortunatamque fore, si huic praecipuus per Regem habitus honor, cetera munia, iis, qui se ad imitationem laudum ejus maxime comparassent, mandata fuerint [1]). — Erat Rolandus aliquando Palati-

---

[1]) Vide literas Regis hujus VII. v. 2. p. 12 „universi fideles nostri tam eclesiasticae personae, quam servientes regalês, qui tempore coronationis nostrae in integrum (partem enim regni antea obtinebat) immensam congregationem apud Albam fe-

nus [2]) et rursus Banus [3]) bellique contra Fridericum patrati dux; diversos praeterea Comitatus et Aulae Regiae Magistratus ea nominis tenuit gloria, ut inter omnes Belae IV. Barones nemini fide secundus; in reddendo jure severus; in conversando mansuetus; ipsi denique Stephano V. naturalis regni columna diceretur. Ex quibus intelligi par est: ad perpetuitatem felicitatis Hungariae non judicium, non mores populo, sed Rolandos defuisse. Comitiis illis constitutum simul, ut possessiones quorumlibet nobilium indebite alienatae (occupatae) reddantur, restituanturque omni jure [4]).

---

cerant". „In communi congregatione et convocatione omnium Nobilium et Procerum regni" habet nurus ejus Elisabetha, quae in lit. per Kovachich. in vest. Com. p. 146 citatis de horum lege Comitiorum loquitur.

[2]) Bela IV. Rege a. 1251 item 1252 — 1255 et rursus a. 1264. Quod temporibus his usuvenit, indicio plurimarum, atque in his etiam literarum Dionisii ter Palatini IX. 7. p. 662.

[3]) Banus fuit a. 1264 — 1266, et rursus 1270 cetera vide sis Cod. Dipl. T. VII. v. 2.

[4]) In literis ad (1) citatis Elisabethae nurus Stephani V.

§ 2.

Tabulae pacis inter eum et Ottocarum pridie Idus Julias a. 1271 initae, cuncta, quae de territorio Coronae Hungariae adhuc diximus,

Inter Stephanum et Ottocarum Bohaemum, quod hic thesaurum regium per Annam Stephani sororem Ratislavi Ducis Galliciae consortem, (socrus haec fuerat Ottocari) invito fratre ad se ablatum reddere cunctatus, Barones praeterea, auctores qui erant dissidii inter Belam IV. et Stephanum enati, ad se profugos lubenter recepit, eorumque auxilio fines regni infestare non desiit, quum mitiora

parum profecissent, ad bellum ventum. Quod post illatas et acceptas mutuas clades Stephanus pace pridie Idus Julias **1271** inita, et ad Angelum quoque Palaeologum seniorem, et Andronicum juniorem Imperatorem, huncque generum, Belam item Ducem de Matsov et de Bosna fratrem suum, plurimosque alios per Europam Principes extensa, composuit. Leges hujus [1]) erant: Bohaemus ut Regi omnia, quae in Hungaria occupavit (Posonium, fuit, castrum s. Georgii, Bazinium, Tyrnavia; ultra Danubium: Ovarinum Mosoniumque) restitueret; Stephanus vicissim suo et haeredum nomine, juri in Ducatus Styriae, Carinthiae et Carnioliae, actionique de thesauro ablato renunciaret; uterque a recipiendis perfugis se abstineret; controversiae, quae de finibus essent, Strigoniensis Archiepiscopi et Episcopi Olomuczensis dirimatur arbitratu. His additum: ut pacis tabulas has Pontifex quoque ratas haberet; in diuturno enim imperii Romani interregno, potentia Ottocari huc increvit, ut parum fida ea pax videretur,nisi illi Pontificis quoque Maximi accederet auctoritas. Inclusit tabulis pacis hujus Stephanus omnia regna sua nominatim: Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, totumque Ducatum Slavoniae, cum omnibus, ut ait, eorundem (regnorum) attinentiis.

---

1) Pray Annal. P. 1. p. 327. Kat. Hist. Crit. T. VI. p. 546. Cod. Dipl. V. 1. p. 113.

§ 3.

egregie confirmant,

Harum nomine Chulmia, Zahlumia Constantini Porphirogeniti; castra item ad Urbas, vel Verbasz et Zrebernik ad Bosnam fluvium; Machov item, Borouch, ac Krusowz in Servia cum adjacente singulis amplissimo territorio intelliguntur.

§ 4.

regnique ejus omni munificentiae genere, ac aemula privatorum quoque ad frequentandas populo solitudines

Stephanus Rex in integrum, seu cum integrali, ut ipse ait, regni gubernaculo, non ultra biennium fuit. Quarto enim supra tricesimum aetatis anno, vitam cum morte commutavit. In diplomatibus ejus Congregationis Ordinum regni, consensusque horum commemoratio frequens. Literae, quas ad Magistratus Comitatuum dedit, Comitibus et Jobbagionibus Castri [1]) inscriptae; hi tamen ei Comitis etiam Officiales appellantur [2]). De Eclesia Agriensi, instauratis maximo Comitiatu privilegiis ejus eximie meritus, Archiepiscopo Strigoniensi Comitatum ejusdem nominis jure perpetuo addixit [3]). Grata liberalitatem Stephani recordatione prosequuntur Saxones quoque in Scepusio et homines Eclesiae s. Regis extra muros Castri Albensis. Quorum illi jura sua, adnexa conditione, quoties necessitas tulerit, cum 50 viris armatis lanceatis ad expeditionem comparendi et sub regis militandi vexillo confirmata; hi, quod per violentos descensus Baronum collectasque regias exinaniti fuerant, datam sibi immunitatem utriusque oneris in acceptis ferunt.

---

[1]) C. D. V. 1. p. 39. VIII. 1. p. 211.
[2]) V. 1. p. 43.
[3]) V. 1. p. 21.

§ 5.

alacritate clari monumento sunt

Atque hanc Regis ad frequentandas populo solitudines liberalitatem privati quoque aemulabantur. Ex quibus Magistri Theodori literae [1]) a. 1273 datae hospitibus, qui

---

[1]) Ex Collectaneis lit. Mich. Horváthii, speciatim: autographo, quod in Arch. Cap. Scep. servatur.

ad terram suam Koy causa ibi commorandi venerunt, maxime commemorabiles sunt. His ille ad singulas mansiones quinquaginta jugera terrae arabilis, prata, sylvamque sufficientem, piscandique in rivulo haec interfluente facultatem; ad casum mortis de rebus suis disponendi, aut his salvis migrandi potestatem condonat, pactus sibi, ut quadriennio transacto mansio quaelibet pro terragio dimidium fertonem, in festo s. Michaelis et „denarios exercituales unum pondus", in festo s. Georgii; pro justa item decima pondus unum quotannis solvere; pro muneribus unam pecudem pascualem (vitulum) valentem unum fertonem, tres tinnas cerevisiae cum vase, duos panes et gallinam unam praestare teneatur. Herbordum pro villico habeant; hic vero Curiam suam libere, sine debito possideat. Post hujus decessum vel recessum, alium, quem voluerint, e medio suo villicum ordinent. Qui causas omnes praeter eas, quae ex furto, homicidio, violentia nascerentur, solus; has vero cum homine Theodori judicet tertiam mulctae habiturus partem; Eclesiae denique, si voluerint, aedificandae, et sacerdotis, quem voluerint, eligendi jus concessit.

XXII. REX LADISLAUS IV.

ab anno 1272 — 1290.

§ 6.

Hunc Simon de Kéza

Puer decennis fuit, dum ab obitu patris Strigonii corona redimiretur. Solium igitur aliquamdiu non plene, partem enim in administrandis regni negotiis praecipuam mater et consiliarii tenuerunt [1]). Ex quibus cum ea Cu-

[1]) Vide Donat. M. Kemen. a. 1289 factam apud Katona „quae — usque ad tempus, quo una cum venerabilibus Patribus —

manos maxime audiret, non vana in plures solicitudo isthaec incessit, ne per necessitudinem inter eam, popularesque hos intercedentem familiaremque consuetudinem, aliquod religioni disciplinaeque christianae damnum importaretur. Comitia itaque haberi placuit, quibus, quum alia ad reformandum statum regni, tum vero id etiam constitutum, perfecta ut auctoritas Regis penes Ladislaum esset. Hic per tempus, quo summae rerum praeerat, vix dum adolescens factus, etsi errare etiam cum excusatione posset [2]), plurima ea cum laude gessit, ut Simonem de Kéza, dum Regem hunc invictum, animosum, et magnivolum appellat, splendida nomina haec non assentationi suae, verum meritis ejus dedisse, dubitari cum ratione non possit [3]).

---

ac aliis omnibus Baronibus et Nobilibus regni nostri habito diligenti tractatu, statum regni nostri in melius reformando gubernaculum seu solium regiminis nostri, plene et perfecte adepti fuissemus" Comitiorum horum meminit in lit. quoque C. D. VII. v. 2. p. 121 sed annum nemo adhuc prodidit.

[2]) Ita de eo jam fatis functo Ordines regni censent. Art. 7. 1291 „quia Dominus Rex Ladislaus in aetate tenera fuit constitutus."

[3]) Laudes, quas ei Henricus de Isernia tribuit, lit. C. D. V. v. 2. p. 70 datae continent.

§ 7.

Martis filium,

Foedus ille cum Rudolpho Habsburgico adversus Ottocarum, violata pactorum cum Stephano V. initorum fide Hungaris invisum, per Principes vero Imperii, communi cum Caesare hoc sententia, hostem publicum judicatum anno 1275 percussit his legibus: amicos et hostes, ut ambo comunes haberent; neuter invito aut imprudente altero inducias, aut pacem cum Ottocaro iniret; controversia, si quae finium causa inter Hungariam et Austriam Styriam-

que esset, bello contra Ottocarum confecto, amicis pactis determinaretur. Hac tamen vice pacem Ottocarus, quam bellum maluit, pollicitusque omne id, quod Hungariae decerpsisset (Sopronium, Nitriamque tenebat), continuo restituere, duasque coronas aureas, ac totidem sceptra, vasque auro et gemnis ornatum, aliaque clenodia sublata olim per socrum suam reddere, voti potitus est. Biennio tamen post Caesar Ottocari irritatus perfidia, instaurato cum Hungaris foedere, novum apparavit bellum, ad quod Ladislaus (1278) viginti Cumanorum millibus praemissis, ipse quoque cum majori Hungarorum manu adfuit; eripere nempe se umbraculis, in quibus hactenus ad armorum se usum compararat, et quod nosset praecipuum genti suae ad fortia facta stimulum, Regis in bello praesentiam esse, huic illius gloriae, si necessitas ferat, victimam se dare properavit. Caeso in campis Stillfridensibus Ottocaro perpetratae celeberrimae victoriae partem praecipuam scriptores quoque Germani Hungaris adjudicant, quos ut strenuos semper et hostibus passim superiores, hoc tamen bello pertinacia vincendi se ipsos superasse testantur. Quod scuta quoque et vexilla Bohaemis, Polonis, Moravisque erepta, et ad memoriam rei non minus fortiter, quam feliciter gestae, in basilica b. Virginis Albensi suspensa ostentabant; reliquus amplissimus victoriae fructus ad solum Rudolphum Caesarem pervenit, ut adeo ex vero judicari possit: et Ladislaum et gentem universam praesensisse animo, atque augurasse quodammodo, eo se praelii difficillimi labore in firmanda stirpe fundoque aeternae Domus versari, ex qua liberis olim nepotum suffragiis legendus Princeps novam daturus esset Regum Hungariae propaginem, quae tum sponte naturae suae ad summas Principum juste et legitime imperantium laudes ferat se; tum vero cognatione quoque generis, eos enim atavos, quos Hungaria Duces, Regesque Arpado satos numerat, ad conservandam augendamque nominis hungarici feratur gloriam.

§ 8.

Regem illustrem.

Haec Ladislaus bello contra Ottocarum, cujus perpetrati diem (**VII.** Calendas Septembres a. **1278**) festum universo regno edixit. Sed prope majora sunt, quae, anno post, pace gessit. Quod enim non pater, non avus ausus est, ut fortunam laboris omnium difficillimi, Cumanos, qui in speciem quamdam perpetui exercitus simul, sub tentoriis degebant, ad dividendos in plagis sibi adsignatis agros, domos struendas, amplectendaque universe Christiana sacra adstringendi periclitarentur; hoc Ladislaus, bona hactenus **Philippi** legati **Pontificii** opera usus, anno **1279** peregit, quo in conventu regni, auspiciis ejus quarto **Idus Augusti** celebrato, res eorum tam sacrae, quam profanae scriptis definitae sunt legibus. Summa harum: **Domini** de Cumanis, **Nobilesque** et universus in generationes septem divisus populus, ad flumina terrasque, per **Belam IV.** assignatas sibi, fixam habeant sedem, hancque jure teneant firmo regni nobilium. Quidquid in locis his esset, quod terrarum castri aut **Udvarnicorum** regalium vel aliorum conditionariorum, vel denique hominum nobilium sine haerede decedentium nomine, ad **Regem** pertineret, terrae item **Nobilium** et **Jobbagionum** castri, quae a tempore **Tatarorum** vacuae existerent, in Cumanorum cedant proprietatem; **Nobiles** vero et **Jobbagiones** castri, quibus aliquid juris ad terras has esset, hoc probato, aut aere praesente, aut aequalium collatione bonorum indemnes reddantur. **Domini** et **Nobiles** de Cumanis terras has per singulas ipsi generationes dividant, pro modo et qualitate cujuslibet sive s t a t u. Iidem universi et singuli, quoties **Rex** ipse exercitum duxerit, more ceterorum nobilium **Regalium** servientium adesse teneantur; parem daturi poenam, si officio deessent. **Judex** cunctorum **Palatinus Regni** sit, causasque eorum cum incolis regni excutiat, assidente **Judice** seu **Principe**, qui in generatione quaque fuerit constitutus. Causam sangui-

nis inter Nobiles Cumanos, Judex ejus generationis, de qua reus fuerit, dirimat. Si vero ab sententia hujus provocatio fieret, Rex praesente Judice generationis eam cognoscat. Capitis damnatus ad Regem si confugerit, vitae quidem gratiam habeat, sed pulsus regno exulet. Denique Domini de Cumanis et Nobiles Cumanorum una, eademque cum regni Nobilibus fruantur libertate; super eos itaque et populos eorum, violenta nec per Regem, nec per alios fieri descensio possit.

§ 9.

item

Aderant Comitiis his etiam Cumani, sicque in societatem juris hungarici adlecti, quae legatus Pontificis de captivis Christianis libertati restituendis, struendis domibus solo fixis et doctrina Christi, cum sacro latice, nullo aetatis aut sexus discrimine, per cunctos recipienda urserat, omnia se libenter, prolixeque facturos polliciti sunt; modo ne jubeantur radere barbam, abreviare capillos, et adsuetum corporis mutare cultum. Fuitque Ladislaus in eo totus, hac ut parte legatus exorabilem se praestaret. Quod cum effecisset, ac gentem utrique amatam parenti suo, de se vero nunquam non egregie meritam placere sibi amictu etiam testaretur, a vulgo Cumani cognomentum tulit.

§ 10.

animosum

Quod si laudum ejus umbram interpretaris, facis hoc me non recusante; fit namque per umbram hanc, ut illa cum Oltmaro Principe Cumanorum Alutam accolentium, Cumanisque hungaris, ad eum Transylvaniae imminen-

tem certatim confluentibus Ladislai pugna [1]), quam Kézaius Stillfridensi comparat, prae hac, tanto reddatur splendidior, quod ibi hostem veteranum, hic gentem sibi gratam, reipublicae causa fuderit, eumque victoriae imposuerit modum, ut populum virtute militari praestantem, a sentina improborum repurgatum, sedibus suis, quas hodieque obtinent, restitueret, praesentique fortunae suae roborique nominis hungarici conservaret.

---

[1]) Anno 1282, quo Diploma ad Hernadum in favorem Eclesiae Transylvaniensi dedit. De loco itaque pugnae idem cum Katonaio et Fesslero sentio. Locus literarum Ladislai a. 1288 „cum in Houd perfida gens Cumanorum ausu temerario convenerat" praesertim, si ad eam, quae sequitur, Cumanorum hungarorum ad Tataros profugorum distinctionem advertas, ad mutandam sententiam facit nihil, velut cui Diploma etiam, quod Ladislaus Siculis Aranyosiensibus impertitus est, haud mediocriter sufragatur.

§ 11.

ac magnivolum

Opibus Regiis ita usus, ut pauci **Regum** majore natu prudentius [1]), munificentia in literas plerisque horum etiam antecelluit. **Erat Schola** apud **Eclesiam Veszpremiensem**, quae a tempore (verba [2]) **Regis** sunt) quo in **Hungaria** catholica liberalium artium studia, per quae mandata maxime divina declararerentur, prout **Parisiis** in **Francia** floruerunt, doctrinae docentium praeeminentia, et discentium frequentia corruscavit. **In** hac, pergit is, cultus justitiae ad regni jura conservanda obtinuit principatum. **Quapropter**, ut divinae quoque laudis organa, quae (**Eclesia** hac et collegio sacerdotum per rebelles rebus omnibus

---

[1]) Privilegia ejus ex tit. 14. II-dae juris consuet. valent.
[2]) Vide literas ejus de a. 1276 (V. v. 2. p. 347).

spoliata) suspensa fuerant, restaurentur, portionem tributi in Fuk; aliis vero literis possessionem Korus eidem Eclesiae contulit [3]). Magistrum Paulum legum Doctorem et Praepositum Veszpremiensem ob insignem doctrinam operamque rei literariae praestitam, pluribus in Faisz et Vámos fundis donavit [4]). Nobilium numerum, quod rebus angustis horum maxime fide, et virtute niteretur, haud modicum dilatavit [5]).

---

[3]) Literae hae C. D. VII. v. 2. p. 2. continentur per virum, quisquis ille fuerit, juris civilis Romani peritissimum, ex quo exordium earum sumsit. Patet ex his a. 1276 in capitulo Eclesiae illius Doctores juris Canonici et civilis fuisse quindecim.

[4]) Literarum super donatione hac editarum initium ita habet ,,Amplitudini congruit Regiae Majestatis, viros doctrinae dapibus refectos suae excolere munificentiae donativis, ut dum intra regni septa, suae luculenta scientiae doctrina, exstirpatis vitiis plantando virtutes, veluti splendor fulserint firmamenti, quasi stellae in perpetuas aeternitates mansuri, per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellentes, ad justitiam valeant plurimos erudire''. — Librariam hujus supellectilem mille marcas valuisse literae praecedentes testantur.

[5]) Haec ex literis ejus a. 1279 (V. v. 2. p. 504) exaratis.

§ 12.

meritissimo appellat;

Haec Regem peradolescentem ex fonte consiliorum adhuc fluxisse probant, quae procedere, nisi ab optimis, probis certe viris, non poterant. Idem Archiofficia regni ad imitationem Francorum in Hungaria instituta esse cum intelligeret, Magistratum vero, cui in Gallia minus amplum, nec tam late patens, uti Palatino in Hungaria, mu-

nus esset, inter plures divisum accepisset [1]), consilium hoc aut primus, aut inter primos Hungariae Reges secutus, per diversas regni partes diversos constituit Palatinos, ut horum ope malefactoribus patriam purgaret [2]). Probare hoc nemo bonorum non potuit. Disserto vero horum assensu Jobum Quinqueeclesiensem Mosoniensi, Philippum Vacziensem Episcopum provinciae Neogradiensi praefecit. Strigoniensem ejati Pontifici per Patrem suum jure perpetuo collatam, serae hujus in Parentes pietati novo privilegio condonavit [3]).

---

[1]) De hoć apud Gallos Senechalcorum seu Baillifiorum instituto vide sis Hallamium o. c. Vol. I. p. 235. Mayrum o. c. T. II. p. 436 et seqq.

[2]) In lit. a. 1292 (VII. v. 5. p. 502) Opour Palatinus Citra-Danubialis; Rolandus Palatinus ultra-Danubialis cet. nominantur.

[3]) Steph. V. diploma de a. 1270 est; C. D. V. vol. I. Privilegium Ladislai de a. 1288 ibid. Corrige itaque Szvorényium et alios alia referentes.

§ 13.

Constitutionibusque Philippi Legati Pontificii, qua hae Statum regni publicum juraque Regia attrectant,

Sunt tamen, qui hactenus mecum licet sentiant, de reliqua ejus vita dicant aliud. Et scriptores quidem, qui Philippum Pontificis Legatum, dum in urbe Budensi Concilium Cleri agitat, rebus primum ad victum necessariis, urbe deinde prohibitum, Ladislao succensent; hunc degenerem, virtutique omni nuncium misisse, quam Legatum illum, aliquam Regi fecisse injuriam credi malunt. His percommodum literae accidunt Ladislai poenitentis, qui se fervore juventutis contra salutem accensum suam, et quorumdam pravorum Consiliis seductum, quod Synodum eam sciscere quaedam in damnum jurium suorum existi-

mabat, ad impetum illum prorupisse fatetur, et piaculum, centum marcas, in elemosynam perpetuam vovet. Erat itaque vel testimonio harum literarum et ad accipiendam et deponendam offensionem animo molli, quod hominum genus nemini non tamquam bonum laudatur. Sed enim, uti Ladislaum nunc, ex literis propriis, age dum, Legatum Religionis, Concordiae, Pacisque publicae missum causa, in quam praecipue rem, elaborandum sibi duxerit, ex capitulis Constitutionum ejus videamus. Plura is ad disciplinam Cleri; hoc ad Juris quoque ordinem emendandum sapientissime decrevit: Clerici sententiam sanguinis ne dictent; aquam vel ferrum candens ne benedicant [1]). At vero Legatus idem Lodomerium Episcopum Varadiensem non rogato, ne conscio quidem Rege, Archiepiscopum Strigoniensem renunciavit, audaxque hoc facti consilium canonibus Synodi illius pro aeterna haberi lege jussit. — Jus regaliae in bona a morte Praelatorum vacantia abrogavit [2]); Antistites Sacrorum per neminem Ordinis secularis, verum liberis collegiorum sufragiis eligendos sanxit [3]); obligatione militandi [4]); officioque ad inopiam aerarii publici sublevandam, qua demum cunque causa ferente, cum ceteris regni Ordinibus concurrendi exolvit [5]), omnique poene [6]) exemit civili jurisdictioni. Quae

---

[1]) Capitulo IX.

[2]) Cap. XLIX.

[3]) Cap. XV. XXIII. LI.

[4]) Cap. VII.

[5]) Cap. LIX. LX.

[6]) Poene scripsi, ne me solum duntaxat capit. XXIV. ,,ut Eclesiastici non agant coram Judice seculari" capituli item XXV. titulum hunc ,,ut coram eodem de personalibus injuriis et elemosynis Eclesiae factis non litigent" obiter inspexisse, aut Historiographi migrare officium aut Roszhirtii Geschichte des Rechts im Mittelalter, 1. Theil, canonisches Recht, 1846 ignorare arguas. Quod equidem cum existimari nolim, protuli censum injuriarum satis credo longum, ut duos Episcopos, quos Odericus Raynaldus de mente Philippi

profecto cuncta fuerunt ejusmodi, ut Legatum, qui se ad confirmandam Regis auctoritatem venire obtendit, reipsa ad hanc jure Regii, quod vocamus, Patronatus frustandam, regnum et sacerdotium perpetuo separandum divortio, excitandamque in Civitate Civitatem, solius tantum Curiae Romanae imperio obnoxiam, venisse liquido adfirmari potuerit. Non itaque schismaticis, ut quidam volunt, Consiliariis, sed ne Consiliariis quidem opus; satis namque Ladislao fuit, Belae IV. nepotem se meminisse, ut haec talia adversum sanctorum Regum instituta molientem aqua et igne interdiceret. Quiqui igitur Philippi tuentur causam, videantur illi sibi, per nos licet, retractatione Ladislai egregie fortes; re vera scientia Juris publici Hungariae tyrunculi sunt, quos ego jam tribus tantum verbis volo, et finem tricandi faciam: Multos Hungariae maximi Praesules nominis obvenisse; hos tamen omnes ad tantam hanc claritudinem ea praecipue virtute eluctatos esse, quod quem Ladislaus urbe Budensi, ejus praecepta politica legati Romani, pro se quisque, ab aditu animi sui excluserunt [7]).

---

falsa Ladislao denunciasse autumat, verissima testatos esse cognoscas et multo graviora, quam quae Patres Synodi Salzburgensis Henricus Dux Bavariae inferioris, in laesionem aestimationis Principum, cum neglectu Pontificalis mansuetudinis, tam insolita, quam indecentia induxisse, apud Peczium C. D. Hist. Epist. P. II. p. 139 ita queritur, ut si laudibus Hierarchiae Romanae, qualis haec in praesentiarum est, operam dare velle videretur.

[7]) Jam quinquennio post (V. v. 3. p. 210) Thomas Episcopus Varadiensis Reginae primum, deinde Regis Cancellarius haec de se ad posteros consignari literis voluit, doctrinae Philippinis articulis iis comprehensae oppido quam adversa, ,,licet autem divino esset inscriptus obsequio in officio pastorali; Moysis tamen exemplo, qui interdum ascendebat ad montem, ut gloriam Domini cum majori cerneret libertate; interdum vero descendebat ad castra, ut populi necessitatibus subveniret; tanquam contemplativae vitae imitative pariter et active studuit et divinis ministeriis insudare et Regiis

jussionibus et beneplacitis aequo ordine ministrare; solemnemque cum armatis militibus Regi ac Regno exhibuit famulatum in expeditione contra Regem Bohoemorum, ubi hic exitialem vitam exolvit."

§ 14.

uberius expensis,

Quo magis mirabar aliquando Péterfium ita de Pázmáno Pontifice Strigoniensi summi nominis, Philippinisque constitutionibus his disserentem, ut cum sententiam Pázmáni in omni, quae de conferendis beneficiis eclesiasticis suscipitur, disceptatione, pro antiquissimo, perpetuoque Regum Hungariae eligendi Praelatos et beneficia conferendi Jure standum esse praecipientis prolixe laudat [1]), scita simul laudet Philippi, quibus nihil cogitari potest sententiae illi adversum magis. Sed, quod ejus assequi auctoris consilium diu nequiveram, jam teneo. Notam is criticam capitulum Constitutionum Philippi quintum decimum „ne quis beneficium Eclesiasticum accipiat de manu laicorum" ferientem ad constitutionem similem F. Gentilis Apostolicae Sedis Legati „de ordinatione vacantis Eclesiae per provisionem, electionem, aut postulationem faciunda" indicat nervosam eam, et quae vi sua tam late patentet, ut non modo hoc, sed omnia Philippinarum constitutionum capita, quae superius attigimus, convellat. Atque est etiam aliud, in quo auctor is non plane nihil a se desiderari passus est. Ad Capitulum sextum supra quadragesimum „de iis, ad quos sepeliendos exigitur una marcha argenti" abusum, avaritiamque hanc sublatam capitulo hoc esse innuit. Pervellem, ita res se haberet; sed ex textu capituli hujus propalam est: Philippum barbaram consuetudinem hanc non abrogasse; verum de eo tantum providisse, ne haec ad alios etiam, qui fulmine percussi,

---

[1]) Sacra Concilia Ecl. Hung. ad aetatem Steph. III. Regis pag. 75 seq. Cum quibus, operae pretium feceris, si Roszhirtii c. o. § 168 et § 173 contendas.

mersi aquis, aut alio fortuito casu supremum obirent extenderetur. Itaque Péterfius de Philippinis articulis his, qua ad statum regni publicum pertinent, in vita Ladislai IV. aliud disseruit; aliud, nisi me omnia fallant cum animo suo cogitavit[2]). Quidquid interim sit; — adferenda haec erant, primum: ut statuere tecum de sententia Oderici Raynaldi possis, qui nullam in articulis iis auctoritatis Regiae injuriam videt; deinde, ut intelligas consuetudinem Archidiaconorum Hungariae per Philippum auctoritate Sedis Pontificiae admissam, non igitur longius quaerendam esse rationem, cur tot in eam non modo Bullae Pontificum, sed leges etiam usque ad tempora Sigismundi, imo vero Uladislai II. frustra fuerint.

---

[2]) Illud nempe Baytaii celeberrimi apud Transylvanos Praesulis „Idem Concilium jus regii patronatus, ut vocant, omnino evertit: decrevit enim, ut Antistites sacrorum liberis Collegiorum suffragiis eligantur. Idem vero ante XIV. annos, videlicet MCCLXV statuerat Viennae Guido Cardinalis Clementis IV. P. M. Legatus, quum Decreto V. inter viginti, qua pro Hungaris ediderat, inquit: Nullum per occultam insinuationem Regi factam, aut per seditionem aut per pecuniam vel specialem gratiam, sed ex communi consilio et consensu pari Episcopum faciatis".

§ 15.

tam glorioso regni initio finis non tam culpa Regis,

Scriptores alii haud vulgaris notae Ladislaum Hungarorum Alcibiadem vocant. Plane consentio; sed interea, dum plerique horum amores ejus, et tempora, quibus adolescens, imperatamque sibi prope infanti conjugem a puero exosus, Cumanas; quibus deinde Neugarias arserit, curiose rimantur, ipse mecum in animo, reliquas vitae ejus rationes, qua ad institutum praesens pertinent, considero. Video illum etiam tum, dum quidam nervos omnes virtutis elisos apud eum videre sibi videntur, in tri-

bunali frequentem; in jure dicundo severum, qui nec Matri suae, plus ut fastidio, contumaciaque muliebri, quam jure legibusque possit, indulserit; Palatinos, ut judicia statis temporibus celebrent, iterum, iterumque monuerit. In clementiam, quam asperitatem proniorem eum M. Henricus de Insernia Ottocari Bohaemiae Regis Cancellarius laudat, tamquam hoc de industria ageret, ut tanto major nobis Ladislaus in literis appareat, quibus ad expeditionem et congregationem regni generalem (Insurectionem) non comparentibus perfidiae adscripsit notam [1]). Tataros ille a. 1285 maxima in Hungariam illapsos manu, Valachis missis [2]) per Andronicum adjutus fudit; Lythene Cumaniae Vajvoda auspiciis suis caeso, et Ditionum Coronae Hungaricae, et legitimorum hujus redituum integritati egregie consuluit [3]).

---

[1]) C. D. V. v. 2. p. 32.

[2]) Hi deinde Neugari dicti apud Engel, Geschichte des ungar. Reiches. P. I. p. 429.

[3]) Katona H. Cr. VI. p. 1913.

§ 16.

qui Jurium populi studiosissimus, cum hoc Comitia

De Comitiis Ladislao IV. Rege celebratis Martinus Georgius Kovachichius pro more suo diligenter conscripsit. Generalem Congregationem regni in Rakus a. 1286; Generalem convocationem Nobilium regni Transylvanici a. 1288 Tordae habitam, quarum utraque Kovachichium latuit, Czechius, ab eximio historiam patriam illustrandi studio laudatissimus indicavit [1]). Ad Literas Nicolai Bani totius Slavoniae in Tetum (Tetény?) in generali Congregatione totius regni Ungariae in festo S. Jacobi

---

[1]) Tud. Gyűjt. a. 1829 f. 1. p. 12 — 15.

Apostoli a. **1279** datas usque adhuc, quod quidem sciam animum advertit nemo[2]), ex quibus non generalia modo regni Hungariae, sed quod paulo plus significat, generalia quoque totius regni Hungariae Comitia Ladislaum agitasse elucet.

[2]) Cod. Dipl. T. VII. v. 5. p. 593 — 595.

§ 17.

non generalia tantum, sed universalia quoque frequentissime egit;

Solenne nimirum veteribus erat, quod nos hodie „Hungariam, partesque adnexas" dicimus, totum regnum Hungariae dicere. Formulae igitur loquendi, vires totius regni extraxit;— Salomon (Chron. Thur. II. c. 47) cum assensu et acclamatione totius regni Hungariae sedit; cum totius regni nostri consilio et consensu in lit. Belae IV. de IV. Cal. Febr. **1238** non solam modo Hungariam, sed hanc cum partibus adnexis acceptam significant[1]). Ex quo intelligas Comitia anno **1279** non modo Hungariae generalia, sed rectius universalia fuisse. Et nomen Diaetae universalis et perfectissimam hujus definitionem Regalibus a. 1505 ad Civitatem Sopronienseni exaratis[2]) datam (Comitia significat, quibus omnium omnino s. Coronae partium nuncii et Oratores adsunt) tam Kovachichius quam Skerleczius in manu habuerunt. Quo magis mirum est, neutrum Duumvirum horum solertissimi ingenii, de distincto hoc Generalium

[1]) Huc pertinet illud apud Farlatum T. V. p. 416 „ad partes regni Hungariae Zagrabiensis Dioecesis". Ibidem p. 367 expromtam de notione Primatis Hungariae veterum sententiam supra l. IX. § 3 dedimus.

[2]) Supl. ad Vest. Comit. T. II. p. 331.

Comitiorum genere quidquam prompsisse, praesertim cum Skerleczius de Comitiis a. **1492** (quae perinde universalia erant) disseruerit [3]) memoriamque horum etiam art. **108. 1492** teneat. Universalia Comitia haec ordinarie ad solemnia electionis et inaugurationis Regum [4]), exemplo vero Ladislai IV. etiam ad consultanda negotia alia majoris ad prosperitatem totius regni Hungariae momenti celebrabantur. Et Banum quidem Slavoniae ad illa jam sec. XIII. cum pluribus regionis ejus Nobilibus ventitasse, ejusque cum his consultationes (conferentias hodie banales dicimus) jam aetate Ladislai IV. in more positas indicio superiorum literarum novimus.

---

[3]) Is de articulis regni Slavoniae Decreto horum Comitiorum non tam subnexis, quam innexis agens haec adnotat: „Qua occasione observari velim Mossoczium his Slavoniae articulis perperam distinctum a reliquo Decreti corpore titulum dedisse. Ea enim re multos in eam erroneam induxit opinionem, quasi hi non in Comitiis a. 1492 perlati, sed in distincto Slavoniae Conventu conditi et in Diaeta a. 1492 tantum praesentati, approbatique, sicque Decreto illi subnexi fuissent; ubi tamen ad finem (prouti et nunc cum Croatia usu venit) collocati fuerunt. Et ideo in Codice Radaiano Articuli hi hungaricos, absque ulla interruptione, prout et nunc moris est, continuo sequuntur". — Nosse haec oportet, ut vim vocum „Universitati Regnicolarum nostrorum" Ingressus § 2; „universorum Dominorum Praelatorum, Baronum, et Procerum cunctorumqne Nobilium hujus regni" art. 107 ac denique verborum Confirmationis § 1 „in praescripta generali omnium Regnicolarum Conventione et Diaeta" significatum assequaris; intelligas praeterea: divisionem Comitiorum in universalia, generalia, et particularia, quae sec. XV. in Bohoemia obtinuit, seculis prius non quidem nomine, sed re ipsa viguisse apud Hungaros. Denique ut horum cum art. 61. 1741 contentione ac comparatione judices ipse, quam procul a vero aberrent, qui Majorum mores ex rationibus praesentis aetatis generatim aestimant.

[4]) Testimonio literarum Belae IV. de a. 1238 supracitatarum, Comitiis, quae per eas indicantur, adfuit etiam frater ejus Colomanus Rex et Dux totius Slavoniae „fere cum omnibus Jobbagionibus suis".

§ 18.

quam multo gravioribus Optimatum utriusque Ordinis, nimia libertate lascivientium vitiis haud respondisse videtur.

Ex his colligere licet, dici quam multa, vere, in laudes Ladislai IV. possint; comprehendam tamen omnia brevi. Ab Olygarchis ob puerilem aetatem contemptus [1]), post, ubi omnem Philippus inter eum Sacerdotiumque nexum abrupit, hujus aemulatione per Optimates utriusque ordinis, quovis licentiae genere vexatus, populi amorem constanter tenuit. Quod tum apparuit maxime, quando Lodomerius Archiepiscopus Strigoniensis, jussus per Nicolaum IV. PP. cruce signatorum in eum expeditionem promulgavit; ipse autem ad exarandas circum quaque literas oblivionis animum adjecit [2]). His enim nemo non paruit promtissime. Ejus igitur exemplum hoc alii etiam Reges secuti; Pontificis sententiam: posse populum exolvi religione fidei, quam Regibus dedisset, non hi magis, quam probi quique Cives semper detestati sunt. Ex quibus, quo illud per Chronographum Thuroczii generaliter dictum „tempore istius Regis caepit Hungaria deflecti et annihilari" accipiam sensu, quantamve literis Ladislai adhibeam fidem „per societatem infidelium regnum suum destructum et vastatum" iterum, iterumque conquerentis, satis, credo, intelligitur, nec me pluribus disserere oportet; quando Rex ipse verbis his quod Chronographus is dissimulat, taciteque habet, verissime explicat

. . . . populumve falsis
dedocet uti
vocibus [3]) . . .

---

[1]) Initio per Andream de genere Kaplon facto, qui eum jam coronatum Regem cambuca percussit. C. D. V. v. 2. p. 426.

[2]) Ibidem V. 3. p. 457.

[3]) Horat. l. II. Oda 2. Secundum Simonem de Kéza primus, quod sciam, ex scriptoribus ordinis sacerdotalis, Kerchelichius, vir

alias per nos pro merito laudatus, ut erat animi maxime ingenui, Ladislaum laudare ausus est, tulitque praeclarum hoc ejus studium nobilissimum hunc fructum, ut deinceps aequiores hic, de illo quoque Ordine, rerum suarum aestimatores nancisceretur.

XXIII. REX ANDREAS III.

ab anno 1290 — 1300.

§ 19.

Primus Decretum inaugurale edidit.

Andreae II. ex Stephano filio posthumo et Catharina Thomasina nobilissimo apud Venetos Maurocenorum orta genere nepos, Dux antea Slavoniae,[1] a fatis Ladislai, secunda bonorum omnium voluntate, regnum jure, ut ait, proximioris virilis geniturae adivit. Insignia regia tertio decimo ab obitu illius die (23. Julii 1290) [2]) ritu per Henricum Moglunensem et Ottocarum Horneckium[3]) descripto Albae accepit, in generali Congregatione omnium Praelatorum et Baronum, nec non omnium Nobilium de singulis provinciis et Cumanorum [4]). Hic primus inaugu-

---

[1]) Cod. Dipl. VII. v. 4. p. 238.

[2]) Chron. Varad. per Podhr. ad Chron. Bud. citatum.

[3]) Summa est: Andream, petentibus regni Primoribus, ut pro consuetudine juret, Sacramentum de conservanda pace, de obedientia Eclesiae exhibenda, latronibus eliminandis, defendendis viduabus, administranda justitia; augendis juribus Coronae, avulsis regni partibus recuperandis nuncupasse. Post haec Praelatos, Barones, Nobiles ei fidem jurasse. Et demum, qui Coronae tenebant officia: uti Banum Machoviensem, Boznensem se in his confirmari petiisse. Hoc facto, belloque contra Albertum Austrium decreto, oblatoque per Ordines regni subsidio, finem solenniis impositum.

[4]) C. D. VII. v. 4. p. 219.

rale edidit Decretum [5]) seu quod idem est, de imperio suo populum consuluit.

---

[5]) Praefat. Decr. Com. a. 1291 apud Kovachich et art. 41 anni 1298.

§ 20.

consensitque, ut Consiliarii sibi publico adjungantur consilio.

Nihil neque hoc, neque aliud de anno 1298 Decretum Andreae III. de resistendi facultate; habent tamen aliud auctoritati regiae ferme gravius propugnaculi, non tam ad tutandam Bullam auream Andreae II., quam ad obsidendam arcem Monarchiae patriae, comparati genus, quod per iratos Henrico III. Proceres Angliae adhibitum [1]); apud Hungaros nonnullis obtentu pacti fundamentalis, hocque comprehensae de consilio personarum principalium cautionis; aliis autem longe plurimis, instar novi quidem, sed oportuni ad praevertendam resistendi facultatem medii laudatum, Andreas intra fines legum Decreto suo inaugurali conditarum recepit. Hoc namque verba art. VII. Decreti hujus „juxta consilium Archiepiscoporum, Episcoporum, et Consiliariorum nostrorum

---

[1]) Per provisiones, quibus Oxoniensibus nomen. Harum vim summamque ex Bertonianis Annalibus Hallamius c. o. T. II. p. 225 ex aliis operibus classicis, uti sunt: Report of the Lords Committees cet. Londres 1820 in fol. Acta publica Rymeri novitus edita et recentiores Commentariorum Edinburgh review tomi cet. deductam celeberrimus Guizotus in suo „Essais sur l'hist. de France" p. 455 et seqq. compendio exhibet. Cum quibus non sine fructu art. 7. 9. 31. Decr. a. 1291 item art. 7. 20. 21. 23. 24. 42. 43. Decr. a. 1298 contenderis.

per Regnum deputatorum" significant; non multo post art. XXIII. Decreti de a. 1298 latius, in haec verba explicitum „Item statuimus, ut Curia Domini Regis honorificentius regi possit, et regnum Hungariae decentius gubernari, Dominus noster Rex singulis tribus mensibus singulos duos Episcopos: unum de sufraganeis Strigon. et alterum de sufraganeis Coloc. Eclesiae, totidemque et quasi omnes Nobiles regni, quos ex nunc elegimus, secum habeat, congruis stipendiis de bono regio sustent... Et si idem Dominus Rex hoc facere omiserit, quidquid praeter consilium praedictorum sibi aplicandorum in donationibus arduis et dignitatibus conferendis vel in aliis majoribus fecerit, non teneat" [2]).

---

[2]) Confer cum his literas Praelatorum et Baronum, quorum consensu Andreas III. terram Rehtukeur nepotibus C. Simonis de Aragonia relinquit, etiam ab axiomate juris in haec professo verba: „Cum possessiones ab antiquo collatae pro haereditariis habeantur" dignas, quas hic adnotem C. D. VI. 2. p. 228.

§ 21.

Aemulos habuit plures,

Altera tamen haec cujus fuerit cunque solertia, ut literae quaeque, etiam super donatione regia, intra annum a coronatione sub simplici solum sigillo edantur, eo demum evoluto in privilegii formam redigendae, [1]) quantum ingenii, tantum praeclarae in Regem hunc voluntatis habet. Patentes enim fiduciam tantum, plenam solidi juris securitatem privilegiales literae praestant [2]). Quarum ex dole petita cautio haec, quia in arctius devinciendam contra aemulos fidem spectabat, ex usu Andreae fuit.

---

[1]) Vide literas C. D. VI. 1. p. 57.

[2]) In Priv. a. 1294. Leonardo aucupi de Scepes dato, literas Belae IV. et Detrici C. de Zolum diserte patentes vocat. Supl. ad

anal. Scep. p. 376, in iis item, quas Keményiis (ibid. p. 135) dederat „super quo, ait, eidem nostrum privilegium conferemus, quum in futura congregatione nostra generali praesentes per eundem Comitem nobis fuerint exhibitae."

§ 22.

Inter quos Carolus Martellus, quod Pontificum Romanorum niteretur ope, molestissimus

Erant hi omnino complures. Et Rudolphus quidem Imperator testatus, coram se adfuisse, dum Bela IV. solicitata contra Tataros Friderici Imperatoris ope, regnum clientelae imperii Germanici obtulit, hoc filio Alberto primum, post Regi etiam Bohaemiae in feudum contulit, ea adjecta lege, ut Danubius inter utrosque limes esset. Nicolaus vero IV. Pontifex ad Apostolicam hoc sedem multifariam pertinere obtendit; et datis ad Rudolphum literis, ne jus hoc invaderet, monuit, hujusque conservandi causa Legatum in Hungariam misit, cum literis ad Praelatos et Nobiles exaratis. Conatus Rudolphi nullo susceptos jure, bello quod Comitiis inauguralibus Andreae III. contra Albertum decretum est, fortuna quoque destituit. Hac igitur parte per tabulas pacis a. 1291 confectae tutus, Andreas negotium cum solo jam Pontifice, sed hoc longe maxime arduum habuit. Ejus enim nixa auspiciis Maria Stephani V. filia, Carolo claudo Regi Siciliae nupta, literis a. 1292 conscriptis regnum Hungariae „sive successionis, sive consuetudinis, sive electionis, sive quocumque alio jure vel modo id sibi competeret" Carolo Martello primo genito donavit. Andreas itaque licet celebratis a. 1291 apud Transylvanos quoque Comitiis, juribusque Nobilium, Saxonum, Siculorum et Olahorum confirmatis, nihil non ageret, ut hos quidem legum de his conditarum tabulis, eos vero, qui maritimas provincias incolerent, Diplomatibus aliis obstringeret sibi; hoc tamen, quem su-

perius adumbravimus, ipse vero mox in aditu regni expertus est[1]), animorum apud Oligarchas habitu, praevertere non potuit, quin pluribus horum non illibentibus, Carolus Martellus a. **1292** per legatum Pontificis Nicolai IV., anno vero **1294** per Coelestinum IV. coronatus, Regem se Hungariae ferret.

---

[1]) Cum iter Albam ad solemnia coronationis properaret, per Joannem Comitem Gissingensem interceptus, praeclara Theodori Rumii Praepositi Albensis opera liberatus est. C. D. VI. v. 1. p. 236, 299. VII. v. 4. p. 238.

§ 23.

Lodomerio tamen Archiepiscopo Strigoniensi et bonis omnibus, pro causa Andreae seu libertatis patriae stantibus, haec superior,

Hic anno **1295** vivere desiit; sed solatium Andreae ex hoc acceptum casu, brevi subsecuta Fennenae conjugis mors peremit, tanto magis luctuosa, quod ex hac filiam Elisabetham anniculam, nullam vero masculam prolem sustulerat. De conservanda itaque stirpe Regia solicitus Agnetem Rudolphi Imperatoris ex Alberto Austriaco neptem matrimonio sibi junxit; eique Comitatum Posoniensem cum cognomine et aliis castris in territorio ejus sitis, tributisque nomine dotis inscripsit; nec multo post Viennae Elisabetham filiam Venceslao juniori Regis Bohaemiae filio et haeredi despondit. Quiqui solemniis his cum Andrea coram aderant, Optimates; boni hi omnes, vel quasi boni fuerunt. Cunctis tamen his constantia fidei Lodomerius (ab anno **1290**) Archipraesul Strigoniensis, perantiquo Monoszloiorum natus genere, praestitit, qui causa Andreae nec Pontificum suscipere

inimicitias veritus, nec alios dominatui sedis Romanae potius, quam legitimo Regi huic inservire passus est [1]).

[1]) In literis de a. 1291 (VI. 1. p. 90) quibus ei villa Mocsa per populos reginae exercituales et Bucharios habitata confertur, de ejus in Regem ante et post coronationem officiis plura.

§ 24.

Proditione quidem Gregorii, quem ille in sede Strigoniensi successorem nactus est,

At vero hunc quoque a. 1298 mors humanis exemit. Collegium autem Sacerdotum Strigoniense, ut tantam jacturam quamprimum repararet, successorem ei Gregorium Csény de genere Katupány, Praepositum Albensem et Vice-Cancellarum Regis delegit, hucusque probum, et tantae illi spei parem, sed qui simul principem eam sedem adivit, simul boni civis personam [1]) deposuit, et tam longe ab moribus Lodomerii discessit, ut quos ille Regi legitimo infideles, tamquam hostes patriae, sacris interdixit, eorum hic esset studiosissimus. Itaque factum, ut Procerum alii Pontificis, alii, quod officia sua Andreae necessaria intelligerent, hujus nixi fiducia, reliquos, neque minus eos, quorum in numero fuerant antea, quam adversus quos ferebantur, omni licentiae genere, tamquam re publica vacua, premerent gravissime. Ad haec invidiae Regi fuerant alienigenae, quos nova uxor Aulae suae, castrisque in dotem acceptis praefecit, munere suo ad quodque nefas sic abusi impunissime, ut Rex Decreto Comitiorum a. 1298 tepiditatem objici sibi aequo animo pateretur.

[1]) Fessler l. c. t. 3. p. 865.

§ 25.

aliorumque improborum,

Leges horum Comitiorum pariter atque illae de 1222, concessione Regis, exclusis quibusque Baronibus, per Praelatos et populum rogatae, probataeque deinde per Regem, et per Barones omnes subnotatae, plura sane continent, ad eos, qui se ad Caroli abstulerunt partes, revocandos; confirmandam Magistratuum auctoritatem; et reprimendam vim oportuna. Si tamen mores desint, invalidum esse legum auxilium, Conditores harum: Praelati populusque perspexisse dum igitur art. VI. Regi ad refroenandam malorum audaciam externi etiam militis accersendi potestatem fecerunt, judicium de causa publica fecisse videntur, verissimum illud quidem, sed tam dubia hac, quam ferme collapsa voluntatum, morum, domesticaeque fortitudinis fiducia, tristissimum.

§ 26.

adflicta,

Nihil itaque haec fidei Praelatorum maximaeque partis populi erga Andream constantia Bonifacium VIII. morabatur, quin per Henrici Bani filios, Joannem et Henricum, Ugrinum item filium Poth de Ujlak, et alios ut Regem Hungariae daret, interpellatus in Carolum Robertum, Martelli filium ei praeficiendum enixius incumberet. Instrumentum voluntatis ejus praecipuum, Gregorius Strigoniensis, postquam cunctos, qui ob locatam sedi Romanae operam interdicto suberant, hujus solvisset vinculis; alios promissa peccatorum venia (indulgentiam sacram vocamus) ad Caroli Roberti traducere fidem laboravit, fecitque paulo etiam plus: Ordines enim regni, qui ex decreto superioris anni, in Octava Apostolorum Petri et Pauli ad campum Rákos, Comitiorum causa, convenerant, obtentu literarum a Pontifice acceptarum Veszpremium,

ubi ipse cum plurimis asseclis morabatur, evocare, queri simul per Procuratores ad campum illum delegatos, de injuriis eclesiae Strigoniensi illatis, non dubitavit. Ad quae Rex, si in aliquo electum eclesiae illius aut eclesiam ipsam laesisset, quod non credebat, Praelatorum et aliorum proborum virorum arbitrio, semet satisdaturum cum declarasset, hanc ejus voluntatem Ordines regni, medio nunciorum, Gregorio significantes, tam ipsum, quam socios ad campum Rákos invitaverunt; tamen sic licet rogatus nec ad Comitia illa venit, nec Ordinibus regni ad eum accedere paratis, locum, quod optabant, tutum et securum assignavit; minas quin imo dirarum Pontificiarum reddidit, quibus omnes, nisi fidem Andreae abrogarent, ferirentur. Sed nihil ultra verba ausus, quum ex provocatione per Ordines regni ad Pontificem facta, parum tute se in Hungaria morari intelligeret, ultra Dravum in castrum s. Crucis latrociniis infame, mox versus interiora Dalmatiae secessit.

§ 27.

neque tamen victa est.

Inter haec Carolus a. 1300 Spalatum, inde, comitante eum Paulo Bano, Zagrabiam pervenit, Andreaque sospite adhuc, per Gregorium Rex Hungariae inunctus est. Anno post enim obiit Andreas non sua morte, sed ex veneno, quod ei Italus quidam praebuit.

§ 28.

Andrea III. Rege,

Diplomatum Andreae III. vim potestatemque coram jure probandi omnem Carolus Robertus abrogavit; his, quo in illum fuit, odio, fidem quoque historicam detracturus, si, quae facta sunt, reddere infecta, et memoriae perimere vitam, suae aut clientum fuisset potestatis.

§ 29.

Modus habendorum apud Hungaros Comitiorum ad priscum Congregationis Communitatis orbem rediit.

Quod Bela IV. noluit maxime, repressitque, dum viveret, modis omnibus, ne res Comitiorum ad priscam Colloquii Comunitatis rationem revocaretur; hoc ab obitu ejus, primum facere populus occupavit. Ad inauguralia enim Stephani V. Comitia maximo convenit numero, obtinuitque facile, ut Consilia regni publica in communi deinceps Congregatione, et Conventione omnium Nobilium, Parliamento regni publico, et quae hujus alia enata sunt nomina hujusmodi, agerentur. Lex scripta defuit adhuc; haec quoque ad cumulum amplissimae libertatis accessit, non alio, si rem praesentem, non verba consideres, fructu, quam ut nostris ipsi malis intelligeremus: quam parum populari huic rerum statui cum appellatione sua conveniat. Lex prima (art. 31. 1291) de Congregationibus his decernit „ut in quolibet anno semel omnes Barones et Nobiles regni — Albam ad Congregationem debeant convenire . . . (deliberantes) de statu regni et inquirentes de factis Baronum, qualiter quilibet ipsorum in suis Comitatibus processerint, et conservaverint jura regni.“ — Altera (art. 42. 1298) constituit „ut omnes Praelati, quos legitimum impedimentum non detinuerit, nec non et omnes Barones et Nobiles universi, ad quindenas b. Georgii in Rákus juxta Danubium convenire teneantur.“ Atque ab hac aetate Generali huic Conventioni Nobilium vulgo Rákos adhaesit nomen. Illud igitur Joannis Cuspiniani auctoris de sec. XVI. „quae Regnicolarum in Buda Congregatio patria lingua Rakusd appellatur“ cave ultra citerius dimidium sec. XIII. extendas; ne errorem erres Joannis Haugenii scriptoris itidem sec. XVI., qui Chronici sui cap. XXIV. Hungaros, ad abrogandum Petro regnum, Rakos celebrasse [1]) tra-

---

[1]) „Hielten die Ungarn ein Rakusch“.

dit. Nomen hoc deinde Polonos quoque ad significandum generalem et universalem Conventum adoptasse, eruditissimus Cornidesius jam pridem advertit [2]).

---

[2]) Vind. Belae R. Not. p. 279 et seq.

§ 30.

Primaevae liberorum hominum aequalitati politicae communi Nobilium appellatione consultum.

In legibus Andreae III., nulla neque Servientium, neque Jobbagionum Castri memoria. Qui priscae Majorum aetati liberi homines (Szabados felek) jam Nobiles appellantur omnes. Ex his, ad Dravum qui colebant, pro veteri usu in literis Mathaei Bani de a. **1270** descripto, usque adhuc Praefecto provinciae descensum praestiterunt. Hoc item dissolvere debitum Andreas in Comitiis a. **1291** rogatus percupiebat; legem itaque de immunitate hac, nam immunitatem ipsam Ludovicus primus dedit. Atque hic, ut videbimus erit, qui illud quoque per Andream III. ad reparandam priscae liberorum aequalitatis politicae injuriam acceptum, de communi Nobilium appellatione, consilium, addita nova ad similitudinem Scytharum Abiorum lege, in solido collocabit.

§ 31.

Aetati Monarchiae hungaricae aequale Fori regii, quam Tabulam regiam vocamus, initium literis ejus illustratur.

Sancti Stephani Curiales Comites regni qui fuerint; de Curiali item Comite Regis majori, et minori, quorum ille Sigillum Regis conservare, et quando ab Aula peregre discessit, minori huic relinquere debebat, rem esse, credo, exploratam abunde; praesertim, cum de sigillo Judiciali

Regum (ac speciatim Ladislai IV.), exstantissimum apud Prayum adsit documentum, ut adeo crebrae in Literis Andreae III. „Praesentiae Regiae seu Vice Judicum Curiae nostrae"[1]) notio ex fontibus sic repurgatis sua jam quodammodo sponte nobis limpidissima affluat. Partem nimirum hanc esse inferiorem Curiae Regiae, quam articulus 7. 1498 et 4. 1519[2]) Consilium adhuc Regis, aetas posterior Tabulam Regiam appellat.

---

[1]) Confer literas C. Marcelli Vice Judicis Curiae Domini Regis (Andr. III.) de a. 1293 (C. D. VI. v. 1. p. 270) „verum quia iidem toties citati, ad Regiam Praesentiam seu Vice Judicum Curiae ejusdem et nostram venire neglexerunt". Alias item Andreae III. de a. 1296 (VII. v. 2. p. 192) „traxit in Causam coram nobis, exhibendo contra praedictos literas nostras, Vice Judicum Curiae nostrae et diversorum Judicum quam plures" cet.

[2]) Et hi namque et art. 10. 1500 et 4. 5. anni 1507. 39. 1519 ex hac, quam inter nos commentamur, Judiciorum Curiae Regiae Andreae III. norma derivati sunt.

§ 32.

De Praeside,

Praeses tribunalis hujus Vice Judex Curiae Regiae fuit, qui amplissimum Praesentiae Regiae titulum cum Comite Curiali majori aequo jure participabat,[1]) velut

---

[1]) Ad literas citatas paullo ante adjice alias l. c. p. 383 itidem Vice Judicis Curiae Regis „quibus visis Stephanum cet. citatos ad septem terminos ad Regiam Praesentiam seu Judicis Curiae comperimus non venisse; propter quod citati ad Regiam Praesentiam seu nostram (Vice Judicis Curiae) venire nullatenus contumaciter curaverunt". Quae etiam p. 388 repetit. Alias item Comitis (non uti VII. 1. p. 113 legitur: Canonici) Stephani Vice Judicis Cu-

neutri specialiter proprium [2]), sed Sigillo inhaerentem Regio. Quod propter frequentiorem jam Judicis Curiae ab Aula absentiam, crescentemque in dies Causarum numerum, cui expediendo plena Regis Curia nec crebre nec per aliorum negotiorum molem diu satis considere poterat, Curiali Comiti minori concredi justitiae administrandae ratio postulabat.

---

riae Regis (VI. 2. p. 282) de a. 1300 ,,quia Capitulum ad finalem terminum exhibitionis istius privilegii ad Regiam Praesentiam seu nostram, tamquam Vice Judicis Curiae Regiae non venit cet.'' Privilegium praeterea per Andr. III. a. 1300 Korotnokiis collatum apud Wagner P. I. p. 114 ,,causas autem, si quae contra ipsos emergerent, nostra propria Persona vel Vice Judex Curiae nostrae judicabit''. — Confer etiam IV. 3. p. 247. V. p. 142. 149 cet.

[2]) Pari jure Paullus Judex Curiae Regiae a. 1349 (IX. 1. p. 723) ,,Cum in Regiae Majestatis Praesentiam citati in nostram non venissent.''

§ 33.

De membris Judicii hujus.

Membra partis hujus Curiae Regis Vice Palatinus et Protonotarii (ita enim jam appellari caeperant, qui antea vulgo Aulae Notarii dicebantur [1]) ac denique Nobiles, quorum pars, Andrea III. Rege, publico deligebantur Comitiatu.

---

[1]) Literae Vice Judicum Curiae allatae superius membra, tribunalis sui formula ,,una cum Nobilibus regni nobiscum in Judicio assidentibus'' perhibent. Horum partem Ordines regni in Comitiis (ut supra) delegerunt; partem aliam Vice Palatinus et Regii ac Judicum regni Ordinariorum Notarii nullo non tempore constituebant. Et Palatinus quidem Dionysius literas de a. 1228 (III. v. 2. p. 150)

per manus Matthiae Notarii sui edidit; Laurentius a. 1268 Protonotarium habuit Sebastianum Canonicum Albensem; Omodeus a. 1295 Magistrum Stephanum; Petrus Magister Thavernicorum a. 1281 Magistrum Michaelem cet. Hi in vetustioribus Chartis etiam Aulae Regiae Notarii: immo vero seculo etiam XVI. Petro e Comitibus de s. Georgio Judici Curiae Regiae Benedictus de Zenth-Maria Styli sui Notarius, Nicolaus de Galsa minoris Cancellariae Regiae, et Gabriel de Orechovecz Styli palatinalis Notarius apud Katona H. C. T. 18. p. 282 scribuntur; hosque significat illud etiam antiquissimum Geyzae II. in lit. de a. 1145 „Joannes et multi alii Notarii, qui omnes tunc personaliter aderant in Curia nostra."

§ 34.

De plena Regis Curia et literis hujus, quae Sententionales vulgo dicuntur.

Causae, quae erant altioris sinus et pro momento suo plenae Curiae exigebant judicium, ad hanc, et quae hujus apud veteres erant nomina: **Audientiam, Auditorium, Consistorium Regis**, deducebantur, deliberatae istic praesentibus (pro more ejus aetatis) tribunalis quoque Vice Judicum Curiae commembris. Et quidem Andrea III. Rege Sententiae quoque plenae Curiae non jam forma tantum Privilegii usque adhuc usitata, sed per solennes quoque Praesentiae Regiae literas editae sunt [1]).

---

[1]) Stephanus Vice Judex Curiae Regiae „quia negotium grande erat, ipsam causam ad praesentiam D. Andreae Regis deduximus decernendam". Hic cum Comite de Zolyom, aliisque, ipso item Vice Judice Curiae hoc „et Nobilibus quam pluribus" (ceteris tribunalis hujus commembris) Sententiam fert, de qua literas testes Vice Judex Curiae edit. C. D. VI. 2. p. 290.

§ 35.

Mansit tamen solenne deinceps etiam, ut Palatini ju dicia sub dio celebrarent,

Lege Andreae III. vetustissima quoque habendorun per Palatinos sub dio judiciorum consuetudo confirmata additumque: haec in Civitatibus, aut villis vel tempor hiberno celebranda non esse [1]). De usu plures denominandi Palatinos legibus his nihil quidquam proditum perstitisse hunc etiam aetate Andreae III. Diplomatun fide certum est.

---

[1]) Art. 35. 1298.

§ 36.

et bona damnatorum, si haec redimere Cognati nollent, alienis conferendi haberent potestatem.

Deinceps in legibus Andreae III. est, ut si quis Nobilium possessiones suas pro suis maleficiis perdere debeat, Cognati propinqui has redimendi habeant facultatem Quod cum ita apud Hungaros omni retro tempore fueri observatum; nihil per haec constitutum novi, sed vetustissima consuetudo in scriptam relata legem; consiliun nimiae hujus in Palatinos liberalitati modum imponend in posterum dimissum est.

§ 37.

Primordia Sedium Judiciariarum Comitatuum, Andrea III Rege ad praesentem propius adductarum formam,

Institutum Castrorum hac etiam parte, qua per Belam IV. novis permutatum institutis non est, donationibus per Stephanum quidem in praemium navatae sibi contr

Patrem operae; per Ladislaum et Andream ad inopiam auctoritatis regiae harum saltim ope sustentandam factis, tantum non penitus exinanitum, et qui nobiles antea Jobbagiones castri vocabantur, plerique jam in ordinem Nobilium regni et Servientium regalium merito suo cooptati cum essent; formam Judiciorum ad hanc aptari conversionem rerum oportuit. Comprovincialiter, id vero est: omnium intra fines ejusdem provinciae liberorum consensione, usque adhuc Assessores tantum ad Congregationes Palatinorum lecti; Causae rerum capitalium pleraeque, et civiles Nobilium ferme omnes in his disceptatae; Congregationesque Comitatuum plurimum simul cum his celebrati sunt. Ex veteri observantia hac jam laxari aliquid, initiumque art. **16. 1291** et **32. 1298** fieri placuit. Illo decernitur, ut, si Palatinus ad faciendum judicium processerit, in qualibet provincia quatuor Judices deputati cum Comite parochiali coram adesse et judicare debeant. Alter ita habet: „omnes causae ad Palatinum dum provincias judicat, vel tunc, dum non judicat, ad parochiales judices referantur.“ Qui hi sint quaeris? Comes est parochialis seu ipse, seu vicarius et quatuor Judices Nobilium ex art. **1. 1291** exorti, quorum ut ante nullae, sic post conditas leges has plurimae hac exstant forma literae [1]). Hi per populum lecti, praesentibus aliis etiam viris discretis et honestis [2]), de

---

[1]) Vide literas Comitis Hontensis et Judicum quatuor Nobilium ejusdem Comitatus (VIII. 4. p. 368) et quas in Mantissa alias subjungam.

[2]) Quales in literis Detrici Curialis Comitis et quatuor Judicum Comitatus Poson. a. 1301 editis (VIII. 1. p. 83) recensentur. Ex quibus cognoscas: si causa inter Udvarnicos agebatur, horum quoque Seniores ad judicium adhibitos esse. Literas ante me habeo Magistri Beke Curialis Comitis et quatuor Judicum Nobilium de Uyvar a. 1313 conscriptas, quibus Comitem Matheum de Hongor Vice Judicem suum et Comitem Begy, unum ex quatuor Judicibus cum Vice Archidiacono ad exequendam de dote sententiam sedis sacrae exmittunt.

homicidiis, furtis et quae sunt hujus generis, non jam cognoscebant tantum, sed judicabant etiam. Quid? quod legem citatam paullo ante ad literam summentes, controversias quoque dirimebant, quarum causa ex primaevo instituto ad Curiam Regis in jus adeundum erat. Haec tamen auctoritatis illius usurpatio ne inveterasceret, mox provisum est.

§ 38.

deinde Carolus Robertus, legibus Decreto Andreae adnexis, percoluit uberius.

Quod ad leges decreto Andreae III. de a. 1298 post art. 44 solennem quippe Constitutionum ejus Conclusionem, de nobilibus duodecim in singulis Comitatibus per Regem, ad peragendam super quibusque factis violentis inquisitionem, ea ratione eligendis, ut horum numero quatuor etiam Judices Nobilium comprehendantur, dicendaque erga inquisitionem hanc per Judices regni Ordinarios sententia [1]; itemque causarum brevis [2] et longe litis [3]

[1] De his agit art. 45. 46. 47. In quibus, et quidem art. 47. Nobiles; art. 48. duodecim jurati Nobiles; art. 50. 67. Jurati vocantur. Hi cum Comite aut Vice Comite et 4. Judicibus Nobilium simul sumti sedem constituebant judiciariam, quae art. 48. isthic sedes Vice Comitis; art. 3. 1435 sedes Comitis parochialis; art. 22. 1447 § 2. demum Sedes Judiciaria dicitur.

[2] Ex art. 47. causae in facto potentiae et aliis art. 45. attactis, (omnes brevis litis sunt) reus bis debebat evocari, tertio termino condemnabatur.

[3] Ex art. 62. Quicumque aliquam possessionem vel portionem possessionariam ordine judiciario acquirere intendit; causam per ternos processus traducere debet. Atque hi nobis termini seu stadia causarum vocantur.

distinctione; modo sententias Judicum exequendi[4]); et birsagiorum taxarumque judiciariarum partitione[5]), in Diplomate Vladislai I. subnexas: vellem, ars notarialis Ludovico Rege conscripta, Nicolao Skerleczio († 1800) superstite, protracta in lucem fuisset. Ea enim una laboris, quem vir hic juris publici privatique et omnis antiquitatis hungaricae peritissimus, in eruendam legum harum aetatem, et constitutionem de modo executionis sententiarum elucubrandam attulit, jucundissima futura erat merces: videre in opere illo, tamquam speculo: non abs re se leges, hoc comprehensas additamento, Andreae III. auctori adscribere dubitasse[6]). Est namque hoc omne ex statutis „quae Carolus Rex, Praelatorum, Baronum[7]) salubri usus consilio, super facto executionis judiciorum seu birsagiorum et quaestionibus aliis condidit, conditaque singulis Comitatibus Hungariae transmisit" decerptum, quin Compilator libelli Vladislao I. pro confirmatione per Ordines regni oblati, hoc ipsum, uti debebat,

---

[4]) Ex art. 50. 51. 66. 68. Antiquata veteri executionis sententiarum judiciariarum norma, secundum quam bona in executionem sumta, si cognati non redemissent, in perpetuum amittebantur, pignus judiciale instituitur Verbőczii P. II. c. 56 descriptum. Ad cujusmodi constitutionem judicibus ordinariis invisam lege stabiliendam, tanta opus auctoritate fuit, quantam nedum Andreas, praesertim post a. 1298 mortemque Lodomerii Archiepiscopi Strigoniensis, sed ne Carolus quidem Robertus, nisi solio jam confirmato, habuit.

[5]) Art. 57 quem formula solemnis styli Curiae Ludovici I. p. 2 et 3 clarissime explicat.

[6]) Skerleczius primus fuerat, qui pro singulari acie judicii sui, ad illam, quae inter leges Andreae III. de a. 1298, constitutiones item his appensas est, disparitatem animum advertit Suplem. ad Vest. Comit. I. p. 138 seq. Est haec sane tanta, ut illae nullum fere, hae plenum auctoritatis regiae usum praeseferant.

[7]) Verba sunt auctoris opellae formulis Styli nunc citatis p. 2. 3. praefixae.

indicasset. Decretum itaque Andreae de a. 1298 in praesente forma, non Andreae solius, verum Andrea Carolinum est [8]. Sed ad Andream redeamus.

[8]) Vulgarem de Decreto hoc, in omni sui parte, Andreae III. adserendo opinionem verba haec „Praelatorum et Baronum salubri usus consilio“ et rursus „per Praelatos et Barones taliter est decretum“ evertunt penitus; verba enim haec propria planeque familiaria Caroli sunt, quibus is Comitia sua indicavit; Decretum vero hoc, qua parte Andreae est, a Praelatis et Incolis totius regni Hungariae, exclusis Baronibus, profectum Regis deinde et horum consensu coaluit. Quid multa? alter Decreti hujus articulus Nobiles, imo et populos horum a tributo immunes; alter Nobiles juxta antiquam consuetudinem lucro Camerae teneri declarat. Ille scilicet Andreae III. est; hunc a Carolo conditum fuisse, loco suo, demonstraturum me recipio.

§ 39.

Andreae in Civitates industriamque, omni ope, adjuvandam studium.

Civitates liberae, ex his Buda Rectorem, Consules et Juratos; Strigonium Judicem et Juratos; Posonium Judicem et Seniores ac majores cives hac aetate habuit, Andream expertae sunt rerum suarum studiosissimum. Quod cum et ex Bulla ejus aurea data Posoniensibus [1]), et Privilegio, quo Tordenses hospites donavit [2]), Literis denique plurimis ad coërcendam portitorum avaritiam vulgatis perspectissimum sit, in persequenda hac ejus laude pluribus alioquin praeclari nominis scriptoribus celebrata longior non ero. Hactenus ille se Majoribus parem; unum exstat eximiae suae in municipia haec voluntatis specimen, quo se etiam superiorem ostendit. Atque hujus gloria aequo jure ad Praelatos etiam et Nobiles

[1]) Transumta ex autographo exstat in Ofner Stadtrecht pag. 246 seq.

[2]) Cod. Diplom. VI. 1. p. 105.

pertinet. Horum enim tantum sufragiis, consensuque decerni hoc potuit, ut inter arbitros duos et triginta, quibus conciliandae inter Andream et Albertum Austrium pacis negotium mandatum est, et Budensis et Tyrnaviensis et quarumdam aliarum Judices, Civesque urbium numerarentur [3]). Quos ad Comitia quoque a. 1298 adfuisse qui existimant, non illis haec solum ratio suppetit, quod de exitu negotii per missos hos rursus ad Comitia referendum fuerat; sed habent aliud praeterea et in exordio, et conclusione Decreti horum, gravissimum sententiae suae momentum; quando ex illius § 3 et 6 leges, constitutionesque hic comprehensas non ad reparanda Eclesiarum tantum etNobilium, sed „aliorum etiam Regnicolarum" et rursus „Ordinum aliorum" jura directas; Conclusio (art. 44) has „a venerabilibus Patribus, et ab incolis totius regni Hungariae" profectas indicat. Jam illud apertum sane est: in Hungaria et propria gentis aequitate, et imitatione Angliae [4]), cujus institutis haec animum suum a longiore tempore plurimum attendebat, Civitates liberas pro integrante, ut dici amat, systematis politici parte, seu ut prisca loquendi formula utar, pro membris regni, jam aetate hac acceptas, nec, ut alibi passim, ad opem aerario inopi ferendam, Conventibus publicis adhibitas prius, sed mox in societatem juris eminentissimi, de pangenda pace, vocatas esse. At vero Carolus Robertus, cum nihil horum, quae Andreae III. auspiciis gesta et constituta sunt, probaret; tum vero in his ipsis nihil magis, quam generales Conventus hujusmodi reprobavit. Hoc itaque Rege jus Comitiorum Civitatum eflorescere non potuit.

---

[3]) Locum Horneckii (inter SS. Germ. Peczii P. III. c. 397 et seqq.) comprehensum Czechius in praeclarissimo suo apud Hormayr (Taschenbuch für die vaterländ. Geschichte ad a. 1831) de bello hoc Commentario dedit: Meister Gugel Wernherr (Verner) von Ofen; Rudolf von Tyrnau cet.

[4]) Hallam o. c. II. p. 281 et seqq.

Quid filius ejus Ludovicus? ad confirmandam hic pacti, de ineundo inter filiam suam Hedvigem et Wilhelmum Austrium matrimonio fidem, non Praelatos tantum, Barones, Nobilesque, sed capitales etiam urbes adhibuit. Quid Ordines regni? aequitatis Majorum memores sigillum regni, quod nefario perfidorum scelere detenta Maria Rege sculpi placuit, Sigillum Regnicolarum inscripserunt, ut hoc quoque argumento accedente clarissimum esset: non majori Sigismundi, quam populi universi voluntate Civitates, Rege hoc, possessionem juris Comitiorum adiisse. De qua suo loco plura.

§ 40.

De conditione Colonorum.

Id utinam vere ne scriberem, legem, qua colonis quibusque facultas tribuitur, se de possessione Domini sui, habita licentia, et justo ac consueto terragio persoluto, ad nobilem alium, vel quo placeat, cum omnibus rebus suis conferendi [1]) aetate Andreae III. anteriorem, huic peritia solum avitarum gentis liberalis consuetudinum [2]), non etiam usu praesenti fuisse cognitam. Potentia dissidiisque Oligarcharum eversa, jam aetate Ladislai IV., auctoritate Regia, uti hujus, sic Andreae tempora gravia colonis, ipsis adeo Nobilibus contumeliosissima erant; juribus horum vi obrutis, et tamquam in eo res esset, ut cum summa populi de republica remediisque injuriarum consiliandi libertate, maxima simul hujus existeret servi-

---

[1]) Decreto de a. 1298 art. 70 subnexam.

[2]) Ex his explicatur haec Privilegii ejus, urbi Posoniensi jam a. 1291 collati particula: „Item, si aliquis de quacunque villa in Civitatem Posoniensem, causa commorandi venire voluerit, dominus ipsius villae seu possessionis ipsum impedire non praesummat, sed cum omnibus bonis suis eundem libere abire permittat, justo tamen et consueto terragio domino terrae persoluto.“

tus, huc redactis, ut lege opus esset, qua statueretur: Nobiles cui velint servire posse; cogi eosdem ad vendenda potentioribus bona sua non posse[3]. Cui Regis optimi voluntati an per reliquum vitae ejus biennium satisfactum sit, in illa auctoritatis ad hanc exequendam inopia dubitare licet; conditioni quidem colonorum lege, quam attulimus, ad amussim priscae Majorum consuetudinis, scripta Carolus Rob. postliminio consuluit[4].

---

[3]) Art. 33. 1298 item statuimus, quod Nobiles servire valeant, quibuscunque voluerint sua spontanea voluntate et si qui potentum hujusmodi Nobiles ad sibi serviendum vi vel potentia arctaverint, excomunicationem incurrant ipso facto.

[4]) Art. 70. Decreti a. 1298, qua parte hoc ad Carolum Robertum spectare superius indicavimus.

§ 41.

Andreae III. in Breberios liberalitas.

Andreas III. ut animos horum a partibus Caroli **Rob.** averteret, **Banatum** maritimum, cui **Paulus** de Comitibus **Breberiis** circa annum **1293** praefuit, huic fatribusque ejus **Georgio** et **Mladino**, haeredibusque jure proprietatis, et perpetui dominii, ea adjecta conditione addixit, in quaque ut expeditione regali, seu adversum externos hanc hostes, seu familiares, quibus nulla, ait, pestis potest inveniri efficacior ad nocendum, duci inimicos oporteat, cum quingentis adsint militibus; **Matrem** suam **Ducem** **Slavoniae** et maritimarum partium **Principem** recognoscant solita strenarum et aliorum clenodiorum oblatione; denique, ad illam aut se vocati, comparare ipsi per se aut per filios vel fratres teneantur[1]. **Hi**, non modica deinceps

---

[1]) Cod. Dipl. VII. v. 4. p. 225.

erunt portio Historiae Hungariae, cujus ad utramque fortunam fides eorum non parum momenti adtulit.

[2]) Lucius de Comitibus Breberiensibus, ingratissimoque horum in Andr. III. animo apud Schwandtnerum T. III. p. 1. p. 285, 325. Plura de hoc Farlatus T. III. p. 296 dedit, cui, Gregorius de Breberio Lucii, Georgius vocatur rectius.

§ 42.

Regum hic erat stirpis virilis Arpadianae ultimus.

Atque haec de Regibus stirpis virilis Arpadianae, quorum numerum Andreas III. claudit. Hos, contra quam de Caesaribus primis accepimus, qui dum se Dominos ferrent maxime, hoc se nomine appellari maxime vetabant, Majores nostri Dominos, Dominos suos naturales dicere amabant; ipsi, cum a dominatu longe abessent, usui tamen tituli hujus non intercesserunt, ut quem perpetui instar moniti habebant, ne ex Regibus Domini existerent. Mores usque ab Arpado iidem fere singulis, ut horum praecipue sub exemplis videas, quam vere Cicero [1]), et cum eo Nieburius: non fastis lustricis magis, quam similitudine morum genera discerni. Bonitas et Justitia propriae animi eorum erant virtutes; ipsum adeo, quod in Andrea II. notatur, prodigalitatis vitium hinc profectum est, quod in naturali stirpis suae bono, munificentia, modum non tenuit. In hospites aequale omnibus studium [2]), ac nonnullis nimium poene, ad

[1]) „Cum sit hoc generi hominum prope natura datum, ut quae in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, cupidissime persequantur.“ Cic. pro C. Rab. I. 1.)

[2]) Verba recollige Stephani II. Bohaemis terram Obon, in qua fuerant hospitati, amplam sane, in ea, qua ipsi vellent, libertate possidendam conferentis in Lit. Belae IV. (IV. v. 1. p. 58) qui eos

quod temperandum lege opus esset. Laudis bellicae ardore Arpadum conditorem, ex posteris amplificatores finium plures; cunctos tam industrios Hungaria integritatis territorii sui Custodes habuit, nullum ut res ejus acceperint incommodum, quod indiligentiae horum magis, quam fortunae tribuendum esset, quae juri suo adversus fortissimos quosque insistit. Victoriis non Romanorum, non aliorum imperiosorum populorum, sed suo usi more sunt, ad laudatam omnium aetatum, gentiumque scriptoribus Scytharum Abiorum aequitatem composito, ad quam populus universus, postquam circumlato per Europam armorum terrore, cognatum se Hunnorum sanguinem probasset, Regum horum auspiciis reversus est. Itaque cum gentes aliae bella susciperent ad vectigalia meliora reddenda, aerarium pecunia referciendum, opesque et commoda sua victorum augenda populorum incommodis; Reges hi, gensque ipsa semper hoc spectabant unum, plurimos ut circumquaque amicos et ex hostibus armorum socios sibi compararent. Parum igitur est, quod nonnulli mirantur, Hungaros, intra brevem unius poene hominis aetatem ad parem cum parte Europae cultiori, civilis proëdriae gradum pervenisse; nisi simul adjiciant, huic ea humanitatis laude etiam praecelluisse, ut populis vicinis pugna cum iis adverso Marte pugnata melioris esset conditionis civilis initium. Facta enim his avito more, institutisque suis, aut, si mallent, hungaricis vivendi facultate omne beatissimae, quae inter hos Hungarosque esset, necessitudinis officium in hoc situm erat, ut familiari Majoribus nostris formula „totius regni Hungariae" [3]) comprehensi Prae-

---

libertatem Jobbagionum Udvarnokorum expetiisse testatur. Privilegium item Belae hujus Zagrabiensibus, quas ipsi optassent, libertates largientis. Haec Reges natura sua parsimoniae studiosiores: quid alii praestiterint, a liberalitate qui laudantur, ut ego non dicam, pro se quisque facile assequitur.

[3]) De hac superius dictum. Verba edicti Sigismundi Regis de a. 1404 in Vest. Com. p. 200 „Omnium Praelatorum, Baronum,

fectis: Vajvodis, Banis, Despotis subessent gentis potissimum suae; hi in numero Baronum censerentur regni Hungariae, comitatique per meliores provinciae aut nuncios et Oratores per hanc delectos cum ad alia, tum praesertim universalia Comitia adirent. Ex quibus deinde non imperata sibi, sed per se etiam consensa ad suos referrent, hisque in eandem sententiam opportuna decernendi, auctores essent; fines tuerentur; descriptumque pacto, aut lege militis numerum ad bella, quae per Reges susciperentur, statuerent. Ipsi vicissim populique, quibus praeessent, Reges illos salutis suae custodes, vindicesque haberent perpetuos. Nemo igitur in his Atilium [4]) nemo alterum illum Romae veteris Imperatorem quaerat, cujus unius praeda finem ibi attulit tributorum [5]). Aliam Principes hi consectabantur magnitudinis animi gloriam nativam illam et testimonio Thucididis nunquam non consentientem, de qua bene Cicero apud Nonium „Scythis antiqnorem, laetitiam esse, quam lucrum.“ Cui generis sui laudi insistentes, hoc apud aequos rerum arbitros assecuti sunt, nemo ut horum ambigat: eam, quam Montesquius in Atila miratur, erga victos aequitatem, non de hoc magis, quam Regibus Hungariae, virili Arpadi stirpe editis praedicari posse.

Procerum, Militum, Nobilium et Universitatum ditionis Sacrae Coronae regni Hungariae“ ejusdem vim sententiamque formulae continent.

[4]) Superbum hujus ad Carthaginenses responsum Polyb. I. 1. adnotavit.

[5]) Cic. de Off. II. 22. Velleius Paterc. I. 9.

MANTISSA.

MANTISSA.

I.

Literae Belae IV. antiquis et veris Jobbagionibus sancti Regis de genere Ethuruh et Mogor a. 1254 impertitae.

(Ex autographo.)

BELA Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae Cumaniaeque Rex omnibus Christi fidelibus praesentem paginam inspecturis salutem et omne bonum. Ad notitiam universarum harum tenore volumus pervenire, quod cum post adeptum Domino propitio regni sceptrum statum et jura castrorum nostrorum, quae non solum confusa et inordinata quorumdam antecessorum nostrorum temporibus diminutionem receperant, sed in praejudicium Coronae Regiae pene penitus fuerant annullata, studio reformaremus diligenti, volentes omnimodam removere confusionem sicut eos, qui postpositis pro sua voluntate servitiis debitis, libertatis sibi titulum usurpant, sic eorum numerum et nomina, qui antiqui et veri Jobbagiones Sancti Regis inventi fuerant, ne ipsorum libertati posset in aliquo derogari [1]) generationes placuit designare. In Comitatu itaque Posoniensi de generatione Ethuruh sunt decem mansiones, quarum nomina Sebéé, Othus, Mortunus, Jacobus, Elias, Orsag, Othmar, Ethuruh, Clemens et Texe. Item de generatione Mogor [2]) sunt duodecim mansiones, quorum nomina Andreas. Endres. Bank. Batha. Chuth. Uros. Saul.

---

[1]) Juxta aut secundum loco hoc pertrito fuerit.

[2]) Ex his intelligas Jobbagionibus quoque Sancti Regis et genus suum, et generationes fuisse; uti supra l. II. § 5.

Balalch. Dyonisius. Symoun. Karachun. Chekenel. Ut igitur omnis scrupulus de ipsorum statu et libertate obtenta ab antiquo [3]) removeatur in posterum, nec possit successu temporum ab aliquo retractari in firmiorem rei memoriam praesentes eisdem literas nostras concessimus duplicis sigilli nostri munimine perempniter roboratas. Datum in castro Suprun per manus Magistri Benedicti Praepositi Budensis aulae nostrae Subcancellarii anno gratiae M. CC. XL. XIIII. Kal. Junii regno autem nostri anno quinto [4]).

---

[3]) Attendi ad verba haec velim: agi nimirum hic de libertate hominum de genere Ethuruh et Mogor, qua Jobbagionum s. Regis; dabo enim mox literas, ex quibus inclarescet ramum generi Ethuruh cognominem praeter terram, ad quam Diploma praesens refertur, quaeve in literis mox producendis expresse: propria, et haereditaria dicitur, jam anno 1253 eodem ab Rege,,quia ad serviendum castro utilis esse considerabatur" conditione hac accepisse. Commemorabiles literae hae sunt etiam a voce Mogor, quae totidem literis, et hic et in Diplomate Andr. II. C. D. III. 2. p. 65 scripta est. Vide sis l. I. § 1.

[4]) In inferiori diplomatis margine traductae Zonae rubrae laciniae visuntur; Sigillum deest.

II.

Literae Belae IV. veris filiis Jobbagionum S. Regis de Guta Karcha per Jobbagiones castri Posoniensis (Magistratum intellige) impetitis, causa cognita, super hoc libertatis eorum statu datae a. 1255.

(Ex autographo.)

BELA Dei gratia Hungariae Dalmatiae Croatiae Ramae Serviae Galliciae Lodomeriae Cumaniaeque Rex omnibus quibus praesentes ostendentur tam praesentibus, quam futuris salutem in omnium salvatore. Solet Excellentia Regia statum sibi fideliter famulantium roborare, ne processu tem-

porum indebite per quempiam perturbetur, proinde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod Thomas filius Ombud, Gutha heyder, Condja, Demen, Zoyzlou et Thomas filius Milvan de villa Karcha ad nostram accedendo praesentiam obtulerunt nobis literas fidelium nostrorum venerabilis Patris Vincentii Episcopi Nitriensis et Rolandi Palatini Comitis Posoniensis sub pendenti sigillo hunc tenorem continentes. Rolandus Palatinus et Comes Posoniensis. Vincentius Dei gratia Episcopus Nitriensis omnibus praesentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod cum ex speciali Mandato Domini Belae illustris Regis Hungariae super judicandis terris castri Posoniensis et revocandis castrensibus ab eodem castro dispersis Judices constituti fuissemus inter cetera Nicolaus filius Opuz Bolch filius Mathiae, Andreas filius Farcasii ac alii Jobagiones castri Posoniensis [1]) Thomam filium Ombud, Guthan, Condram, Demen, Zoyzlaum et Thomam filium Milvan ac Heydur filios Jobagionum Sancti Regis de villa Karcha in nostra convenerunt praesentia et proponebant, quod cum Dominus Rex tempore revocationis perpetuitatum omnia jura et statum castri Posoniensis ordinasset, personaliter et renovasset, nomina omnium Jobagionum [2]) ac aliorum cujuscunque conditionis hominum ad id castrum pertinentium in tenorem regestri regalis [3]) concludendo iidem homines de Karcha remansissent exclusi a regestro. Ad haec nominati homines respondebant, quod licet nomina ipsorum regestrum regale non contineret, tamen a prima origine ipsorum semper fuissent, et essent veri filii Jobagionum Sancti Regis [4]). Ad hoc et quod sine strepitu judicii libertas ipsorum non gravetur in aliquo, literas Domini Regis patentes nobis exhibuerunt sub hac forma. Nos

---

[1]) Jobbagiones isthic pro Magistratu accipiuntur Comitatus, ut supra l. III. § 35.

[2]) Meliorum, Meliorum terrae l. III. § 28.

[3]) Lib. IX. § 10.

[4]) Lib. III. § 29.

B. Dei gratia rex Hungariae significamus universis praesens scriptum inspecturis, quod accedentes ad praesentiam nostram Thomas et Deman filii Ombud, Gutha filius Andreae Zoyzlo. Filius Vega et Thomas filius Milvan de villa Karcha qui se filios Jobagionum Sancti Regis asserebant, sua nobis insinuatione demonstrarunt, ut cum quidam iniuria ipsorum de Posoniensi Comitatu super statu libertatis ipsorum eos velint impetere agravantes, eosdem juris ordine non servato libertatem ipsorum sine judicii strepitu non permitteremus in aliquo vacillare [5]), et quia eorundem petitio justa fuerat, et honesta utpote conveniens aequitati de benignitate admisimus consveta. praecipientes omnibus Judicibus firmiter et districte, ut nullus ipsos super statu libertate ipsorum praesummat agravare, nisi prout exigit ordo Juris. Datum Posonii in Oct. Apost. Petri et Pauli (a) — Nos igitur diligentem facientes inquisitionem oculte et manifeste super libertate ipsorum per omnes Jobagiones ejusdem Castri, Castrenses, et Nobiles ejusdem provinciae constitit nobis eos fuisse, et esse veros filios Jobagionum Sancti Regis, et in eadem libertate, qua gaudebant, eosdem stare, permisimus in perpetuum pacifice et quiete. Et ad ejusdem rei memoriam literas praesentes sigillorum nostrorum patrocinio communitas duximus concedendas. Datum Posonii in Oct. Sancti Nicolai anno Domini millesimo ducentesimo L. quinto [6]). —

---

[5]) Lib. III. § 139.

[6]) Vidi et ipsum autographum Literarum; quae hic exscriptae sunt, exemplum bina etiamnum sigilla, et illud quidem Palatini a dextro, Episcopi a sinistro latere ex filis sericeis, quorum tamen color discerni jam nequit, dependentia exhibens. Neque nulla inter illud, copiamque hanc differentia est. Post „ad universorum notitiam", ibi est „harum serie." Post Gutham „Heydur" intersertum et reliqua ita sequuntur, „Condram, Demen, Zoyzlaum, Thomam filium Milvan filios Jobagionum Sancti Regis." Inferius „ad hoc et quod sine strepitu judicii" ibi ita exprimitur „ad hoc etiam, quod sine strepitu judicali libertas ipsorum non gravaretur." Post haec verba: „ut cum quidam injuria ipsorum" rectius ibi „ut cum quidam inimici ipsorum". Et demum loco „super statu libertate" „super statu libertatis ipsorum," commode leguntur.

Unde iidem Thomas Guthe Heyder, Condra, Deman, Zoyzlou et Thomas filius Milvan suplicarunt nobis, ut secundum continentiam literarum Episcopi, et Palatini praedictorum statum eorundem nostro dignaremur privilegio confirmare. Nos igitur illud praecipue attendentes, quod custodia turrium Castri Posoniensis, ad quarum conservationem, ipsi sicut et alii filii Jobagionum Sancti Regis de Comitatu Posoniensi sunt deputati, toti regno nostro sit utile ac necessarium in praesenti et in posterum profuturum [7]). Id, quod per dictos Fideles nostros juste et legitime est ordinatum praesentibus confirmamus. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes literas dedimus duplicis nostri sigilli munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri Magistri Smaragdi Albensis Praepositi Aulae nostrae Vicecancellarii Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Secundo Id. Decembr. regni autem nostri anno vicesimo secundo [8]).

---

[7]) Praeclaram hoc Belae IV. voluntatem testatur, quod conservationem turrium castri Posoniensis ,, toti regno suo utilem et necessariam " ratus, obligationem militandi, quae uti alios, sic quam maxime hos filios Jobbagionum s. Regis ab ultima instituti hujus origine manebat, cum hoc commutare officio constituerit l. IX. § 16. Sed ab hoc ejus instituto, velut quod facile pro conditionaria accipi servitute posset, non multo post discessum; semperque posteri Jobbagionum s. Regis partem praecipuam exercituantium Nobilium provinciae Posoniensis constituebant. Ex filiis his Jobbagionum s. Regis de Guta Karcsa industriae laude Szanicz (Zoytlou?) eminuisse, et uti Ethuruh anno 1253 a Bela IV. vicinam haeredio suo terram castri Posoniensis cum conditione adnexa obtinuisse videtur, videtur inquam; nec enim, nisi quae certa sunt, affirmare consilium est.

[8]) Adnexum literis his sigillum duplex ex zona rubra et viridi pendens ex parte una Regem in solio sedentem, altera crucem duplicatam exhibet.

III.

Literae Belae IV. autographae de a. 1243, quae ortum villae Damazér, seu Kis Királyfia Karcha exhibent.

BELA, dei gracia Hungar — — D — — acie Crouacie Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Solet a principe confirmari, quod juste dignoscitur esse factum, ne id quod ordinatum fuerat, processu temporum inirritum reuocetur. Ad uniuersorum igitur noticiam tenore presencium uolumus pervenire. quod cum Juan filius Atanas, Heym filius Bodun, et Bartholomeus filius Remigy, a Damasa filio Zolougoz quandam partem terrae Karcha que Mortunus filij Johannis fuerat[1]), repeteret iudicio coram nobis, utpote indebite occupatam, idem Damasa respondit ex aduerso. quod illam terram socrus sua relicta uidelicet dicti Mortunus pro dote sua, et coniunx sua filia eiusdem Mortunus pro quarta sua fuissent iuris ordine consecute. et super assercione sua, litteras Posoniensis Capituli nobis exhibuit sub hac forma. Uniuersum Capitulum Posoniensis ecclesie, ad quos presentes littere peruenerint, oraciones in domino. vniuersitati uestre notum facimus, quod accedens ad nostram presenciam Barnabas de uilla Karasha dixit. quod relicta Mortunus de eadem uilla Karasha citasset eum pro dote sua ad presenciam Strigoniensis Archiepiscopi domini Stephani. tandem dominus Archiepiscopus commisisset causam comiti Tyburcio determinandam. qui adiudicasset predicte mulieri satisfieri, tandem coram nobis dedit predictus Barnabas prenotate domine pro dote sua hoc est pro quinquaginta marcis[2]) et pro

---

[1]) Terra, de qua isthic agitur, vicus Királyfia Karcha est; itidem ad Jobbagiones s. Regis spectans.

[2]) Recollige, quae lib. V. § 17. tradidimus.

quarta parte filie eiusdem domine de terra predicti Mortunus quatuordecim iugera que arari possunt. Item dedit de silua quod continet duo iugera. Item dedit octo iugera de feneto et de pascuis boum. Item dedit de arundineto, et de paludibus que sunt infra predictam terram. Item dedit unum seruum nomine Holmey. Conterminalium vero predicte terre in quorum presencia hec solucio facta est hec sunt nomina. Remig, Mortunus, Paul, Degu, Basilleus filius Buzad, qui dicitur fuisse pristaldus et comes latus. Item statuerunt sub pena decem marcarum, quod nullus eorum esset ausus infringere predictam composicionem. dicta uero domina predictam terram cum suis pertinencijs et prenominatum seruum dedit coram nobis et coram prenominatis uiris filie sue et genero suo nomine Damasa [3]) inperpetuum possidendum. Ista solucio et donacio facta est tempore regis Bele. Nos uero ad instantiam utriusque partis dedimus litteras nostras ad recordacionem huius facti sigillo nostro roboratas. Anno domini Mmo. CCmo. XLmo. tercio. Perlectis igitur illis litteris constitit nobis, quod dictus Damasius ipsam terram in pace ab annis duodecim tenuisset. Quas cum ydem Juan, Heym et Bartholomeus dixissent nullatenus esse falsas, quia a tanto temporis spacio, licet ydem presentes f . . . . . . factum dicte terre sub silencio transierunt, nominatum Damasium ab impeticione ipsorum sentencialiter duximus absoluendum [4]) in perpetuam firmitatem litteras Capituli predictas, presentibus confirmantes, et sigilli nostri duplicis munimine roborantes. Datum per manus magistri Smaragdi Albensis ecclesie electi Aule nostre vicecancellarij dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo. Ducentesimo. Quinquagesimo quinto. Sexto nonas Octobris. Regni autem nostri Anno vicesimo.

---

[3]) Atque a Damasa hoc terris nunc enumeratis nomen Damazér Karcha et Kis Királyfia Karcha adhaesit.

[4]) Agi itaque ad invalidandam, ut nos loquimur, fassionem perennalem intra annos solum duodecim ab ea celebrata potuit aetate Belae IV.

IV.

Literae Belae IV. de a. 1253, confirmatae deinde per Ladisl. IV. et Ludov. I., quae Ethuruh cum filiis suis, praeter propriam, quam habebat, haereditatem, castri quoque terram, jure filiorum Jobbagionum castri ab eo accepisse perhibent [1]).

LUDOVICUS Dei gratia Hungariae Dalmatiae Croatiae Ramae Serviae Galliciae Lodomeriae Comaniae Bulgariaeque Rex Princeps Salernitanus et honoris montis Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Sicut ad Regiam pertinet Excellentiam unicuique promeritis condigna dare beneficia meritorum, sic a suis praedecessoribus rite praestita et donata muniminis beneficio renovando debet confirmare ut ea per renovationis titulum obtineat futuris in temporibus imobile perseverantiae firmamentum. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Stephanus filius Salomonis, filii Petri, filii Ethuruh Jobagio castri nostri Posoniensis ad nostram accedens praesentiam exhibuit nobis Privilegium quondam Domini Ladislai Regis Literas privilegiales quondam Domini Belae Regis Hungariae Praedecessoris nostri super collatione cujusdam terrae Castri Karchan vocitate facta confectas in se continentes et confirmatorias tenoris infrascripti suplicans Nostrae Maiestati humiliter et devote, ut dictum Privilegium praedicti Domini Ladislai Regis acceptare, ratificare, et pro eodem suisque haeredibus nostro dignaremur

---

[1]) Harum literarum geminissimae sunt, quas Stanicz de Guta Karcsa, ut superius ad II. 2 notavimus a Regibus iisdem super eadem terra castri bifariam deinde divisa impetrasse fertur. Harum tamen simplicem ego copiam tantum, antiquam hanc quidem, sed solemnitate destitutam omni videram; ex qua nihilominus lacunae sequentium authenticarum generationis Ethuruh literarum commode expleri possunt.

privilegio confirmare. Cujus tenor talis est. Ladislaus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae Bulgariaeque Rex. Omnibus Xti fidelibus tam praesentibus, quam futuris praesens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Petrus filius Ethuruh de Jobagionibus Castri Posoniensis ducens originem ad nostram accedens praesentiam exhibuit nobis privilegium Serenissimi Principis Domini Belae felicis recordationis Regis avi Nostri charissimi supercollatione cujusdam terrae castri Karchan vocatae per eundem Dominum Regem sibi et suis fratribus facta confectas petens cum instantia ut idem ratificare et nostro dignaremur privilegio confirmare. cujus quidem tenor talis est. Bela Dei gratia Hungariae Dalmatiae Croatiae Ramae Serviae Galliciae Lodomeriae Comaniaeque Rex universis praesentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. Justis petentium desideriis Principis animum inclinari et ordo Juris et vigor exigit rationis dummodo, quod petitur justitiae non obviet nec juri praejudicet alieno. Hinc est, quod Ethuruh Jobagio Castri Posoniensis de Karchan, una cum filiis suis Simone, Seraphino, Petro a nobis postulavit instanter, ut assignationem cujusdam terrae suae nomine Karchan per Dyonisium quondam Palatinum Comitem Posoniensem [2]) ex nostro Mandato factam vacuae omnino secundum tenorem literarum patentium ipsius Dionisii Comitis nostro dignaremur privilegio confirmare. Quarum siquidem literarum Dionisii Comitis tenor talis est. Dionisius Palatinus et Comes Posoniensis. Omnibus praesentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cum Ethuruh Jobagio Castri Posoniensis una cum filiis suis nobis saepius fuisset conquestus, quod terra ejus per inundationem aquarum fuisset ocu-

[2]) Particulam quondam ad a. 1248 referi mox patebit. Est itaque seriei Palatinorum per Prayum adornatae, editaeque nuper Dyonisius ad a. 1248 inserendus.

pata, nec utiliter posset castro deservire, sicut deberet, Nos de [3]) — — quamdam terram castri Karchan — [4]) vocitatam — — — — — — — [5]) per eundem Ivancam Curialem Comitem nostrum percepimus — — — [6]) Prima meta incipit juxta stagnum, quod Zarazfuen dicitur — — — — — — — — — — — — — [7]) hinc eundo ad quatuor — — [8]) hinc vadit juxta terram — [9]) quam pertransiens vadit ad quatuor metas — — hinc vadit iterum ad sex metas et separatur et vadit — — — — [10]) hinc vadit ad magnum viam, quae ducit ad Eclesiam Bartholomaei Apostoli [11]) ad quatuor metas, quas pertransiens vadit juxta quamdam viam ad quatuor metas, hinc autem vadit ad aliam — [12]) viam, quam pertransiens tendit ad quatuor metas, hinc progreditur ad quoddam stagnum, quod Agtou dicitur adquatuor metas, quod pertransiens vadit ad tres metas juxta illud idem stagnum, hinc vadit ad quoddam pratum quod Kech dicitur ad tres metas, quod pertransiens vadit ad tria loca, ubi sunt sex metae juxta illud

---

[3]) mandato Domini nostri Belae Regis Hungariae illustris

[4]) vocabulo

[5]) juxta ejusdem terram haereditariam sibi et filius sui Simoni, Seraphino et Petro contulimus, et eandem terram per Ivancam Curialem Comitem nostrum Posoniensem et Jobbagiones ejusdem castri eisdem fecimus assignari ad duo aratra sufficientem. Cujus terrae metae sicut

[6]) sic vadunt.

[7]) quod pertransiens ad sex metas, juxta terram servientium Domini Regis de Karcha

[8]) metas separatur a terra dictorum servientium

[9]) Pouse

[10]) in duobus locis, hinc vadit ad sex metas et separatur, et vadit ad terram Kerecz et Voge, quae Karcza dicitur

[11]) Bartholomaeus veteribus in vernaculo Bartal; terrae igitur Eclesiae adjacentes Bartal Karcsa dictae sunt. Hinc Pucha Bartal antiquum pro Bartholomaeo Pucha; Bartali vásár, Bartalos cet. Haec ad supplenda Lexica nostra.

[12]) magnam

idem pratum Kech, hinc vadit ad quandam terram, quae Borsousag dicitur, quam pertransiens progreditur ad tres metas et separatur a terra dictorum hominum Vogya et Kencz, hinc vadit juxta stagnum Bousousag juxta terram Thomae et Guthae ad duas metas et progreditur usque ad quoddam stagnum, quod Kerehtou dicitur iterum ad duas metas et vadit ad fontem Vich quem pertransiens vadit ad tres metas terae eorundem haereditariae [13]), hinc progreditur et vadit ad tres metas usque ad stagnum Barch ad Uchtus [14]) et inde inter Udvornicorum Luche et terram Guthae et Thomae nomine Corcha vadit ad stagnum Barch ad meridionalem partem usque stagnum Zelestou, ubi sunt duae metae et hinc progreditur ad fontem Vich supradictum et haereditarium eorum et inde per tres metas transeundo in tribus locis revertitur ad Zarazfuven, unde prima meta fuerat progressa et sic metae ipsius terrae terminantur. Et ut ipsius rei series robur firmitatis obtinere valeat usque ad praesentiam posterorum literas nostras eisdem contulimus duplicis sigilli nostri patrocinio roboratas. Datum anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadrag. octavo. In super ad majorem nostrae collationis evidentiam literas Rolandi Palatini et Comitis Posoniensis dilecti et fidelis nostri postremo obtentas idem Ethuruh exhibuit, hanc seriem continentes: Nos Rolandus Palatinus et Comes Posoniensis omnibus duximus significandum, quod Ethuruh Jobagio Castri Posoniensis ad nos accedens literas Dionisii Palatini Praedecessoris nobis praesentavit sub hac forma, quod cum terra sua propria [15]) per aquae inundationem fuisset ocupata et annullata, per mandatum Domini Regis et respectu necessitatis suae quamdam terram Castri Corchan nomine vocatam sibi et suis filiis Dominico (?) Seraphino et Petro contulisset, et eandem terram per Ivancam Curialem

---

[13]) quam ut sub l. qua Jobbagiones s. Regis habebant, l. III. § 88 b).
[14]) Barcs et Pechne.
[15]) propria et ut paullo antedictum, haereditaria.

Comitem suum Posoniensem et Jobagiones ejusdem Castri fecisset assignari ad duo aratra sufficientem, cujus terrae metae in literis ejusdem Dionisii Comitis expressae continentur. Nos igitur praedictum — — ad serviendum castro utiles esse considerantes et ipsam Donationem fuisse competentem, terram superius notatam eidem Ethuruh et suis filiis jure perpetuo reliquimus possidendam. Et ne ipse Ethuruh et filii seu eorum posteri super facto terrae illius possint molestari aut inquietari praesentes literas sigillo nostro munitas in memoriam — Datum Posonii in Octavis Purificationis gloriosae virginis anno gratiae M. CC. xlmo nono. Nos igitur justis ipsorum precibus inclinati quia negari non — [16]) licite — — — [17]) collationem — [18]) Regio Mandato factam secundum continentiam literarum dilectorum et fidelium nostrorum superius expressorum, ad perpetuam rei stabilitatem eisdem et per ipsos suis haeredibus haeredumque successoribus duximus nostro privilegio confirmandam. ut igitur praesens confirmatio robur obtineat perpetuae firmitatis — literas praesentes in testimonium duplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno Dominicae incarnationis M. CC. lmo ttio. decimo octavo Kalendas May regni autem nostri anno decimo octavo. Nos igitur justis petitionibus dicti Petri in hac parte indinati praedictum privilegium ipsius Domini Belae non rasum, non mutilatum, non cancellatum non in aliqua sui parte vitiatum ratum habentes et acceptum et de verbo ad verbum insertum praesentibus confirmamus duplicis sigilli nostri munimine roborando volentes ut ipsam terram Karchan tam idem Petrus et sui haeredes, quam filii Fratrum ipsius absque inquietatione cujuslibet perpetuo possidere valeant et tenere. Datum per manus Venerabilis viri Magistri Nicolai aulae nostrae Vice Cancellarii dilecti et fidelis nostri Anno Domini M. CC. LXX. nono regni autem nostri anno septimo. Nos itaque

---

[16]) poterant, quae

[17]) postulantur,

[18]) et assignationem terrae praedictae ex nostro

humillimis suplicationibus praedicti Stephani Nostrae Maiestati porrectis favorabili pietate exauditis praedictum privilegium ipsius Dni. Ladislai Regis videntes ipsum non abrasum non cancellatum nec in aliqua sui parte vitiatum de verbo ad verbum praesentibus insertum quoad omnes sui continentias acceptamus, ratificamus, et probamus ipsumque pro eodem Petro et suis haeredibus Regia auctoritate perpetuo confirmamus. Sine praejudicio juris alieni. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales duplicis et autentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Venerab. in Christo Patris Dni. Nicol. Episc. Eclae. Zagrab. Aulae nostrae Vice Cancellarii dilecti et fidelis nostri Ao. Dni. M. CCCLVI. quinto Kal. Februarii regni autem nostri ano quinto decimo. Venerbus in Xto. Patribus et Dominis Nicolao Strigoniensi, Colocensi Sede vacante et Dominico Spalatensi Archiepiscopis, Nicolao Agriensi Andrea Transylvano. Demetrio Varadiensi Thoma Chanadien. Nicolao Quinqueeclesi. Johane Vespmse. Coloma. Jaurinensi. Mich. Vaciensi. Fratribus Stepha. Nitriensi. Thoma Syrmien. Bosnensi Sede vacante et Blasio Tininiensi Eppis Eclas Dei feliciter gubtibus. Magnificis viris Nic. Palno [19]) et Jud. Cuman. Nicolao Konth Vajvoda Trslno et Com. de Zounok. Cykon Magro Tavern. nostror. C. Nic. de Zeech Jud. Curiae nostrae. Nic. de Machou et Nicolao totius Slavoae et Cro. Banis. Leukus Dapif. et Pinceharnar. Dion. Agazon. et Thoma Jan. noorum Mgris ac Simone filio Mauritii Comite Poson. aliisque quam pluribus regni nostri Cottus tenentibus et honores.

---

[19]) Palatino.

V.

Lis inter Ethuruh et populos castrenses de Karcsa super finibus enata coram Rolando Palatino ac Comite Posoniensi a. 1253 duello definitur.

Nos Rolandus Palatinus, et Comes Posoniensis, omnibus praesentes Litteras inspecturis duximus significandum, quod cum Ethuruh, et Seraphin filius eiusdem, Arazag filius Sylvestri, Ebed filius eiusdem Arazag, Joachimus, et Joannes filii Othmari, Jurk filius Zolunta, Dobech et Otk filii Clementis, Cheka filius Chobye, Moramus filius Mamley, una cum filio suo Joanne, ac Bodo filius Jacobi de Villa Karcsa, Jobagiones Castri Posoniensis [1]) convenissent coram nobis Wogyam filium Syda. Quencer Clericum, Kemam filium Kenes, Jacobum filium Machow, Joancam filium Elyae, Mauritium filium Michaelis, et suos Cognatos de Villa Karcsa, et de alia Villa Karcsa Fyntur Fenies, Tukam, Mezam, Chiper Joculatorem et Cognatos eorumdem, Populos videlicet Castri Posoniensis, proponebant taliter contra ipsos. Quod terram eorum Jure haereditario possessam, metis antiquis undique distinctam, ad unum aratrum sufficientem in terra arabili cum prato, et foeneto eandem terram respicientibus videlicet occupando detinerent. Proponebant etiam, quod in alio loco, in pratis, et aquis ad ipsos Castrenses pertinentibus tertia pars deberet esse de Jure haereditario eorundem, quam partem postidere non possent, ipsis Castrensibus eorum jure ipsorum uti non permittentibus. Contra quos iidem Castrenses resistebant dicentes: quod haec omnia semper fuissent, et esse debeant ex jure ipsorum et a temporibus antiquis pacifice possedissent, nec aliquid communitatis cum ipsis haberent. Nos igitur propositionibus Partium auditis, sicut ordo postulabat

---

[1]) Meliores provinciae significant.

Judiciarius, Partibus productionem Testium indiximus, ut more Testium idoneorum, veritate rei comperta totius Litis falsitatem potuissemus exstirpare. Postmodum cum in Termino per nos assignato. Testes a Partibus satis idonei fuissent producti, neutra Pars ipsam Causam in specie sacramenti voluit decidi, et terminari. Unde opportuit nos judicare taliter, ut ambae Partes Pugiles inexaminatos debeant producere in nostra praesentia. Et cum in die Duelli Partibus assignato, Pugiles ab utraque Parte positi fuissent in Area Certaminis, nec probis vivis mediantibus pax aliquo modo inter Partes reformari potuisset. Pugiles ad invicem se opposuerunt, Judicio summi Judicis se committentes. Quibus utrinque decertantibus, Pugil Ethuruh et suorum Cognatorum Jobagionum Castri in ipsa area pugnando praevaluit. Pugile Populorum Castri supradictorum penitus deficiente, et sucumbente. Nos igitur sicut decebat Judicem mittendo Praestaldum nostrum Babul de villa Bechul una cum homine Capituli Posoniensis Crachyno sacerdote sancti Petri de Galla [2]), et duobus Jobagionibus Castri [3]) Bereyno majore Praeconum, et Bolch filio Matthiae de Sur, praecepimus ut terra superius expressa, et tertia pars pratorum, et aquarum similiter quibus actio vertebatur est certis metis in Jus Eturuh, et suorum Cognatorum statuantur perpetuum. Qui ad nos redeuntes retulerunt in praesentia omnium Jobagionum Castri, ac aliorum [4]), ut omnia Prata illa, et aquas cum funiculis mensurando juridicis, in tres partes divisissent, quarum duas dixerunt reliquisse Castrensibus saepedictis, libera et voluntaria eorum Castrensium electione, Tertiam vero partem pariter cum Terra unius aratri, sicut superius expressum est, assignaverunt in perpetuum Eturuh et suorum Cognatorum istis metis distinguendo. Quarum prima incipit a duabus metis antiquis iuxta viam, quae ducit ad villam Karcha

---

[2]) Gelle hodie vocatur.

[3]) Officialibus castri.

[4]) Coram Congregatione provinciae.

Abrahae filii Delus Comitis terrae Sauli contiguatam, a parte aquilonis, a parte vero meridionis vicina est terrae Castrensium de Karcha. Inde tendit versus orientem, et ibi sunt duae metae terreae. Inde tendit versus orientem ad quatuor metas terreas, quae sunt iuxta terram Sauli, hinc ascendit ad quemdam rivulum, qui est in terra Sauli, ubi sunt quatuor metae terreae; iuxta eundem rivulum vadit ad finem eiusdem rivuli, ubi conterminatur aquae Lapos Er dictae, et ibi sunt quatuor metae. Hinc tendit iuxta eandem aquam versus orientem, ubi sunt quinque metae. Inde iuxta eandem aquam itur versus orientem ad pontem — — Inde versus villam Karcha Abrahae filii Sebus et ibi exit de villa, ubi sunt tres metae. Et iuxta dictam villam Abrahae tendit versus occidentem iuxta quoddam fossatum, ubi sunt duae metae, inde ascendit ad stagnum, quod dicitur Agto — — — et per idem stagnum iuxta dictas metas transit versus Septemtrionem, ubi sunt duae metae. Inde tendit ad duas metas terreas. Hinc ascendit parum versus Septemtrionem iuxta magnam viam, ubi sunt duae metae. Hinc — flectitur versus Septemtrionem, ubi sunt duae metae, hinc venitur ad metas priores, de quibus incipit. Item Prata, et aquae his ordinibus inchoantur, prima meta incipit iuxta terram, quam Dominus Rex eidem Eturuh contulit [5]), ubi in Prato est una meta. Hinc autem itur per Paludem Kech ad duas metas, quae sunt sub Domo Kencsir [6]). Inde vadit versus meridiem ad finem cuiusdam Stagni Agto vocati, et ibi exit de aqua Kech ubi sunt duae metae. Inde tendit ubi in flexione eiusdem Kech sunt duae metae. Inde vadit iuxta Kech ad duas metas. Hinc de Kech flectitur versus meridiem per quoddam foenetum, et ibi sunt duae metae. Hinc venit ad Stagnum Barcs, cuius aquae puritas quae Gyolcs dicitur [7]) in vulgari respicit Eturuh et suos

---

[5]) Ut literae praecedentes testantur.

[6]) Gönczöl Karcsa hodie.

[7]) Aquae jam nullae; sed Diverticulum agrorum hoc, etiamnum Sötét Gyolcs vocatur.

Cognatos. Hinc itur versus meridiem, ubi iuxta magnam viam sunt duae metae, et transeundo ipsam viam venitur ad duas metas. Hinc transeundo Stagnum vadit ad quandam Insulam ubi sunt duae metae. Hinc transeundo Stagnum vadit ad Nogto, ubi sunt duae metae. Hinc transit per Nogto, et tendit ad tres metas angulares, quae distinguunt inter terram Populorum, Gyurgsuka [8]) terram Castrensium de Karcha, et terram Ethuruh, ac suorum Cognatorum. Hinc transiens Nogto versus Septemtrionem, itur ad Stagnum Megeto ubi versus Gurgsuka sunt duae metae. Hinc versus Septemtrionem venitur ad quamdam Insulam, ubi sunt tres metae angulares, quae distinguut ipsam terram, a terra Buzad, et Populorum de Gurgsuka. Inde vadit ad Stagnum Barcs, quod respicit Buzad praedictum. Terra vero a parte inferiori eiusdem Stagni remanet de jure Ethuruh et suorum Cognatorum. Inde tendit ad unum angulum, et de angulo ad Stagnum Agto, ubi conterminatur Prato Ponse. Inde versus aquilonem ad Stagnum Aloan, et ibi sunt tres metae ubi conterminatur Gictae et Poule et aquam Kech, totaliter respicit Ethuruh et suos Cognatos. Hinc itur iuxta Kech ad Stagnum Curloustho, ubi sunt duae metae, et ibi separatur a Terra Gicte, et sic terminatur. Ut igitur Ethuruh, et sui Cognati per Castrenses saepius dictos de caetero non possint defraudari in Jure suo coram nobis legitime obtento, Litteras praesentes ad memoriam facti, sigillo nostro munitas duximus eis concedendas. Datum Posonii in Festo Beati Gregorii Papae, Anno Domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo Tertio.

---

[8]) Dercsika hodie.

VI.

Exemplum literarum Judiciariarum Dominici Curialis Comitis et quatuor Judicum Nobilium Comitatus Posoniensis de a. 1315.

Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis Capitulum Eclesiae Posoniensis Salutem in Domino sempiternam. Ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire, quod accedentes ad nostram Nicolaus et Joannes filius Alberti exhibuerunt nobis literas providi viri Dominici Curialis comitis Posoniensis, in quibus requirebat nos diligenter, quod nos literas suas patentes super quibusdam jugeribus terrarum et particula foeneti emanatas nostris literis privilegialibus dignaremur confirmare, quarum tenor talis est: Nos Dominicus Curialis Comes Posoniensis memoriae comendamus significantes, quibus expedit, universis, quod constituti personaliter coram nobis Ladislaus filius Puchur, Joannes et Jacobus filii Urachi cum omnibus cognatis et amicis ipsorum, qui Joannem, Nicolaum et Stephanum filios Alberti ad nostram praesentiam pro tredecim jugeribus terrarum et duabus dietis graminum legitime citaverunt, dicentes, quod illa tredecim jugera et duae dietae graminum praedictis filiis Alberti pro propriis possessionibus suis antea pro concambio tradidissent, et mediante lite ipsorum in nostri praesentia et quatuor Judicum nobiscum sedentium, videlicet Petro de Guthr, Petro filio Martini, Leopoldi de Paka et Stephano de Karcha [1]) Ladislaus et cognati ac filii sui supradicti in centum triginta marcis pro emendis remanserunt, ex quibus filiis Alberti praenotatis pars tertia cedere judicabatur, qui ipsam tertiam partem, probis viris intercedentibus, tali sub conditione relaxarunt, ita, quod dicti filii Alberti de praedicta terra in eodem loco quinque jugera

---

[1]) I. X. § 37.

jure haereditario perpetue possidebunt, octo vero jugera residua de terra supradicta praedicto in loco filii Pochur cum cognatis ipsorum pro se similiter perpetuo detinebunt, nec hoc praetermittimus, quod iidem filii Pochur et generatio ipsorum saepedictos filios Alberti in posterum de praedicta possessione nequaquam poterunt eliminare, si vero ausu temerario tempore successivo contra eos aliquid attentarent mediante concambio terrae alicujus vel quaerimonia aliquali, ex tunc filii Pachur una cum cognatis et filiis suis saepedictis ipso facto contra filios Alberti in triginta marcis plene integraliter remanerent, supradictas vero duas dietas graminum tam filii Alberti quam etiam filii Pochur simul perpetuo participabunt et unanimiter possidebunt. Datum Posonii anno Domini M. CCC. QInto decimo. Nos vero justis petitionibus et legitimis inclinati dictas literas de verbo ad verbum nostris literis praesentibus inseri fecimus sigilli nostri munimine roborando. Datum in festo beatae Elisabeth anno eodem ut supra.

A. B. C. (in infer. marg. scissura pro appendendo sigillo, quod incuria deest.)

VII.

Literae judiciariae in Causa per Ladislaum filium Eustachii contra Dominicum et Petrum de Belud Karcha ad divisionem terrarum Dobor a. 1347 coram Congregatione Palatinali suscitata et a. 1352 definita editae.

Nos Nicolaus Regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum [1]), memoriae comendamus tenore praesentium signi-

---

[1]) Nicolaus Gileti Palatini cognominis filius. Vide Ser. Palatinorum Prayi ad a. 1352, quo literae hae editae sunt.

ficantes, quibus expedit universis, quod in Congregatione nostra Generali universitatis Nobilium Posoniensis et Mosoniensis Comitatuum [2]) Feria secunda proxima ante festum Ascensionis Domini Anno ejusdem 1347 in Civitate Posoniensi celebrata, Ladislaus filius Eustachii de Karcha de medio aliorum personaliter exurgendo, prout per litteras nostras in eadem congregatione nostra emanatas informabamur contra Dionisium Filium Belie, et Petrum Filium Stephani de eadem Karcha tunc personaliter adhaerentes, proposuerat tali modo: quod ipse cum eisdem Dionisio, et Petro in una esset possessionaria divisione, unum ab eisdem scire voluerat, et audire, utrum ipsi eundem cum ipsis in una divisione possessionaria fore judicarent nec ne? Tandem nos ipsam Causam volentibus eisdem partibus, et petentibus ad Octavas Festi Nativitatis B. Johannis Baptistae attunc proxime venturas, in Budam sub forma fiendae pacis duxeramus prorogandam, a quibus quidem Octavis festi Nativitatis B. Joannis Baptistae ipsa causa diversis dilationum cautelis intervenientibus, mediantibus litteris Nostris prorogatoriis exinde confectis pro eo, quia Belie filius Petri filii Stephani dictum Dionysium filium Belie mortuum existere, et eundem Petrum absque potentialitate Johannis Fratris sui uterini, ac Michaelis Fratris ipsius Dionisii in praemissis respondere non posse allegarat ad 8-vas Festi Beati Georgii Martiris proxime praeteritas extiterat prorogata; ipsis itaque 8-vis Festi Beati Georgii Martiris adhaerentibus praedictus Ladislaus Nobilis de Karcza, ad Nostram personaliter accedens praesentiam juxta praemissam suam primariam propositionem ex parte dictorum Petri et Joannis filiorum Stephani, ac Michaelis Fratris ipsius Dionisii Filii Belie judicium, et justitiam sibi dari postulaverat, aequitatem — quibus perceptis Petrus, et Johannes Filii Stephani, et Michael Frater dicti Dionisii personaliter exurgendo responderant isto modo:

---

[2]) Plurima exstant Congregationum hujusmodi Posoniensi, Mosoniensique Comitatui simul indictarum de sec. XIV. exempla.

quod ipsi praeter possessionariam eorum portionem in dicta possessione Karcza vocata habitam, plures portiones possessionarias sibi emptionis titulo pertinentes, in eadem possessione Karcza tenerent, et in possessione eadem possiderent, et si ipse Ladislaus Filius Eustachii, exceptis possessionariis portionibus emptitiis ab ipsis plures portiones possessionarias per ipsos conservaret et possideret, — ipsi ad dandam — possessionariam divisionem — Ordine mediante prompti essent, et parati, quia avi eorum inter se per modum aequalis divisionis, ad triplices lineales Cognationes separati extitissent, ex quibus unus nomine Dubur sine haerede decessit, ipsoque Dubur ab hac luce decesso, portio sua possessionaria titulo emtionis, de consensu proximorum et Cognatorum suorum in manus eorum devenisset, et dicta portio possessionaria dicti Dubur titulo emtionis in manus ipsorum devenit, ibidem in instanti ad suae allegationis evidentius documentum Literas Capituli Ecclesiae Posoniensis privilegiales in Anno Domini 1332 emanatas, tenorem aliarum litterarum dicti Capituli Posoniensis privilegialium sub Anno Domini 1247 confectarum de verbo in verbum in se continentes Nobis demonstravit seriem — exprimentes. Quod Comite — ab una parte, Beretszegh, Hees et Luka ex altera coram dicto Capitulo Posoniensi personaliter constitutis, idem Comes Berethszeg Luka et Hees fuissent confessi, quod quidam Cognatus eorum nomine Dubur ad viam universae carnis sine haerede decessisset, et terra ipsius Dubur Comitis in Dominium Comitis Bereczk cum cognatis suis praenotatis remansisset, ipse autem Comes Bereczk cum caeteris cognatis suis Luka, et Hees terram praenotatam sufficientem ad 40-ta jugera ex Consilio Comitis Buzad de Karcza sedecim marcis vendidisset, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis possidendam Comite Remigh cum Filio suo Bartholomaeo coram dicto Capitulo astante, praedictae possionariae venditioni Consensum praebente et assensum; Quibus quidem litteris praenotati Capituli Posoniensis privilegialibus exhibitis, et earum tenoribus intellectis praeallegatus Ladislaus, Filius Eustachii in contrarium litterarum prae-

dictarum Privilegialium ipsius Capituli Posoniensis per dictos filios Stephani et Michaelem Fratrem Dionisii exhibitarum primo Literas praeallegati Capituli Privilegiales in Anno Dni 1307 emanatas tenorem literarum patentium Hermanni Comitis Posonien. [3]) in eodem Anno confectarum de verbo ad verbum in se declarantes et transcribentes nobis presentaverat, in quibus habebatur: quod cum inter Belee et Petrum Fratrem suum ab una, item Eustachium Filium Benedicti cognatum eorum parte ex altera super quadam possessione Karcza vocata lis, et Contentionis materia suscitata fuisset, et diutius coram eodem Comite Hermano ventilata ad ultimum vero per arbitrariam ordinacionem proborum et Nobilium virorum in eisdem Literis patentibus ipsius Comitis Hermani nominatim contentorum taliter concordassent, quod ipsi totam possessionem eorum in duas partes cum omnibus suis utilitatibus, et pertinentiis universis, ac Jobagionibus in illa possessione constitutis divisissent, unam partem ejusdem ipsis Belee et Petro relinquendo, aliam vero partem ipsius ipse Eustachius sibi reservando; Ita videlicet, quod ante omnia idem Belee et Petrus septem jugera terrae ejusdem Eustachio in divisionem dare assignare tenentur, nihilominus tamen si pdictus Belee super aliqua particula terrae dictae possessionis sua Instrumenta ostendere posset, seu exhibere, tunc illa particula terrae sibi ante omnia remaneret, idem — Lras praescripti Capituli Posoniensis protestationales sub Ao Dni 1307 idest Millesimo Tercentesimo Septimo confectas nobis exhibuerat inter caetera declarantes: quod Eustachius Filius Benedicti de Karcza in ipsius Capituli accedens praesentiam per modum protestationis eidem significasset: quod Belee, Petrus, et Stephanus Filii Belyud de eadem, cognati sui quadraginta jam jugera terrarum Dubur Belee, ipsum haereditate contingentia cum omnibus utilitatibus suis, ultra divisionem inter ipsos existentia contra Deum et ejus Justitiam recepissent — — — protestatur. Quibus quidem litteris praetacti Capituli Posonien — Privilegialibus imo protesta-

[3]) Supple seriem Comitum Posoniensium, cui ad a. 1307 Hermannus accedit.

torialibus exhibitis, et partibus suo modo explicatis, praedictus Ladislaus Filius Eustachii objecerat isto modo: quod praedicti Filii Stephanus et Michael Frater dicti Dionisii — ipsam particulam Terrae emptitiam, plures particulas terrae in dicta possessione Karcza vocata tenerent et possiderent, de quibus ut praemittitur divisionem habere vellet congruentem aequitate superaccedente. Verum quia praedicti Filii Stephanus et Michael Frater dicti Dionisii partes — — eorum possessionarias sibi emtionis titulo pertinentes se habere allegarunt, et hoc mediantibus Lris dicti Capituli Posonien. Privilegialibus comprobarant, dictam etiam Possessionariam portionem eorum, excepta dicta possessionaria portione emtitia dicti Dubur avi eorum, cum eodem Ladislao dividere velle retulerunt — — — dictam possessionariam portionem emptitiam dicti Dubur avi sui per praedictum — patrem suum, in quadam sua concordia mediantibus literis praedicti Hermani Comitis Posoniensis facta, eisde Belee et Petro resignatam, plures possrias portiones in dicta possessione Karcza eosdem filios Stephanum et Michaelem fratrem Dionisii — interse quamvis comuniter requirere et dividere velle declarabant, Nobisque et Regni Nobilibus tunc in judicio Nobiscum adhaerentibus in eo, utrum dictae portiones possoriae in dicta possessione Karcza vocata apud eundem Ladislaum filium Eustachii — — — Dionisii perennaliter habeant, vel quali ipsorum de eisdem — — portionibus — et certitudo aliqua absque rescita veritate praemissorum inter partes praenotatas Judicium et Justitiam — — facere — — — nobiscum in Judicio assidentibus — judicantes quod — nostri infra declarandi — Capituli praenotati — Festo Beati Jacobi Apostoli tunc venturo ad faciem praedictae possionis Karcza vocatae vicinis et commetaneis — — convocatis et praesentibus — vel eorum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo praedictas duas possessionarias portiones in dicta possessione Karcza vocata habitas, excepta dicta possessionaria portione emptitia dicti Dubur in eadem possessione existente, reambularent per veras suas metas, et antiquas, facta et ipsa reambulatione — — absque scrupulo cujuslibet

falsitatis videant et diligenter conspiciant, si dictae duae possessionariae portiones, excepta dicta possessionaria portione dicti Dubur emptitia, apud eosdem Ladislaum filium Eustachii et filios Stephanum et Michaelem aequaliter et integra existerent nec ne? etsi dictae residuae possessionariae portiones, excepta dicta possessionaria portione dicti Dubur emptitia, apud eosdem aequaliter et integraliter inventae fuerint, tunc uni cuique parti suam possessionariam portionem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis statuant, atque relinquant perpetuo possidendam. Si vero dictam possessionariam portionem dicti Ladislai in dicta possessione Karcza vocata existentem apud ipsum aequaliter cum dicta possessionaria portione eorum filiorum Stephani et Michaelis, excepta dicta portione possessionaria emtitia, non invenerint, et aliqua particula terrae ex eadem frustrarentur, tunc de possessionaria portione dictorum filiorum Stephani et Michaelis haereditaria, excepta dicta portione possessionaria emptitia, coaequantes. Quibus coaequatis unicuique parti suam possessionariam portionem signis metalibus ab aliis suis partibus distinguendo, et separando cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis statuerent et relinquerent perpetuo possidendam tenendam pariter et habendam salvis Juribus alienis. Exhibitis itaque — praefato Capitulo Ecclesiae Posoniensis eorum amicitiam literatorie petierat reverenter, ut ipsorum mitterent homines pro utrisque partibus fidedignos, quibus praesentibus Petrus filius Andreae de Erdewhatkarcza, aut Michael filius Nicolai de Ech aut Dionisius filius Balazy de Karcha pro parte dicti Ladislai Actoris, item Beele filius Petri de Gungh vel Nicolaus filius Jacobi aut Mathias filius Eustachij de Zerdahel pro parte praedictorum filiorum Stephani et Michaelis in Causam attractorum aliis absentibus homines — et nostri in praedictis judiciis Festi Beati Jacobi Apostoli accedendo — ad faciem possessionis Karcza praenotatae omniaque praemissa, et singula praemissorum exequenda Juris ordine mediante, et ab hinc ipsius possessionariae reambulationis revisionis coaequationis, et statutionis seriem prout fuerit oportunum, ad 8vas Fest. Beat. Regis Stephani atunc proxime

affuturas per idem Capitulum nobis rescribi petieramus. Ipsis itaque Octavis Festi Beati Stephani Reg. advenientibus praefatus Michael filius Belie personaliter, pro ipso vero Petro Filio Stephani de Karcza Nicolaus filius Jacobi de eadem Karcza cum litteris procuratoriis saepius dicti Capituli ad Nostram accedentes praesentiam praedictum Ladislaum filium Eustachii Actorem medio tempore viam universae carnis ingressum extitisse allegantes litteras clausas praefati Capituli Posoniensis super praemissis nobis rescriptionales tenoris infra declarandi Nobis praesentarunt petentes Nos humili cum instantia, ut praedictas literas ipsius Capituli Posoniensis statutorias de verbo ad verbum Nostris literis patentibus inseri ipsamque coaequationem et statutionem possessionariam acceptare Nostrarumque literarum patentium patrocinio confirmare dignaremur: Quarum tenor talis est. Magnifico et potenti Viro, Domino Nicolao Regni Hung. Palatino et Judici Cumanorum Domino et Amico ipsorum Honorandissimo Capitulum Ecclesiae Posoniensis Orationes salutares cum amicitia pleniore: noverit Vestrae Magnitudinis amicitia Literas vestrae adjudicationis modum et formam continentes pro Ladislao filio Eustachii de Karcza contra Dionisium filium Belie, et Petrum filium Stephani de eadem Nos amicabili cum omni honore recepisse, quas sub impressione Capitis sigilli nostri Vestrae Magnificentiae remisimus in specie, quibus visis et perlectis cum Mathia filio Eustachii de Zerdahel homine vestro pro parte praedictorum Dionisii Filii Belie et Petrii filii Stephani in Causam attractorum Magistrum Joannem Jacobum socium et Canonicum Nostrum ad ea peragenda, quae in ipsis litteris Vestris continebantur pro Testimonio transmisisse, qui demum ad nos reversi Nobis retulerunt in hunc modum: quod ipsi in quindenis Fest. B. Jacobi Apostoli proxime tunc praeteritis ad faciem praedictae possessionis Karcza vocatae accessissent, et praesentibus vicinis et commetaneis eandem reambulassent, reambulatamque licet praedictus Ladislaus filius Eustachij Actor viam Universae carnis ingressus exstitisset, tamen — — suos unum locum sessionalem cum 35 jugeribus terrarum invenissent apud Dionisium filium Bilie, et Petrum filium Stephani similiter cum

uno loco sessionali undecim jugera terrarum reperta exstitissent, excepta tamen possionaria portione Dubur vocata emptitia, quas in duas partes coaequales divisissent. Insuper unicuique parti suam Curiam seu sessionem, ita suam terram cum 23 jugeribus Terrarum statuissent perpetuo possidendam tenendam pariter et habendam. Datum in Festo B. Bartholomaei Apli Anno Dni 1352. Nos igitur Justis, et juri consonis petitionibus ipsorum Michaelis filii Belie, et Nicolai Procuratoris praefati Petri Filii Stephani benigne inclinati praescriptas litteras ipsius Capituli Posoniensis super praemissis nobis rescriptionales de verbo ad verbum transcribi praesentibusque Nris patentibus litteris inseri facientes praeallegatam Divisionalem coaequationem et statutionem possessionariam in Litteris praelibati Capituli Ecclesiae Posoniensis Nobis modo praemisso reportatam acceptamus, approbantes ad perpetualemque praetactarum Divisionalis coaequationis et statutionis possessionariae stabilitatem ipsis Michaeli filio Belie et Petro filio Stephani psentes nostras patentes literas duximus concedendas. Datum Budae Sedecimo die Octavarum Festi B. Regis Stephani praedictarum Anno Domini 1352 superius annotato [4]).

---

[4]) Ex authent. transumto Capit. Poson.

VIII.

Exemplum literarum judiciariarum Nicolai Comitis Vice-Palatini Archi-Episcopi Strigoniensis de a. 1345.

Nos Capitulum Ecclesiae Posoniensis memorie commendamus per praesentes. Quod domina Kathus vocata filia Pauli de Pathon neptis magistri Benedicti de Beuche samuth coram Nobis personaliter comparendo exhibuit Nobis quasdam litteras patentes Magistri Nicolai Comitis Vice Palatini domini Archi Episcopi ecclesie Strigoniensis in pargamino

conscriptas tenoris infrascripti petens nos cum instantia ut tenorem earundem de verbo ad verbum praesentibus nostris litteris patentibus transcribi et transsumpmi faciendo appositionem nostri sigilli eidem dare dignaremur quarum tenor talis est. Nos Comes Nicolaus Vice Magister Thome Palatini [1]) in Keseulces et Judex Nobilium Sancte Ecclesie in Challeukuz memorie commendamus quod — causa quae in concilio Magistri Thome Palatini in Keseulces celebrato [2]) per Paulum filium Michaelis de Pathon ex una et Matheum de Villa Beuse ex altera, pro porta eiusdem Mathei, mota, per partes ventilabatur, per consilia proborum virorum in unionem pacis sic devenerunt, ut una cum Juratis et Nobilibus supradicte ecclesie [3]) super faciem eiusdem possessionis veniremus, et in praefata possessione veritatem discerneremus, nos in persona ipsius Palatini unacum Juratis et Nobilibus predicte Sancte ecclesie videlicet Thoma filio Abrahe de Weyka Mychaële filio — — — — Marco filio Dominici — — Nobilium de Villa Beuse partem occidentalem Paulo supradicto, et partem orientalem Matheo sic tamen, quod quia porta in parte Mathei erat Paulo antememorato meatum per portam non inpediret de sessione eiusdem Pauli, et — consensu suimet — ipsius, a fonte incipiendo per spacia duorum passuum usque ad finem pomerij eidem Matheo antedicto assignavimus possidendam, et idem Matheus in posteriore parte sue curie in septimo dimidio cubitorum in vulgari Wl [4]) vocato latitudinem et in parte anteriori per latitudinem duorum cubitorum minus duabus palmis praefato Paulo liberum permisit meatum sive progressum. In cuius rei memoriam concessimus litteras nostras patentes sigilli nostri munimine roboratas. Datum feria quarta proxima post festum — — — ? domini. Anno Domini Mmo CCCmo XLVo.

---

[1]) Libri III. § 156.

[2]) ad imitationem Congregationis Palatinorum regni l. III. § 131.

[3]) l. III. § 53.

[4]) Öl dicimus.

Nos itaque justis et legitimis peticionibus praedicte domine Kathus filie Pauli favorabiliter inclinati tenorem dictarum litterarum predicti Comitis Nicolai de verbo ad verbum presentibus Nostris litteris patentibus transscribi et transsumpmi faciendo appensione nostri sigilli eidem duximus concedendas Datum in vigilia festi beati Thome Apostoli Anno Domini Mmo CCCmo LXXXmo.

IX.

Sententia Nicolai de Gara Palatini super terris Zantou et Vek per Ladislaum IV. quibusdam Thavernicis et Dapiferis suis collata, quorum a posteris eaedem, velut non eo quo Nobiles bona tenerent, jure impetrare abjudicantur a. 1376 [1]).

Nos Nicolaus de Gara Regni Hungarie Palatinus et Judex Cumanorum Memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis, Quod in Congregacione nostra generali magnifici Viri Domini Emerici Universitati nobilium Comitatus Albensis Feria secunda videlicet in octavis festi beati Georgij Martyris In anno domini Mo CCCmo Septuagesimo Quarto prope Civitatem Albensem per ipsum celebrata Magister Nicolaus filius Lachk de Zantou de medio universorum exurgendo domini Emerici palatini exinde confectis eo modo quod dominus noster rex, quandam possessionem suam Tavernicalem Zantou alio nomine Isouteleke vocatam in predicto Comitatu Albensi existentem prope Insulam magnam adia-

---

[1]) Ex Collectaneis RR. D. Mich. Horváth jam Praep. Hatvan.

centem pro suis fidelibus servicijs literis suis mediantibus, sibi in perpetuum contulisset; In cuius dominium ipse per palatini ac Capituli Albensis homines se legitime introduci sibi statui facere postulasset, Cumque hys perceptis ipse dominus palatinus petente ipso Magistro Nicolao una cum Michaele de Kyurth regio et Ladislao litterato dicti Capituli hominibus, Johannem Magistrum hominem suum, ad infrascriptam introduccionem et statucionem possessionariam faciendam de Tandem ydem ad eandem Congregacionem suam ad ipsum dominum palatinum reversi eidem consona voce retulissent, quod ipsi feria quarta videlicet decimo die congregacionis sue predicte ad faciem memorate possessionis Zantou alio nomine Isouteleke vocate vicinis et commetaneis eiusdem universis legitime inibi convocatis et presentibus accedendo, dum ipsi annotatum Magistrum Nicolaum in dominium prenotate possessionis Zantou alio nomine Isouteleke vocate introducere et eandem premisso regie collacionis titulo eidem statuere voluissent, Tandem Johannes filius Pauli, in eadem possessione residens, in sua et Velentini fily Ende nec non Johannis fily Nicolai personis inibi adherendo, premisse introduccioni et statucioni eidem Magistro Nicolao fiende contradictor apparuisset ubi ipsi regius et predicti domini Emerici palatini homines, eisdem Johanni, Valentino et altero Johanni commisissent, ut ipsi in predicta congregacione prefati domini Emerici palatini in crastino eiusdem diei videlicet feria quinta racionem contradiccionis eorum reddituri contra eundem Magistrum Nicolaum comparere deberent coram domino palatino antedicto, Tandem ipso secundo die apparente, prefatus magister Nicolaus presentibus predictis Johanne Valentino et altero Johanne coram ipso domino palatino adherendo, premisse contradictorie inhibicionis rationem assignari postulasset per eosdem, Quo percepto prenominati Johannes filius Pauli, et Valentinus filius Endre in ipsius domini palatini personaliter exsurgendo presenciam, eundem Johannem filium Nicolai puerum nondum legitime etatis fore asserendo quia dicta possessio

Zantou alio nomine Isouteleke nominata, efficacissimorum Instrumentorum roboribus ipsis pertineret, que instrumenta non tunc ad presens sed in termino ulteriori per ipsum dominum Palatinum ipsis dando exhibere prompti essent et parati, Vnde ipse dominus palatinus auditis premissis, eisdemque partibus volentibus commisisset eisdem Johanni et Valentino, premissa eorum Instrumenta si que in facto dicte possessionis haberent confecta in quindenis predicti festi beati Georgy Martyris tunc proxime venturis, in Curia regia, contra eundem Magistrum Nicolaum exhibere teneri quibus visis Judicium et iusticiam inter partes facere valeret in premissis dictante Juris equitate, Ad quas quidem quindenas festi beati Georgii Martyris, predicti Johannes filius Pauli, Valentinus filius Endre et Johannes filius Nicolai per predictum Magistrum Nicolaum viginti diebus continuis earundem quindenarum coram ipso domino palatino expectati predicta litteralia eorum Instrumenta exhibituri in ejusdem presenciam non venissent nec misissent, se alys litteris suis Judicialibus exinde confectis mediantibus in Judicijs aggravari permittendo, Postulans prefatus Nicolaus ex parte sibi iudicium et iusticiam per ipsum dominum palatinum elargiri, Vnde quia predicti Johannes Valentinus et alter Johannes coram domino Emerico palatino ac Baronibus regnique nobilibus secum tunc in Judicio adherentibus prefata litteralia Instrumenta ipsorum exhibituri, ac de dictis Judiciis nouem marcarum sibi et parti adverse satisfacturi contra dictum Magistrum Nicolaum euocandi fore visi fuissent, Idcirco amiciciam Capituli Budensis ecclesie ipse dominus palatinus petiuisset reuerenter, quatenus ipsorum mitterent hominem pro testimonio fidedignum, quo presente homo suus infradeclarandus, prefatos Johannem Valentinum et alterum Johannem predicta litteralia Instrumenta ipsorum exhibituros, ac de dictis Judicys nouem marcarum sibi et parti aduerse satisfacturos contra predictum Magistrum Nicolaum ad Quindenas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste tunc venturas suam euocarent in presenciam. Et posthec ipsius euocacionis seriem

cum nominibus euocatorum, ut fieret conueniens ad easdem quindenas sibi amicabiliter rescriberet Capitulum Budense prenotatum, Tandem ipsis quindenis festi natiuitatis beati Johannis Baptiste advenientibus, prefatus Magister Nicolaus filius Lachk personaliter in ipsius domini Emerici Palatini veniendo presenciam litteras dicti Capituli Budensis super premissa euocacione rescriptas eidem presentasset. In quibus inter cetera idem dominus palatinus vidisset contineri, Quod ipsum Capitulum Budense amicabilibus peticionibus suis acquiescens unacum Mychaele filio Blasy de Bada homine suo, Clementem clericum hominem eorum ad premissa peragenda transmisisset fidedignum, Qui demum ad ipsum Capitulum reversi, eidem concorditer retulissent, quod ipsi in dicto festo natiuitatis beati Johannis Baptiste prefatos Johannem filium Pauli, Valentinum filium Endre et alterum Johannem filium Nicolai in dicta possessione Zantou premissa litteralia Instrumenta eorum exhibituros et de dictis Judicys nouem marcarum sibi et parti adverse satisfacturos, contra annotatum Magistrum Nicolaum filium Lachk in suam presenciam, ad dictas quindenas festi Natiuitatis beati Johannis Baptiste evocassent, Quibus quidem litteris exhibitis, iamdictis in causam attractis personaliter in ipsius domini Emerici palatini presencia comparentibus, Cum dictorum Instrumentorum exhibicio ac eisdem quindenis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste inter predictas partes diversis prorogacionum cautelis et terminis interuenientibus ad octauas festi Purificationis beate Uirginis proxime preteritas deventa exstitisset, denique ipsis octauis instantibus medioque tempore predicto Honore palatinatus per prefatum dominum nostrum regem nobis dato, iamdictus magister Nicolaus filius Lachk personaliter ab una, Item memorati Valentinus filius Endre et Johannes filius Pauli, ac alter Johannes filius Nicolai de dicta Isouteleke, similiter personaliter parte altera in nostrum Judiciarium venientes conspectum, Primo prefatus Nicolaus filius Lachk in huius documentum, quod prefatus dominus noster rex premissam possessionem seu terram Zantou alio nomine Isouteleke vocatam sibi dederit et

hoc iamdictus dominus noster rex de Jure facere voluerit, quasdam tres litteras, duas dicti domini Ludovici dei gracia regis Hungarie domini nostri, ambas patentes, maiori sigillo suo consignatas, vnam in Wyssegrad sabbato proximo ante octauas festi Passce domini, In anno eiusdem Mo CCCmo LXXmo quarto emanatam, quasdam litteras domini Ladislai olym similiter regis Hungarie patentes transcriptiue in se continentem, et aliam in Gyosgyeur in vigilia festi sancti Matey apostoli et ewangeliste In anno domini Mo CCCmo LXXo tercio confectam, ac terciam prefati domini Emerici palatini affirmatoriam, octauo die predicte Congregacionis sue generalis, uniuersitati nobilium, predicti Comitatus Albensis In predicto anno domini Mo CCCo LXXmo quarto celebrate exortam, nobis presentarat. Quarum quidem litterarum predicti domini Ladislai regis patencium, in prescriptis litteris prefati domini nostri regis Ludovici patentibus transcriptarum tenor dinosceretur esse talis, Nos Ladislaus dei gracia rex Hungarie, Tenore presencium significamus universis, Quod accedentes ad nostram presenciam Petrus Abraam Comes Jacobus Herbordus Tavarnici et dapiferi nostri, petierunt a nobis humiliter et deuote, quod nos litteras Capellanorum nostrorum super facto terre Zantou vocate emanatas, nostris litteris dignaremur confirmare, cuius tenor talis est, Nos Capellani domini regis[2]) damus pro memoria, Quod Bethlem homo domini regis, accepto homine nostro pro testimonio accedentes ad terram Zantou vocatam Castri Albensis, et iuxta eundem ad terram Week sine herede decedentis, quas terras Petrus Abraam Comes Jacobus et Herbordus Tavarnici et dapiferi domini regis ab eodem domino rege petiuerant eis dari, super quibus in primo Laurencius extiterat contradictor, postmodum idem Homo noster ad nos rediens retulit, quod ipsas terras coram commetaneis vicinis, et ipso Laurencio ibidem personaliter astante cum quo ipsa terra communiter habebatur reambulassent.

[2]) Recollige, quae ad Belam III. de Capella Regis attulimus.

et nec ipso Laurencio nec aliquo alio contradicente super eisdem nouas metas erigendo statuissent predictis Petro Abraam Comiti Jacobo et Herbordo ac alys socys eorundem, Cursus autem metarum eiusdem terre, Incipit a parte orientali, a quodam monte Kurbed vocato et descendit iuxta vnum vetus fossatum et vadit ad vnum fluuium et inde procedit ad album Holm et sic tendit ad Danubium versus occidentem et ibi terminatur, super tribus metis antiquis, Datum in magna Insula apud sanctum Martinum in crastino inuencionis sancte Crucis, In predicta vero secunda littera eiusdem domini nostri regis Ludouici similiter patenter emanata expresse videramus contineri, Quod ipse dominus noster Rex fidelitatibus et servicys Benedicti fily condam Magistri Lachk, Aule sue Juuenis et fratrum suorum per ipsos locis et temporibus opportusue regie maiestati cum sumpmo diligencie studio uirtute eximia et indesinenti sollicitudine continue lateri suo regio adherendo fideliter sincereque et deuote exhibitis et impensis recensitis et in memoriam sue Celsitudinis reductis, quandam possessionem Zantou alio nomine Isouteleke nuncupatam in dicto Comitatu Albensi habitam, apud quosdam Jurium suorum regalium celatores vt sibi dictum fuisset occupative existentem, cum omnibus suis vtilitatibus et pertinencys vniversis sub omnibusque hysdem metis limitibus et terminis quibus eadem usque tunc per priores suos possessores habita exstitisset et possessa noue donacionis sue titulo dedisset donasset et contulisset, prefatis Benedicto, necnon Nicolao filio Lachk ac Ladislao filio Kolus eorumque heredibus et posteritatibus vniversis Jure perpetuo possidendam tenendam pariter et habendam, Saluo Jure alieno, Ex serie siquidem predicte littere videlicet annotati domini Emerici palatini affirmatorie edocebamur sub hac forma, Quod vicecomes Judices nobilium et Jurati assessores in iamdicta Congregacione generali, per prefatum dominum Emericum palatinum requisiti ad fidem eorum Deo debitam fidelitatemque domino nostro regi et suo sacro dyademati conservandam tacto dominice crucis ligno prestitam taliter affirmassent quod predictam possessionem seu terram

Zantou alio nomine Isouteleke vocatam predicti Valentinus et Johannes ac alter Johannes tenerent et conservarent, sed quo Jure et titulo eandem possiderent ignorarent, Quibus quidem litteris exhibitis, prefato magistro Nicolao filio Lachk premissa Instrumenta per predicto Valentinum Johannem et alterum Johannem in causam attractos modo prehabito exhiberi assumpta, per eosdem coram nobis exhiberi postulante, ydem Valentinus ac Johannes et alter Johannes personaliter exsurgentes, pro ipsis, per ipsos exhiberi assumptis Instrumentis, Primo predictas litteras, memorati domini Ladislai regis per prefatum magistrum Nicolaum filium Lachk in transcripto predictarum litterarum regalium prius vt premittitur coram nobis exhibitas et in presentibus superius verbaliter contentas in specie ac insuper, quasdam quatuor litteras clausas, unam fratris Georgy prioris et Conventus Cruciferorum de calidis aquis, et secundam ac terciam magistri Alexy Custodis ecclesie Vacyensis ac Vycary in spiritualibus generalis Venerabilis in Christo patris fratris Rodolphy eiusdem ecclesie Vacyensis Episcopi, nec non quartam domini Nicolai Konth condam palatini patentem affirmatoriam In annis et terminis infrascriptis confectas nobis curarant exhiberi, In quarum prima videlicet ipsius fratris Georgy prioris et Conventus Cruciferorum de calidis aquis feria secunda proxima ante festum beati Bartholomei apostoli Anno dominice incarnacionis Mo CCCmo vigesimo confecta Comitem Herbordum de Villa Isou de iuxta magna Insula in dicto Comitatu Albensi existente, vna cum Beke Abraam Endre et Ethelen filys suis ab vna parte, Item Egidium filium Donath de eadem ex altera personaliter coram predictis fratre Georgio priore et Conventu Cruciferorum comparuisse, diuisionemque inter se in dicta eorum possessione Isou modo et ordine litteris in eisdem declarato se fecisse confessos fuisse seriose comperientes, ex serie predictarum duarum litterarum annotati magistri Alexy Custodis et Vicary unius videlicet secundo die festi beati Mychaelis archangeli Anno domini Mo CCCmo tricesimo primo et alterius sub Anno uerbi incarnati Mo CCCmo Tricesimo

secundo, secundo die festi sancti Anthonij confessoris Vacye exortarum Jamdictos Beke Endre et Etel filios dicti Comitis Herbordi ac Egidium filium Donaty Magistris Teteus et Vezzeus, de dicta possessione Isouteleke dotem et res parafferuales domine Margarete sororis ipsorum magistrorum Teteus et Vezzeus relicte videlicet dicti Abraam fily predicti Herbordy, in presencia prelibati Magistri Alexy Vicary soluisse adinueneramus manifeste, Predicta nempe quarta littera vltima scilicet annotati domini Nicolai Konth condam palatini affirmatoria, quarto die Congregacionis sue generalis uniuersitati nobilium Comitatus Albensis celebrate suborta quod Vicecomes Judices nobilium et Jurati assessores ipsius Congregacionis, per ipsum dominum palatinum requisiti, ad fidem eorum deo debitam fidelitatemque domino ipsorum regi et sue sacre corone regie conservandam, tacto viuifice crucis ligno prestitam voce unanimi taliter aff — — — Emericus de Beche quandam particulam terre de possessionis Johannis fily Pauli Isouteleke vocata cum sylua et alys vtilitatibus suis pro se occupasset, et tandem Magister Vezzeus filius eiusdem Emerici ad manus regias eandem possessionem assignasset, Quarum quidem omnium premissarum litterarum per utrasque partes modo premisso proposit — — tenoribusque earundem ipsis partibus suo modo expositis, eisdem partibus nulla alia Instrumenta preter preexhibita in facto premisso se habere, ymo nec nunc nec in futurum aliqua exhibere posse ad nostram requisicionem referentibus partes Juris equitatem in premissis per nos sibi pecierant elargiri, Verum quamuis prelibatus dominus Ladizlaus rex prescriptam terram Zantou vocatam Castri Albensis, et iuxta eandem dictam aliam terram Vek hominis sine herede decedentis prelibatis Petro Abraam ac Comite Jacobo et Herbordo Tavarnicis et dapiferis suis auis videlicet et predecessoribus memoratorum Valentini fily Endre ac Johannis fily Pauli et alterius Johannis fily Nicolai in causam attractorum, sub prescriptarum metarum Vallo dederit et contulerit, Postmodumque prefatus Comes Herbordus ac dicti fily sui et

prenotatus Egidius filius Donath, dictas possessiones Zantou et terram Veek In predicto anno domini Mo CCCmo XXmo inter se diviserint, Et demum iamdicti Beke, Endre et Etel fily Herbordy nec non annotatus Egidius filius Donath, premissas dotem et res paraffernales prescripte nobilis domine Margarete relicte memorati Abraam fily Herbordi iamdictis Magistris Teteus et Vezzeus fratribus scilicet ipsius domine de predicta possessione Isouteleke, In predicto Anno domini Mo CCCmo Tricesimo secundo modo premisso soluerint, Tandem eciam In iamdicto Anno domini Mo CCCo LXo octauo prefati Vicecomes Judices nobilium et Jurati assessores hoc ut prefatus Emericus dictus de Beche quandam particulam de ipsa possessione Isouteleke prefati Johannis fily Pauli cum silua et alys vtilitatibus suis pro se occupasset, Et tandem dictus Magister Vezzeus ad manus regias eandem assignasset, ad premissam fidem eorum affirmaverint, Tamen quia — — nec prefatus dominus Ladizlaus rex prelibatos Petrum Abraam ac Comitem Jacobum et Herbordum Tavarnicos et dapiferos suos auos videlicet et predecessores iamdictorum Valentini ac Johannis et alterius Johannis in causam attractorum tempore donacionis sepedictarum duarum particularum terrarum Zantou et Veek nobilitasse nec postmodum Valentinus et Johannes ac alter Johannes, vel aliquis ex predecessoribus eorundem Valentini ac Johannis et alterius Johannis per aliquem regum Hungarie in cetum seu numerum nobilium regnicolarum recepti, nec eciam de premissa condicionaria videlicet Tavarnicali et dapiferali seruitute exempti fuisse sed tam prelibati Petrus et Abraam ac Comes Jocobus et Herbordus, aui videlicet ceterique predecessores prefatorum Valentini ac Joannis et alterius Johannis, quam et ipsi Valentinus Johannes et alter Johannes tam premissam possessionem Isouteleke, quam eciam memoratas duas particulas terrarum Zantou et Veek a tempore annotati domini Ladizlai regis usque hodiernum diem sub prescripta condicionaria videlicet Tavarnicali et dapiferali seruitute in taciturnitatis nubilo

tamquam Jurium regalium occultatores nullo tati vt debuissent exhibito et impenso conservasse et possedisse ex tenoribus premissarum litterarum per prelibatas utrasque partes exhibitarum perspicue adinveniebamus, sicque prefatus dominus noster Rex, iamdictam possessionem Zantou alio nomine Isouteleke et terram Veek nominatas

Jus suum regium celative Benedicto et Nicolao filiis Lachk ac Ladislao filio Kolus eorumque heredibus et posteritatibus de Jure dare et conferre valuisse, Venerabilibus in Christo patribus dominis Johanne Archiepiscopi Strigoniensi Valentino Quinqueecclesiensi, Auleque regie Vicecancellario, Petro Jaurinensi, Paulo Tyniniensi et Demetrio ecclesiarum Episcopis nec non magnificis viris Comite Jacobo de Scepus Judice Curie domini regis ac Petro dicto Zudor totius Sclauonie, et Johanne dicto Tretul de Zeurinio Banis Georgio Bubeek Tavarnicalium reginalium et Paulo de Lyzkan dapiferorum regalium magistris ceterisque regni proceribus in adiudicacione ipsius cause nobiscum in Judicio sedentibus nos unacum eisdem prelatis Baronibus et regni proceribus

possessionem Zantou alio nomine Isouteleke vocatam et terram Veek, ex scitu domini nostri regis cum vniuersis suis vtilitatibus ad easdem spectantibus Jamdicto magistro Nicolao filio Lachk et suis heredibus ac posteritatibus vniuersis eo Jure quo eisdem premisse regie donacionis titulo dinoscerentur pertinere, in perpetuum adiudicauimus easdemque possessionem Zantou alio nomine Isouteleke et terram Veek vocatas, eidem per nostrum et predicti Capituli Albensis homines statui debere committentes, Amiciciam eiusdem Capituli Albensis pecieramus reverenter quatenus ipsorum hominem mitterent pro testimonio fidedignum, quo presente magister Martinus Curie nostre notarius de curia nostra ad hoc specialiter nominatus homo noster ad faciem predicte possessionis Zantou alio nomine Isouteleke vocate et terre Veek ac pertinencium ad easdem, vicinis et commetaneis earundem vniuersis inibi legitime conuocatis et presentibus accedendo, facta prius legitima reambulacione

earundem statueret ipsas cum wniuersis suis vtilitatibus et pertinenciis earundem existentibus ipsi Magistro Nicolao filio de Lachk et suis heredibus Jure quo sibi ex premisso titulo dinoscerentur pertinere perpetuo possidendas Contraccione predictorum Valentini Johannis et alterius Johannis ac aliorum quorumlibet premissorum non obstante, Et posthec ipsius possessionarie statucionis seriem ad octauas festi beati Georgy Martyris proxime venturas nobis amicabiliter rescriberet Capitulum Albense antedictum, Quibus quidem octauis festi beati Georgy Martyris aduenientibus prefatus Magister Nicolaus filius Lachk personaliter in nostram exsurgendo presenciam quasdam literas annotati Capituli Albensis super premissis rescriptas nobis presentauit hunc tenorem continentes, Magnifico viro domino Nicolao de Gara regni Hungarie palatino et Judici Comanorum Amico eorum honorando Capitulum ecclesie Albensis amiciciam paratam debito cum honore, Nouerit vestra Magnificencia litteras Vestras adiudicatorias honore condecenti nos recepisse inter cetera continentes quatenus nostrum mitteremus hominem pro testimonio fidedignum quo presente Magister Martinus Curie Vestre Notarius de Curia Vestra ad hoc specialiter deputatus ad faciem cuiusdam possessionis Zantou alio nomine Isouteleke vocate et terre Veek ac pertinencium ad easdem viciniis et commetaneis earundem inibi legitime conuocatis et presentibus accedendo facta prius legitima preambulacione earundem statueret ipsas cum vniuersis suis vtilitatibus et pertinenciis earundem existentibus Magister Nicolao filio Lachk de Zantou suisque heredibus universis Jure quo sibi ex premisso titulo donacionis dinoscerentur pertinere perpetuo possidendas, contradiccione Valentini fily Endre ac Johannis fily Pauli et alterius Johannis fily Nicolai de dicta Zantou in dicta possessione Zantou alio nomine Isouteleke vocata residencium ac aliorum quorumlibet racionibus in eisdem (litteris vestris clarius expressas non obstante, Et posthec ipsius possessionarie statucionis seriem ad octauas festi beati Georgy Martyris proxime venturas vobis amicabiliter rescriberemus, Nos itaque vestris amica-

bilibus peticionibus ymo iusticie annuentes, unacum prefato Magistro Martino homine vestro magistrum Valentinum socium et concanonicum ecclesie nostre (nostro cum testimonio fideliter peragenda transmisimus fidedignum qui) demum ad nos exinde reversi nobis concorditer retulerunt, quod predictus homo vester presente predicto nostro testimonio feria secunda post dominicam Ramispalmarum de nouo preterita ad faciem iamdicte possessionis Zantou alio nomine Isouteleke appellate et terre Veek vocate ac pertinencium ad easdem vicinis et (commetaneis earundem inibi legitime convocatis et presentibus) accedendo, facta prius legitima reambulacione earundem, ipsas cum omnibus suis vtilitatibus in facie earundem habitis statuissent prefato Magistro Nicolao et suis heredibus, eo Jure quo sibi ex premisso titulo dinoscerentur pertinere perpetuo possidendas, contradiccione — — — — — — — — non obstante, Datum tercio die statucionis prenotate Anno domini Mo CCCmo Septuagesimo sexto. Quibus quidem litteris exhibitis, Quia prefatus homo noster presente predicto testimonio annotati Capituli ecclesie Albensis, termino in prefixo, ad facies iamdicte possessionis Zantou — —

— — — — — — — —

— — — — — — — —

accessisse, ipsasque facta prius legitima reambulacione earundem, cum omnibus suis vtilitatibus, in facie earundem habitis, prefata Magistro Nicolao filio Lachk et suis heredibus, eo Jure quo sibi ex premisso titulo dinoscerentur pertinere (perpetuo possidendas contradiccione prefatorum Valentini et Johannis ac alterius Johannis et aliorum quorumlibet non obstante, iuxta premissam nostram Judiciariam Commissionem statuisse ex serie prescriptarum litterarum dicti Capituli Albensis rescripcionalium clare adinueniebatur, Pro eo nos easdem possessionem Zantou alio nomine Isouteleke et terram Week pertinentesque ad easdem prelibatis Magistro Nicolao filio Lachk — — — — — — — — et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus, cum quibuscunque ipsa-

rum utilitatibus eo Jure quo eedem ipsis ex premisso regie donacionis titulo dinoscerentur pertinere, auctoritate nostri palatinatus adiudicamus et committimus in perpetuum possidere, tenere pariter et habere Salvo Jure alieno, In quorum omnium memoriam firmitatemque perpetuam eidem Magistro Nicolao filio Lachk, litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum in Wissegrád vigesimo die Octauarum festi beati Georgy Martyris predictarum Anno domini Mo CCCmo Septuagesimo sexto.

X.

Literae Capituli Posoniensis de a. 1423 de metarum possessionis Nobilium de Etre Karcsa, et possessionis regalis Zilas Lucsé, deinceps Nagy Lucsé reambulatione.

Omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris — notitiam habituris Capitulum Eclesiae Posoniensis salutem in Domino sempiternam. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos literas reambulatorias — Magnifici Domini Nicolai de Gara — Palatini et Judicis Cumanorum pro Serenissimo Principe Domino Sigismundo Dei gratia Romanorum Rege semper Augusto ac Hungariae, Bohemiae — Rege — nobisque directas reverenter receperimus — amicis suis reverendis Capitulo Eclesiae Posoniensis Nicolaus de Gara Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis — Principis Domini Sigismundi Dei gratia — Augusti ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae Croatiae etc. Regis Domini

nostri gratiosi quomodo possessiones regales [1]) Bodak, Seul, Baka, Zilasluche, Beketfalva, Posafalva — — Chandal, Uyfedemes et — — castrum suum Posoniense spectantes legitima reambulatione et ab aliorum juribus — — metarum erectione plurimum indigerent — — vestrum mittatis hominem — — quo praesente Strenuus vir Stephanus de Rozgon Comes Posoniensis et Magister — — Protonotarius noster de Curia Regia — — peragenda specialiter destinati — — regalium convocatis cometaneis et vicinis suis universis accedendo reambulent — — per suas veras metas et antiquas — reambulatasque et ab aliorum possessionibus — distinctas relinquant, Serenitatique ipsius Domini nostri Regis in perpetuum possidendas — — contradictum, contradictores vero, si qui fuerint — — ad terminum competentem — — eorum reddituros. Et posthac ipsius possessionariae reambulationis et metarum — — metarum inibi erigendarum — — nobis amicabiliter rescribatis — — Sabatho proximo ante festum b. Andreae Apostoli anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo. Itaque nos petitionibus — Domini Palatini — Stephano Rozgon Comite — — Prothonotario Palatinali ad haec specialiter deputatis Magistrum Elyam — ad praemissa suo modo peragenda nostro — — destinandum — reversi nobis concorditer retulerunt — — secundo die festi Circumcisionis Domini proxime praeteriti et pluribus diebus ad id aptis — — ad faciem dictae possessionis regalis Zilasluche — [2]) convocatis — — suis accessissent eandemque praesentibus Blasio filio — de Etreh Karcha et aliis nobilibus de eadem, quas scilicet possessiones Zilasluche regalem, et Etreh Karcha Nobilium ab invicem quidam fluvius Barch nomine ab antiquo distinxisset, idem etiam fluvius Barch retro sepes ortorum

---

[1]) explicatur l. III. § 84.

[2]) Rectius Szilosluché olim; nam Urbano Pontifici Agriensi, qui hinc ortus est, jam Nagy-Luché scribebatur sec. XV.

dictae villae Zilasluche suum cursum faceret et per hoc ipsa possessio regalis a parte dictae villae Etreh Karcha restricta haberetur pro pacifico statu incolarum, et populorum regalium in ipsa Zylasluche comorantium ampliare voluissent in hunc modum, quod eandem terram, quam dicti populi regales per transgressionem dicti fluvii Barch a dictis nobilibus reimpedivissent, suam fore asserendo, eisdem populis regalibus relinquere, loco ejus de eadem Zilasluche in ea sui parte, ubi commetaneitas ipsius villae Zilasluche dictae possessioni Zilasluche propinquius conjuncta haberetur, tantumdem exscindere et via permutationis praescriptis nobilibus de antedicta Etreh Karcha dare voluissent, ubi quia praescripti populi regales hoc sic fieri minime voluissent, Ideo sicut primitus fuisset, sic a modo in posterum dictum fluvium Barch inter ipsas possessiones Zilasluche et Etreh Karcha pro meta deputavissent atque reliquissent. In cujus rei memoriam perpetuam praesentes literas nostras privilegiales pendentis sigilli nostri authentici munimine roboratas duximus concedendas. Datum vigesimo sexto die diei praemissae executionis anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio. (In infer. marg. Zona viridis sigillo, quod appensum fuit, jam nunc destitutum.)

XI.

Literae Mathiae I. Regis de a. 1466, quibus statum libertatis antiquum populorum Castri Posoniensis de Districtu Gelle (Gelle vidék) instauravit.

Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariae cet. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod fideles nostri providi Benedictus filius Andreae in Csentőfalva, Lucas filius Petri in Egyházos-Paka, Aegidius filius Joannis in Nagy-Luché, Georgius

Biró, et Joannes filius Michaelis in Gelle, alter Joannes filius Emerici in Benkepaton et Blasius filius Matus in Boczfalva (Pósfa) villis scil. nostris in Comitatu Poson. districtu vero Csallóköz existen. et ad Castrum nostrum Posoniense pertinen.[1]) commorant. nostrum venientes in conspectum, in eorum, ac universorum aliorum populorum nostrorum in eisdem, ac universis aliis villis nostris in eodem districtu Csallóköz existentium et similiter ad dictum Castrum nostrum Posoniense ac Sedem Gelle pertin. commorant. personis nobis exposuerunt hoc modo: quod licet ipsi populi nostri, ex gratiosa concessione antiquorum Praedecessorum nostrorum Regum, has habuerint et habeant libertates; ut nullus omnino eorum vel pro debitis vel excessibus, vel aliis quibuscunque factis, quae quomodocunque emenserunt, demtis solummodo factis causas eclesiasticas concernentibus, per quoscunque sive scilicet judices, sive alios homines regni nostri seculares, vel in persona detineri, vel judicari, vel in rebus arestari et prohiberi possit, sed si quis contra ipsos populos nostros vel contra aliquem eorum occasione debitorum vel excessuum, sive aliorum quorumcunque factorum, demtis, ut praefertur, solummodo praemissis eclesiasticam scilicet jurisdictionem concernentibus aliquid actionis vel quaestionis habuerint, ii id penitus in dicta Sede Gelle coram Officiali Comitis nostri Posoniensis in medio eorum pro tempore constituto ac Judice et juratis populis ejusdem Sedis prosequi habent et si iidem de judicio ipsorum Officialium et Judicis et juratorum populorum contentari noluerint, ita tandem causa in praesentiam ipsius Comitis nostri Posoniensis deduci potest. Item de censibus et reditibus de medio ipsorum nobis, aut praefato Comiti nostro Poson. provenient. non plus, quam in singulis annis octavo die festi b. Michaelis Archangeli viginti octo centenarios denariorum et sexaginta sex denarios; item octavo die festi b. Georgii Martyris

[1]) Ex his Nagy seu Zylas Luché et Posafalva paullo ante num. X. in Possessionibus regalibus numerabantur.

similiter totidem; et octavo die festi nativitatis Domini consimiliter totidem; octavo vero die festi pentecostes quatuordecim centenarios denariorum et triginta tres denarios de moneta pro tempore in dicto Comitatu cursum habente; item pro munere in singulis festis paschae Domini de singulis supradictis villis ad eandem Sedem Gelle pertinentibus singulos agnellos. Et ultra haec populi nostri in dicta villa nostra Nagy Luche commorantes singulis annis in festo b. Michaelis Archangeli quadringentos et quadraginta denarios; in festo autem b. Georgii Martyris minus octo denariis centum denarios; populi autem in praefata villa nostra Egyházos Paka commorantes in festo b. Mich. Archangeli centum et triginta tres denarios similiter de moneta pro tempore currenti ratione quarumdam terrarum, quas divisim ab aliis villis nostris soli colunt. Praeterea de eisdem duabus villis nostris Nagy Lúcsé et Egyházos Paka et omnibus aliis supradictis villis universaliter pro nonis frugum nobis aut praefato Comiti nostro ad praetactum Castrum nostrum Posoniense de singulis capetiis singulas mensuras tritici et avenae cum mensura hujus Comitatus nostri Poson. vulgariter Mécz vocata dare tenentur; tamen quia literae super hujusmodi libertatibus eorum ab ipsis Praedecessoribus nostris Regibus eisdem gratiose concessae in inpacacitate priorum temporum per violentes quorumdam manus ab eisdem populis nostris ablate et deperditae essent; igitur caepissent jam dudum nonnulli in hujusmodi libertatibus eos impedire, et contra eos cogere. Quare iidem, Benedictus, Lucas, Aegidius, Georgius, uterque Joannes et Blasius in eorum ac aliorum supradictorum universorum populorum nostrorum nominibus supplicaverunt nobis humiliter, ut super praemissis libertatibus eorum literas nostras in evidentiam earundem libertatum eisdem ex novo concedere, ac ipsos in iisdem libertatibus conservare dignaremur. Itaque nos accepta hujusmodi suplicatione praefatorum populorum nostrorum considerataque fidelitate et fidelibus servitiis eorundem et totius Comunitatis ipsorum nobis ac Praedecessoribus nostris Re-

gibus et s. Coronae regni nostri per eos exhibitis supradicto modo nobis detectas libertates, ac praesentibus literis nostris conscriptas acceptare et innovare, eosdem populos nostros ac eorum universos successores et posteritates in eisdem, et in omnibus aliis justis libertatibus eorum denuo conservandos decrevimus et statuimus, hoc specialiter expresso, quod ipsi populi nostri decimas Dominis Archiepiscopis Strigon. pro tempore constitutis, ut alias soliti fuerant, ita deinceps semper praestare debeant. Quo circa vobis fidelibus nostris Comitibus nostris Poson. et Justitiariis et universis aliis cujuscunque status et conditionis hominibus ac subditis regni nostri praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris firmiter praecipimus, quatenus a modo deinceps ipsos populos nostros, vel aliquam ex eis, aut successores et posteritates eorum, contra hujusmodi libertates eorum quomodocunque impedire aut cogere non praesummatis gratiae nostrae sub obtentu praesentes literas quoque nostras, quas secreto sigillo nostro in pendenti communiri fecimus, post earum lecturam reddatis praesentanti. Datum Posonii feria secunda proxima ante festum b. Elisabethae viduae anno Domini milles. quadringentesimo sexages. sexto regni nostri anno nono, coronationis vero tertio.

XII.

Literae similes Ludovici II. Regis de Competentia fori vectigaliumque et portoriorum immunitate eorundem populorum a. 1517 editae.

Ludovicus D. g. Rex Hung. etc. fidelibus nostris universis et singulis Praelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis et Nobilibus ipsorumque Officialibus; item Comitatibus, Oppidis et villis earumque Rectoribus, judicibus, et villicis

ac alterius cujusvis status et conditionis hominibus, quibus praesentes ostenduntur, salutem et gloriam. Cum justi pro injustis et innoxii pro reorum excessibus non debeant aliquatenus impediri, fidelitati igitur Vestrae harum serie firmiter praecipien. comittimus et mandamus, quatenus dum et quando et quotiescunque fideles nostri populi et jobagyones in pertinentiis Castri nostri Poson. comorantes aut homines seu familiares ipsorum praesentium exhibitorem pro victuum suorum necessaria acquisitne diversas partes regni nostri perlustrantes, cum rebus et mercibus ipsorum ad vestras terras tenuta, possessiones, honores, et officiolatus ac vestri in medium pervenerint, extunc ipsos suosque homines et familiares praeattactos ad quorumvis instantium in personis judicare vel vestro adstare judicatui compellere, resque et quaevis bona mercimonialia ipsorum populorum et jobagionum nostrorum arestare seu prohiberi facere nusquam et nequaquam praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali; signanter pro debitis, delictis, seu excessibus aliorum; si qui enim quicquam actionis vel questionis contra anotatos populos et jobagiones, hominesque et familiares ipsorum habent vel habuerint; hi id in praesentia judicis et juratorum in Sede judiciaria ipsorum legitime prosequantur, ex parte quorum omni contra ipsos quaerulantes meri juris et justitiae ac debitae satisfactionis complementum exhibebunt prout dictabit ordo juris. Praeterea quia iidem populi et jobagiones nostri antiqua libertatis eorum praerogativa per divos Reges Hungariae nostros feliciter Praecessores ac etiam per paternam Majestatem ipsis gratiose concessa requirer. a solutione cujuslibet tributi et telonii tam per praesens propriis, quam de rebus et bonis ipsorum mercimonialibus fieri debet penitus et per omnia excepti esse perhibentur et supportati; ideo vobis universis singulis tributariis nostris scilicet et aliorum quorumcunque in terris et super aquis ubilibet constitutis et existentibus praesentium notitiam habituris similibus nostriis Regiis damus in mandatis, quatenus a praefatis populis et jobagionibus nostris, hominibusque et familiaribus nec non bonis et rebus eorundem in

locis dictorum tributorum tam nostrorum quam aliorum quorumcunque in eundo et redeundo atque pausando contra libertates eorum nullum tributum, nullamve tricesimarum solutionem petere et exigere petique et exigi facere aliquatenus praesumatis. Ubi autem quispiam ex vobis secus in praemissis facere attentaverit, extunc serie praesentium committimus Fidelibus nostris Comitibus vel Vice Comitibus et Judicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus forsitan hujusmodi mandata nostra non observarentur, ut ipsis scita prius praemissorum veritate mera... Vobis... quemlibet Vestrum ad praemissa observanda non sine vestris damnis et gravaminibus in talibus fieri solitis arctius compellant et adstringant. Auctoritate nostra praesentibus ipsi, in hac parte atributa et justitia mediante. Secus igitur non facturi. Praesent. perlectis exhibenti restitutis. Datum Budae feria 5-a prox. post festum b. Georgii Martyris A. Domini Mill. Quingent. decimo septimo; regnorum nostrorum praedictor. anno secundo.

XIII.

Literae Regis ejusdem de a. 1524, quibus censum per populos Districtus Gelle quotannis pendendum temperat [1]).

Nos Ludovicus D. g. Rex Hungariae etc. memoriae comendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod nos volentes instaurationi Oppidi nostri Gella vocati ac appertinentiarum ejusdem ad Castrum nostrum Poson. pertinentium consulere, quo Cives et

---

[1]) Hae prioresque binae literae, ex Causa ad renovationem horum Privilegiorum suscitata transumtae sunt.

populi in eodem Oppido nostro et pertinentiis suis puta: in possessionibus Beketfalua, Regencze, Kis Lucha, Oo-Gella, Nagypoczfalva, Kispoczfalva, Maczhaza, Csentefalva, Leugeer, Benke Paton, Chechenpaton, Diospaton, Homokospaton, Fézer Paton, Beogöl Paton [2]), Hegysúr, Pénteksuur, Zonch, vocatis comorantes opibus et numero crescere Majestatique nostrae servire comodius possint, considerantes etiam hujusmodi pertinentias ipsius Oppidi multum desolatas et possessiones alias aliquot utcunque ab ipso Castro sequestratas et alienatas esse, censum eorundem ordinario ab antiquo nobis annuatim in tribus terminis, videlicet festivitatibus S. Mich. Archa. Nativitatis Domini et S. Georgii solvendum, qui octuaginta quinque florenos et nonaginta octo denarios per annum hucusque faciebat, ad summam quadraginta octo florenorum et 54 denariorum reduximus et concessimus ita videlicet, ut idem Oppidum nostrum Gella cum pertinentiis suis praedictis posthac singulis annis florenos quadraginta octo et denarios quinquaginta quatuor in uno quoque scilicet praedictorum terminorum florenos sedecim et denarios decem et octo et non amplius perpetuo solvere teneantur. ultra tamen illos octo florenos et denarios viginti octo, quos pro festo pentecostes et illos decem florenos, quos ratione prati nostri per nos ad usum eorum concessi solvere debent; imo reducimus et concedimus praesentium per vigorem ita tamen, quod et solitum munus, puta de una quaqua possessione tempore paschae unum agnellum dare, nonasque frugum persolvere, servitia quoque debita modo alias consveto tam in adductione foeni, quam lignorum ad dictum castrum necessariorum exhibere debeat et teneatur [3]). Quocirca Vobis fidelibus Nostris Magnifico Joani Bornemisza de Berzencze, Castellano et Provisori Castri nostri Budensis ac Comiti Posoniensi, ejusdemque Castellanis, et aliis officialibus in dicto Castro nostro Poson. constitutis, modernis sci-

---

[2]) Notit. praev. § 57.

[3]) l. III. § 88 a)

licet et futuris harum serie mandamus firmissime, quatenus a modo deinceps nullo tempore a praefatis Civibus nostris Oppidi Gela pertinentiarumque ejusdem ultra praescriptam summam recipere seu exigere, recipique seu exigi facere audeatis. Sed eosdem in hujusmodi nostra gratiosa annuentia conservare semper debeatis secus facere nullo modo praesumatis. Praesentes autem, quas secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, in pendenti communiri fecimus, post earum lecturam semper reddi volumus praesentanti. Datum Posonii in dominica invocavit Ano Dni Millesimo, quingentesimo, vigesimo quarto, regnorum nostrorum praedictorum anno octavo.

GEORGII BARTAL

DE BELEHÁZA

COMMENTARIORUM

AD HISTORIAM

STATUS JURISQUE PUBLICI

HUNGARIAE

AEVI MEDII

LIBRI XV.

Usus me genuit, mater peperit Memoria.

Afran. apud Gell. 13. *cap. VIII.*

TOMUS III.

POSONII, 1847.

TYPIS CAROLI FRIDERICI WIGAND.

SERENISSIMO

CAESAREO . REGIO . HEREDITARIO . PRINCIPI

ARCHIDVCI . AVSTRIAE

STEPHANO

REGNI . HVNGARIAE . PALATINO

ET . LOCUMTENENTI . REGIO

CET . CET.

DIVI . IOSEPHI . ANTONII . FILIO

MVNVS . HOC . QVANTVLVMCVNQVE

OLIM . PATRI

MERITORVM . MAGNITVDINE

IMMORTALI . PROREGI

DELICIIS . ATQVE . GLORIAE

IMMO . LVCI . ET . LVMINI . NOMINIS . HVNGARICI

DIEM . SEMISAECVLAREM

A . SVSCEPTO . REGNI . SVMMO . MAGISTRATV

CELEBRATVRO

PIE . DESTINATVM

NVNC . FILIO

PATERNAE . VIRTVTIS . ET . LAVDIS . HEREDI

VELVT . ALTERI . AC . POTIVS . EIDEM

POST . BREVEM . OCCASVM

IN . SPEM . ET . SOLATIVM . ORBAE . PATRIAE

EXORIENTI . SIDERI

IPSO . DIE . XII . NOV . A . MDCCCXLVII

QVO . NVLLVS

AD . DESIDERIVM . POPVLI . EXPLENDVM

AD . LIQVIDA . ANIMI . GAVDIA

AVGVSTISSIMO . CAESARI . ET . REGI

FERDINANDO . H . N . V

CONCILIANDA

DILVXIT . AVSPICATIOR

DEVOTO . SVMMISSAE . MENTIS . CVLTV

D . D . D.

LIBER UNDECIMUS.

DE
REGIO CAROLI ROBERTI
DOMINATU.

Tam varie se gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat.

C. Vell. Paterc. H. R. l. II. c. 101.

XXIV. REX VENCESLAUS BOHEMUS

ab anno 1301 — 1305.

XXV. REX OTTO BAVARUS

ab anno 1305 — 1308.

§ 1.

Perhibendi sunt eo maxime, quod clarissimum constantiae, qua Hungari juri liberae electionis Regum inhaeserunt,

Andrea III. 14-ta Januarii 1301 supremum obeunte, quum paucissimi a Carolo starent, pars Ordinum regni longe frequentissima, Palatino Mathaeo de Trencsén auctore, Venceslao Bohemo (Annae Hungarae Belae IV. filiae nepoti) et hoc se per aetatem curasque duorum regnorum excusante, filio cognomini, coronam deferunt, annos duos et decem nato, dum ea per Joannem Colocensem Archipraesulem incingeretur. Moleste id Bonifacius VIII. tulit et pro Cliente suo contentiori etiam agere studio constituit. Nicolaum itaque Ostiensem Episcopum, Legati instructum auctoritate in Hungariam mittit, qui adflictas Caroli res erigeret; hacque via quum nihil admodum profecisset, Judicis tandem personam summit et diem Romae dicit Regibus, qui de Principatu inter se contendebant. Venceslaus, quod liberis gentis sufragiis Rex electus esset, causam suam Pontificis committere arbitrio, etiam monitus recusavit; facile igitur Carolus obtinuit, ut quum per procuratores jus suum proximiore sanguinis

nexu tueretur, Bonifacius „Regnum Hungariae, a. b. Stephano, cum omni jure et potestate, Eclesiae romanae, oblatum regiamque dignitatem successionis jure provenire, electionis arbitrio non deferri“ praefatus Venceslao dignitatem regiam abrogaret, Carolum Regem nuncupandum decerneret, diris devovendo cunctos, qui huic morem gerere cunctarentur. — Arbitrii hujus ministros se praecipuos Michael et Stephanus, ille Strigoniensis, hic Colocensis Archiepiscopi dederunt, et quidam Procerum, qui anathematis minis, aut per Albertum Caesarem, nam hunc quoque Pontifex ad adjuvandam Caroli causam interpellavit, in hujus traducti partem sunt.

§ 2.

exemplum praebeant,

Haec ubi ad Venceslaum seniorem delata fuissent, ille quidem Michaeli Strigoniensi Archipraesuli vel inprimis iratus, filium cum corona clenodiisque regni, et amplissima praeda in Bohoemiam reduxit; Ordines regni autem Ottonem Bavarum Regem elegerunt. Fuit hic patre Henrico Bavariae Duce, matre Elisabetha Belae IV. filia a. 1261 genitus. Cum itaque unus ex aemulis Regibus avum Hungariae Regem habuerit, erat ille sane vel ob hanc, qua Arpadianam stirpem contingebat, sanguinis necessitudinem, Carolo jure ad adipiscendam Coronam potior. Hanc ei Venceslaus junior, justa ea Procerum regni voluntate intellecta, post mortem Patris, cum jure in Hungariam ultro cessit, emensis deinde suscepti cum ea in Hungariam itineris periculis, per Benedictum Veszpremiensem et Antonium Csanadiensem Episcopos Albae Regiae solemni ritu capiti ejus impositam. Neque tamen diuturnum Ottonis regnum fuit; quod Clemens V. eadem, qua Bonifacius V. III. non modo muneris apostolici, sed supremi quoque in Hungariam dominii causa [1])

---

[1]) Verba Raynaldi sunt Annal. Ecles. T. XIV. ad a. 1302 num. 19.

ductus, ab illius constitutione, diffinitione, declaratione, voluntate, mandato, censuris, transversum unguem non se discessurum qua verbis, qua factis perhibuerit, eveneritque postea insidiis Alberti Caesaris, ut Otto per Ladislaum Ducem Transylvaniae, ad quem tamquam, futurum socerum suum mense Maio **1307** concessit, captivus detineretur, praevalentibus interea Caroli partibus, etiam postquam libertati restitutus esset, solo tantum regis titulo usus.

XXVI. REX CAROLUS

ab anno 1307 (rectius 1310) — 1342.

I. De Coronatione Caroli Regis.

§ 3.

Pontificum Maximorum auctoritate a. 1300 et 1308.

Hic literis suis fatetur sponte, neque semel sed rursus ac iterum: res suas, dum Hungariam ingrederetur eo fuisse loco, ut fere omnes Regni Barones vel major pars pro domino naturali eum recipere detrectarent [1]); tamen principium regni ab anno **1300** computat, quod Andrea licet etiam tum sospite, jussu Bonifacii VIII. et quibuscunque Gregorii Strigoniensis artibus anno hoc coronatus, seu quod Timon ait, unctus erat. Postea Viennae aliquamdiu moratus, quam parum roboris inaugurationi illi, Ordinibus regni clam peractae infuerit, ipse maxime perspexit. Egit igitur et per se et per Caesarem Ducesque Austriae impensissime, publicis ut Comitiis Rex renunciaretur. Celebrata haec sunt apud Eclesiam b. Petri in Rákos (Octava Octobris **1307**), Carolo coram, qui pu-

---

[1]) Cod. Dipl. VIII. vol. 2. p. 63 et vol. VII. p. 189.

blico horum decreto „cum posteritate sua, prout regalis successio exigeret, in Regem Hungariae ac naturalem Dominum susceptus est“ [2]). Sed enim his legatus Pontificis a. **1308** Hungariam ingressus (Gentili nomen) non modo non acquievit, verum, quod paucorum hanc consensionem fuisse, plurimosque alienum etiam tum a Carolo animum gerere adverteret, eo majorem sibi diligentiam adhibendam ratus est, ne Regi, quem Pontifex jussisset, ad adipiscendam auctoritatem hanc, Ordinum regni opus esse suffragiis videretur. Itaque Carolum non a nupera electione, sed octo annos ipsos sedis Romanae auctoritate Regem esse; illum igitur decreto suo confirmandum vulgavit; simul Ladislao Transylvaniae Vajvodae, ut constituto tempore coronam redderet, imperavit, addiditque: „eandem ni reddatur, profanam habitum iri; hungaricae nempe simplicitatis id esse praejudicium: non alium agnoscere Regem, quam qui hac corona insigniretur; si proinde Vajvoda in ea restituenda moram necteret; aliam Carolo a romana Eclesia paris dignitatis in prioris locum tradendam eo maxime, quod civilia bella omnia ex hungarica in coronam s. Stephani superstitione hactenus sequuta sunt.“ Hac legati arrogantia prae caeteris Palatinus Mathaeus et Ladislaus Vajvoda et plerique eorum etiam offensi sunt admodum, qui a Carolo stabant constantissime. Neque eo minus res, uti caepit, porro quoque acta. Comitiisque in octavam festi s. Martini a. **1308** per Legatum illum coactis, auspicatisque, etsi non modo Nobilium, sed Baronum quoque fuerint plures, qui „nolle se Regem imponi sibi; Regem velle, quem ipsi ex antiquo et aprobato regni more liberis suffragiis eligerent“ voce alii, alii signis non obscuris testarentur; Carolus „cujus in regno Hungariae successio legitima, per Eclesiam Romanam exstitit declarata“ per Legatum illum „in ejusdem regni verum Regem ipsius Eclesiae Romanae nomine confirmatus est et praedictae

---

[2]) Cod. Dipl. VIII. v. 1. 221.

ipsius Eclesiae Romanae nomine acceptatus". Ex quibus intelligi par est: Comitia haec non Regis, non Palatini [3]) sed Pontificis auctoritate concita, non hoc solum, sed eo vitio fuisse vitiosissima, quod intercepta deliberandi decernendique facultate, ad solam modo executionem dirigebantur Pontificum sententiae hujusmodi, cui nisi, autonomia regni, et legitimi in hoc Imperii Majestate subruta, oppressaque libertate gentis, locus non erat. Minus recte igitur literae per Notarios Gentilis de hoc, ut ipsi vocant, Concilio apparatae [4]) apud Kovachichium Instrumentum electionis Caroli I. inscriptae sunt, velut quae aut Instrumentum de Carolo per Sedem Pontificiam constituto, ejusdemque auctoritate sedis confirmato Hungariae Rege, aut praeeunte Oldoino [5]), Decretum Gentilis de Carolo Rege confirmato inscribendae erant. Haec a. 1308; postero legatus is, quod unum ad implendam fidem minarum suaram deerat, cum non tam jactis, quam sparsis jam in immorigeros fulminibus sacris, ad horum ferme inopiam se redactum sentiret, novum fabricari Diadema curavit, hocque per manus Thomae Strigoniensis Archiepiscopi die 15. Junii vertici Caroli imposuit, praestito prius et accepto vicissim ab his, qui aderant, fidei juramento. Illius summa [6]) fuit; Rex ut fidem catholicam teneat, Eclesiam defendat, Regnum sibi commissum et jura regalia non imminuat, nec alienet, sed potius augeat, et male alienata hactenus, secundum datam sibi gratiam, ad jus pristinum

---

[3]) Confer, quae Kerchelich per Joann. Archid. de Guercse coaevum hanc in rem notata, in Hist. Ecl. Zagr. T. I. p. 201, et Prayus Annal. P. I. p. 384 dedit.

[4]) Raynald. o. c. T. XV. ad a. 1308 num. 23. Péterfy Conc. Hung. T. I. p. 150. Vest. Com. p. 160.

[5]) Vitae et res gestae Pontificum T. II. p. 330 in Gentili Card. „illum (Carolum) Decreto suo confirmavit."

[6]) Literas super Coronatione Caroli itidem per Notarios Gentilis Cardinalis confectas edidit Ignat. C. de Batthiany LL. Eccl. T. I. p. 460. Kovachich Vest. Com. p. 170.

revocet. Nobiles regni sui Hungariae in aprobato et antiquo jure servet, atque a Tyrannorum oppressione eripiat; legitimo tantum conjugio utatur et neminem sine justi legitimique judicii examinatione condemnet et de terra deleat.

§ 4.

legitime vero anno demum 1310 peracta.

Vicisse jam et missionem pro virili peregisse sibi Gentilis videbatur, quum omni hac sua suorumque opera, qua in sinodo Posoniensi, itemque Udvardiensi poenas per Bonifacium VIII. et Clementem VIII. in quosque, qui Carolum pro Rege naturali Hungariae non reciperent, constitutas innovavit, non auctoritatem Caroli obfirmatam, verum se et Sedem romanam in gravissimam adductam esse invidiam undique allatum est. Vertere itaque consilium et cum Ladislao Vajvoda de restituenda corona quoquo demum impendio pacisci, inireque cum moribus patriis gratiam in animum induxit. Quo invulgato, quando ea jam erat rerum per Hungariam omni malorum, quae discordiam civilem comitantur, genere diu multumque vexatam facies, prorsus ut confuso recte perperamque facti discrimine, absque jure legibusque esse videretur; hi etiam, qui Carolo quam maxime adversabantur hactenus, partim jam non nolebant, partim vero cupiebant Regem eum solemniter declarari. Post recuperatam itaque opera Thomae Strigoniensis coronam, Ordines regni celebrato in campis Rákosiensibus 1310 generali conventu Carolum in Regem concorditer susceperunt et Albam properantes feria V. in octavis s. Regis Stephani (27. Augusti) solenniter coronarunt [1]). Legatus Pontificis utrinque

---

[1]) Chron. Thuroczii II. cap. 89. Cujus ex sensu ita de his a. 1310 Comitiis Bonfinius Dec. II. l. IX. „Spectantes haec sibi interdicta commoda Hungari . . . et cadaveribus passim sepulchra

aberat. Sic nempe Ordinibus regni visum, ne ex praesentia ejus liberae electioni olim damnum creetur. De computatione tamen annorum regiminis Caroli nihil provisum. Hac itaque parte veteris monimentum arbitrii mansit.

---

inhiberi, aeque commoti omnes regalia in Campo Comitia, quem Racon circa Pesthum appellant, uno consensu haberi oportere censuerunt. Quo postquam omnes Optimates, Nobilesque convenere cum Decuriis Conventuum, quos Comitatus appellant, cunctis sufragiis ac mira concordia Carolum Regem creant, et octavo post divi Stephani solemnia die in Alba Regali Sacro Diademate, quod Ladislaus Vajvoda paulo ante reddiderat, a. 1310 ex more coronant".— Atque horum frequentiam, concordiamque Comitiorum Raynaldus Oldoinus, cet. forte an sponte, pro Conventus a. 1309 per Gentilem coacti celebritate acceperunt, sicque rei, quae una omnium maxime invisa plurimis fuit, faustissima illa nomina obtendendo, incautos lectores in errorem induxerunt.

II. De modo imperii Caroli Roberti generatim.

§ 5.

Ut Carolum M. d. Stephanus olim, sic Carolus Robertus Justinianum Imperatorem spectabat,

Tempus erat aliquando, quo Legistarum, Decretitarumque nomina longe clarissima, ac eapropter nec id offensionis quidpiam habere videbatur, quod sola tantum Justiniani et Pontificum Romanorum Decreta, Juris, Legisque scriptae nomine dignabantur; statuta, mores, consuetudines apellando quidquid aliud, quod uspiam pro norma actionum, officiorumque rite ac recte constitutum in usu esset [1]). Praecipua Juris Justinianei fuit opi-

---

[1]) Confer Meyer cit. in Not. praev. op. T. IV. p. 180.

nio. Quae simul atque hoc, anno **1137** detecto Amalphitano Codice vel revixit, vel renatum est, diffusa latissime, per Hungariam quoque serpsit, et aetate Belae IV. nec minori hujus, quam Friderici Imp. [2]) haud scio, an majori etiam favore, tantum robur accepit, ut, quemadmodum diximus antea, nimium Juris illius studium Innocentius IV. reprehenderet [3]). Nihil tamen neque hic, neque ceteri Pontifices profecerant, qui suis delectati Decretis, haec non in scholis tantum, sed tribunalibus etiam praevalere perquam cupiebant: Hungari namque non modo Bononiensem Parisinamque Juris illius adire scholam perseverarunt [4]); verum erecto, aut saltim instaurato circa a. **1260** ad ejusdem cultum Juris Gymnasio Patavino tam frequentes nomen dederunt, ut coaevo hujus statuto inter tres et viginti nationes, in ultramontanis, quarto loco numerarentur [5]). Plures denique studio huic, domi, in schola

---

[2]) Joann. Gottl. Heineccii Hist. Juris Rom. et Germ. P. II. c. 3. § 60.

[3]) Supra l. IX. § 33.

[4]) Savigny o. c. Volum. III. p. 187 et 349.

[5]) Antiquissimum Gymnasii hujus Statutum ita habet: „De numero nationum. Cap. 2. Volentes certum numerum ponere nationum statuimus, quod quilibet scholaris Juris canonici vel civilis ultramontanus, vel citramontanus sub una de viginti duabus nationibus infrascriptis inscribi debeat. Quarum decem ultramontanorum esse volumus, et duodecim citramontanorum. Ultramontanorum sunt haec. Teutonicorum habentium duas voces una: Boemorum una: Polonorum una. Ungarorum una: Provincialium una: Burgundorum una: Anglicorum una: Cathalanorum cum Hispanis una: Ultramarinorum una, quae Cypra vocatur, Scotorum una". Ex Statut. spectab. et almae Univ. Juristar. Patavini Gymn. edit. a. 1550. De quibus vide sis plura apud Savigny l. c. p. 277 et seq. Id obiter adnoto ad novam et ultimam Statutorum horum reformationem, susceptam a. 1543, ex transalpinis legum studiosis Petrum Grangia Pannonem et Franciscum de Plancam Gallum electos esse, qui ad consortium „gloriosi laboris" hujus adhiberentur.

Veszpremiensi dabant operam. Quo factum, ut Legistae stylum Curiae Regiae, mox Curiam ipsam Regiam occuparent, plurimaeque Justiniani leges et axiomata, cum in Diplomatibus aliis, tum vero sententiis Curiae Regiae adhibita civitate hungara donarentur [6]). Quid? quod ipsi constitutionum Decretis Andreae III. sancitarum auctores, quadam non obscura Imperatoriarum Pontificiarumque Legum verecundia, non eas: leges, sed art. 5, 29, 44: 1298 constanter: Statuta compellent [7]). Quae omnia peropportuna acciderant Carolo, ad Majestatem Numinis Justiniani, auctoritati suae asserendam [8]).

---

6) Apud Katona Hist. Cr. T. VI. p. 1115, 1123. Sententia exstat Curiae Regiae Andreae III., cujus verba haec: „utrorumque jurium legitimae sanctiones, et non levis auctoritatis totius regni nostri mos vulgatus" dicta satis confirmant. Quod ad alia Diplomata: Bela IV. de a. 1253 (IV. v. 2. p. 173) „Actore nil probante, reus, etsi nil praestiterit, absolvendus est" Ladislaus IV. in literis de a. 1276 (VII. v. 2. p. 46) „jus publicum consistere in Magistratibus, sacerdotibus et in sacris". Quae ex l. 1. D.; sequentem vero literarum ejus de a. 1272 (V. v. 2. p. 504) sententiam: „cum palam sit, secundum juris civilis statuta, natalibus suis a Principe restitutos, ad eam libertatem redire, in qua omnes homines fuisse, ante juris gentium potentiam, dignoscuntur" ex novellis Justiniani; illud autem Elis. Reginae (V. v. 2. p. 191): „cum justitia sit virtus, jus suum unicuique tribuens" ab Ulpiano (P. I. h. t. L. 10) sumtam esse, nemo harum rerum prudens, non intelligit. Perspicit vero simul, quantum recentiores quidam scriptores in auctorem juris consuetudinarii Hungariae peccent, dum eum quaedam ex jure Justinianeo operi suo inconsulto attexuisse cominiscuntur; cominiscuntur, inquam: nihil enim horum non ab aetate Andreae III., si non Belae IV., in usu apud nos fuit.

7) Ipse adeo Verbőczius, quando Part. II. tit. 6. cet. pro legibus, moribusque Hungariae, municipalem consuetudinem, municipales leges posuit, non tam Juris consulti hungari, quam proprio Legistarum more locutus est.

8) L. I. Princeps f. f. de legibus. Auctorit. vero Reg. extend.

§ 6. Instit. de jure nat. gent. et civ. l. 1. § 1; l. 1. D. de const. Princ. IX. D. ad legem Rhod. de jactu. L. 1. cod. de sacro sanct. Eccles.; l. 1. cod. de legibus; Nov. 69. c. 1. pr. De vulgato Juris consultorum Galliae sec. XIII. axiomate: „Ci veut le roi, ci veut la loi" vide: des assemblées nat. en France par M. le Baron de Pansey. T. I. p. 160.

§ 6.

ex cujus legibus,

Hic privilegia collata per Andream III. aspernatus, pari Decreta quoque ejus loco habuit, et suopte ingenio, quod in singularem potentiam, quam Principatum propenderet magis; et pervulgatissimi fiducia judicii, quod Patruus d. Ludovicus Rex Galliarum hujus nominis nonus, per Magnates Angliae ac Henricum III. delectus arbiter, de provisionibus Oxoniensibus tulit [1]. Ita namque persuaserat sibi, uno eo tempore, eodemque edicto horum etiam peractam esse causam Decretorum Andreae III., ut quae maximam partem ex iis essent derivata.

---

[1]) Vide Matthaeum Vestmon. p. 125 et seqq. Sententiam vero s. Lud. in Acheryi spicil. edito a. 1723 T. III. p. 642. „Ludovicus D. gr. Francorum Rex cet. Attendentes, per provisiones, statuta et obligationes Oxonienses, et per ea, quae ex eis, et occasione earum subsecuta sunt, juri et honori Regio plurimum fuisse detractum, Regni turbationem, Ecclesiarum depressionem, et depraedationem et aliis personis ipsius regni ecclesiasticis et secularibus, indigenis et alienigenis gravissima dispendia provenisse, et quod verosimiliter timebatur, ne graviora contingerent in futurum; communicato bonorum et Magnatum consilio: in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. praedictas provisiones, ordinationes et obligationes omnes, quocunque modo censeantur, et quidquid ex eis et occasione earum subsecutum est, per dictum nostrum, seu ordinationem nostram cassamus et irritamus — ordinantes, quod tam dictus Rex, quam Barones et alii, quicunque praesenti compromisso consenserunt, et de

praedictis observandis se quoquomodo adstrinxerunt, se de iisdem quietent penitus et absolvant. Item dicimus et ordinamus, quod libere liceat praedicto Regi Capitalem Justitiarium, Cancellarium, Thesaurarium, Consiliarios, Justitiarios minores, Vice Comites et quoscunque alios officiales et Ministeriales regni sui et domus suae praeficere, instituere, destituere, et amovere, pro suae libito voluntatis, sicut faciebat, et facere poterat ante tempus provisionum praedictarum. Nolumus autem, nec intendimus per praesentem ordinationem derogare in aliquo regiis privilegiis, chartis, libertatibus, statutis et laudabilibus consuetudinibus regni Angliae, quae erant ante tempus provisionum ipsarum. — Ambyanis in crastina b. Vincentii Martyris a. D. 1263 mense Januario."

§ 7.

supremae auctoritatis suae rationes computabat.

Regnata itaque est deinceps Hungaria adstrictius, tulitque discordiis civilibus fessa Dominum illum; nec tulit modo, sed ad prima severitatis ejus indicia, meliorem etiam erga eum induisse animum regnum videbatur, quod „sub priscis Regibus libertatis gloria, nobilitatis decore, sinceritate fidei, opulentia rerum et jucunda populi frequentia praepollens, in maximam servitutis miseriam, ignobilitatis injuriam et gravissimum populorum excidium corruisse" Cardinalis Gentilis ex vero, nec sine gemitu queritur [1]). Itaque jam Andreae, si pereuntibus patriae rebus occurrere secus non posset, arcessendi ab exteris auxilii facta potestas [2]). Cujus usu intermisso, adiit regnum Carolus, omni genere improbitatis quasi inundatione obrutum [3]); eripuitque illud discrimini, Marte quidem

---

[1]) Cod. Dipl. VIII. v. 5. p. 52 „Non potest a piis animis absque gemitu cogitari, regnum, quod sub priscis Regibus" cet.

[2]) Art. 6: 1298.

[3]) Verba recollige auctoris anonymi artis notarialis sub Lud. I. Lege p. 2 et 3 apud Kovachichium; et ex tenore literarum Benedicti

suo, sed facto omni supremae auctoritatis ex sententia Juris Justinianei usu, cui uni Legis, nec Legis tantum, sed Rationis scriptae competere nomen sectatores ferebant. Quod nosse plurimum interest. Ad hanc enim Legistarum arrogantiam respexisse Mathias Corvinus videtur, quando Decretum suum majus [4]) pro perpetuo regni ipsius (non itaque Imperatorum, non Pontificum [5]) Decreto, ac Statuto, et pro lege ac jure scripto tenendum ac habendum sanxit [6]).

Csanadiensis et Ivánka Varadiensis, Episcoporum sequentia: ,,qui status intranquillus cum per divinam gratiam et per illustrissimi Domini Caroli Regis Ungariae industriam jam in melius est conversus, ita ut viarum discriminibus et tyrannorum oppressionibus per eundem jam cessantibus et repulsis, libere pateat cuilibet requisitio sui juris". C. D. VIII. v. 7. p. 133.

[4]) Praef. hujus §. 2 et 13 et denique art. 78 seu confirmatione Decreti hujus.

[5]) In form. art. not. Ludovico I. Rege observatis et per Kovachichium editis Juris scripti nomine Eclesiae canones p. 29 ad num. 47; pag. 128 num. 190 in verbis: transactis enim decem diebus, secundum juris scripti ordinem sententia definitiva (nisi appellatio intercedat) transit in rem judicatam; numero item 144: Clerici in jure scripto vocantur: sacerdotes, vel in sacris ordinibus positi.

[6]) Hoc ad ea, quae T. II. supl. ad Vest. Comit. p. 229 de clausula hac operose disputantur per Kelemenium Hist. Juris p. h. p. 216 indicata.

§ 8.

Lex Caroli Roberti Regia,

De lege regia, et formula: lege dictante regali, ex qua de Feliciano Zach et infelicissima post natos homines filia ejus Clara, aliisque ejusdem stirpis judicium a. 1330 factum est, nemo quod sciam explicuit. Neque

hoc ego miror; quando Edicta, in quibus plurimus vocum harum, pro lege simul Majestatis sumtarum Carolo usus [1]), tantam ultionis perhibent acerbitatem, ut ab his nostra hac aetate nemo ferme sit, qui non animum quamprimum avertere, quam ad originem formulae illius exquirendam attendere satius putet. Nos ipsi, quas nobis suscepti operis ratio imponit, partes post ea, quae de Juris Romani existimatione Majorum nostrorum, paullo ante retulimus, properanter decurremus. Lex Regia Caroli eadem, quae Octaviani Augusti et sequentium Imperatorum fuit, descripta per Dionem Cassium [2]), quem deinde Heineccius [3]) interpretatus est. Principatus Carolo placuit solutus legibus, cui quidquid olim Populo, Consulibus, aliisque cum pleno imperio Magistratibus Romae veteris licuit, facere uni liceret; Sacro sanctus esset, et plenam mutandae, migrandaeque legis cujuscunque haberet potestatem. In eos igitur, qui Majestatis arcesserentur, non patriis d. Stephani, et Colomani [4]), imo ne Romanis quidem legibus iis teneri voluit per Arcadium et Honorium conditis [5]), quarum ex rigore non Majestatis solum rei, bonis in Fiscum redactis, gladio feriebantur; sed filii quoque ad eam redigebantur inopiam, cui mors solatio, vita suplicio esset. Parum quippe hoc Carolo, in alia intuenti exempla Imperatorum, qui hac in re asperitatem legum Macedo-

---

[1]) Sententiam in Felicianum Zach vide sis in Suplemento ad vestigia Comit. Kovach. T. I. p. 268. Aliam similem C. D. VIII. v. 2. 389. Legem suam Regalem Carolus etiam VIII. 2. p. 398. 4. p. 659 commemorat.

[2]) Libro 53 edit. Joan. Leunclavii Hannoviae a. 1706 pag. 750 seqq.

[3]) Antiquit. Romanarum Jurisp. illustrant. Syntagma. l. I. tit. II. c. 52 et seqq. Hist. Juris Romani ejusdem l. 1. c. 3, § 168 et seqq.

[4]) S. Steph. l. II. c. 35 et 51. Colom. l. II. c. 6.

[5]) Heineccii Antiquit. Romanar. P. II. l. IV. tit. XVIII. c. 46 et seqq.

nicarum sequendam rati sunt[6]). Fuit vero haec ejusmodi, ut non reus solum Majestatis, sed qui hunc generatione attingerent, usque ad tertium hujus gradum et vitam et bona perderent; horum intra eundem gradum propinqui in servitutem redigerentur. Ex quibus, quid lex regia Caroli? unde domo fuerit? quave alterius in perduelles legis comitata horrore, in Hungariam pervenerit, satis, credo, intelligitur.

---

6) Rubino Untersuchungen über Römische Verfassung und Geschichte p. 480. Confer Curtium l. VI. c. 11 num. 20 et l. VIII. c. 6 num. 28. De Persis Ammian. Marcellinus l. XXIII. „ob noxam unius omnis propinquitas perit". Consentit his illud Claudiani ad Honorium:

„Rarus apud Persas Regum cruor, unaque toti
„Poena manet generi"

§ 9.

familiaris item loquendi formula „ex plenitudine potestatis regiae" inde sumta.

Verba „ex plenitudine gratiae Regiae" et aliis Regibus nonnullis, et praesertim Ladislao IV. usitata; neque axioma „auctoritate plena ac potestate nostra Regia" incognitum; sed formula „de plenitudine potestatis Regiae„ sensu juris civilis Romani accepta, apud Gallos Philippus Pulcher [1]), apud Hungaros Carolus Robertus delectabatur maxime [2]). Hoc Rege usuvenit, abiitque in morem, ut quae etiam in Comitiis, Consiliisque publicis

---

1) Vide apud auctorem „Des assemblées nationales en France" citatum pag. 175, T. I. locum operis „l'Art de verifier les dates."

2) Maxime inquam; jam enim Bela IV. a. 1265 (IV. 3. p. 265) suplentes, ait, defectum, si quis in ipsa donatione esset, de nostrae plenitudine potestatis.

constituta Rege auctore essent, **Privilegia** vocarentur [3]), nemine, qui antiquitatum, legumque Romanarum non plane rudis esset, vocabulum hoc abnuente. Ex quibus quum Rex lege, uti diximus, superiorem se ferret, huic itaque derogare pro arbitrio posset suo, **Praefectionem** per Carolum Regem, contra veterem apud nos successionis ordinem institutam, temperatam deinceps legibus, hodieque inter modos acquirendae nobilitatis familiaris jurisque possessionarii numeramus [4]).

---

[3]) Auli Gelii noct. Att. l. X. p. 20.

[4]) Lit. Car. pro consorte Pauli Magyar (VIII. v. 3. p. 592) aliae item IX. p. 525 pro Clara Feyregyházi, et Ludovici pro nuru Thomae Vajvodae Transylvaniae. Primae ita habent ,,Margaretha filia Ladislai Paulo Magyar nupta, de Praelatorum, Baronum consilio et consensu praefatam Margaretham, cui Dominae, licet de jure naturali, atque positivo haereditas deberetur paterna; tamen quia huic juri repugnat observata ab antiquo regni nostri Hungariae consuetudo, quae nonnisi masculum haeredem in patriam haereditatem succedi permittit, non obstantibus hujusmodi consuetudine, statuto, sive dispositiva ordinatione, de speciali Majestatis nostrae gratia et plenitudine Regiae potestatis ac Magnificentia Principali, in verum constituimus haeredem.“ Quibus ceterae quoque similes sunt. Idem ex plenitudine hac potestatis (VIII. 2. p. 373) relaxat omnia judiciaria gravamina, quae in Joannem filium Gregorii, filii Doroszló Aulae suae parvulum, post patrem suum, sunt devoluta. Nostrae hujus, Gallorumque de plenitudine Regiae potestatis clausulae gemina soror est alia ,,non obstante“ qua Angli similem apud se auctoritatis regiae circa tempus hoc usum significant. Hallam o. c. Vol. II. p. 227, 228.

§ 10.

Supremos Comites delegit, quos sibi obsequentissimos comperit, hosque pluribus simul praefecit Comitatibus.

Jam a principio Monarchiae hungaricae constitutum, plurimis deinde confirmatum legibus est, singulis ut sin-

guli Comitatibus Moderatores essent. Carolns, ut quemque voluntati suae obsequentissimum, idemque ac unum secum tendere comperit, pluribus ac nonnullos quinis praefecit Comitatibus [1]). Atque hoc ille consilium in deligendis quoque castrorum Praefectis (Castellanis) sequutus est [2]), ut rei civilis aeque ac militaris procuratione in paucorum collocata manibus, addictissimorum sibi omnem administrationem publicam ad modum redigeret, qui rationibus Imperii sui congrueret quam maxime.

---

[1]) Joannes Drugeth Palatinus Simeghiensi simul, Tolnensi, Bacsiensi, Albensi, Zempleniensi et Unghensi provinciis praefuit. Apud Wagner Dec. III. Coll. illustr. Fam. p. 34. M. Dausa Vice Regiae Majestatis Persona Judex et Comes in quinque Comitatibus: Bihar, Szabolcs, Szathmár, Zemplén, Szolnok scribitur C. VI, v. 2. p. 340. Seculo XV. et deinceps inde aliquamdiu contrarium; fide enim literarum ex Congregatione regni Pestana a. 1446 editarum productarumque per Katona H. C. T. XIII. p. 476, mos obtinuit, Comitatui uni plures simul praeficiendi Comites. Quorum neutrum Legibus et literae quidem nunc excitatae neque sibi cohaerent; in principio enim Comitem, post deinde Comites memorant.

[2]) Itaque Comes Alexander Judex Curiae ejus, Castellanus de Bisztricze et plurimorum castrorum juxta flumen Vagi fuit.

III. Summa politices Caroli.

§ 11.

Praecipua ei auctoritatis suae et mediorum, quibus principium honoris Institutis rerum publicarum regii generis proprium alitur, cura:

Carolus erat ille quidem suapte natura copiosissimo ingenio et ad excogitandum peracuto, neque se non amabat valde; semper tamen plurimum in delectu virorum posuit, quorum prudentia, solertiaque, suas illas animi

opes reddere locupletiores posset. In his Philippus [1]) et Joannes [2]) Drugethii praecipui. Quos Salermo oriundos, seque in Hungariam secutos primis Aulae, Regnique Magistratibus admovit, hacque constanter distinxit fiducia, ut sine illorum suasu gravioris poene rei nil adgrediendum sibi putaret. Horum igitur adjutus consiliis media, quae ad firmamentum Monarchiae, quoquo modo facerent, exquisivit, adhibuitque ferme omnia. Et quidem cum charitate populi parum confideret, in parandam praeprimis auctoritatem, incubuit tam naviter, ut quae operis de „spiritu legum", auctor hanc in rem praecipit, pleraque aut prior ab aliis didicisse, aut suo occupasse ingenio videatur.

---

1) Ab anno 1322 usque a. 1328 munere Palatini functus.

2) Philippum Villermus, hunc Joannes Drugeth in primo illo regni Magistratu a. 1330 sequutus, biennio post filio suo Vilhelmo locum fecit usque a. 1342 Palatino, cui Nicolaus Giletti succedit in Serie Palatinorum Prayi.

§ 12.

Aulam itaque ad omnem Magnificentiam exornavit.

Jam primum, ne si frequens cum populo agat, consuetudine hac aliquid ex Majestate depereat [1]), Regiam suam, Temesvarini aliquamdiu, post in arcem Visegradiensem, Danubium prope, loco praecelso et edito sitam [2]), abdidit, et ad augendam verecundiam, admirationemque magnitudinis suae, omni cultus, splendorisque genere adornavit, ut si Persarum, in utraque re hac imitari consuetudinem voluisset. Heroldos Carolo anteire viderunt

---

1) „Majestate salva, cui major ex longinquo reverentia". Taciti Annal. I. c. 47.

2) In literis ejus pro Visegrado saepius: „altum castrum" ponitur.

Majores nostri, virosque plures, quos magno quidem ortu, Regio tamen sanguini haud mixtos Carolus, persico itidem more, Proximos et cognatos suos appellavit [3]).

---

[3]) Ita non modo Boleslaus Archiepiscopus Strigoniensis (e genere Ducum Tostensium) C. D. VIII. 2. p. 451 sed Thomas quoque Vajvoda Transylvaniae, filius Farkasii, Proximus Regis in literis hujus vocatur. VIII. v. 3. p. 679.

§ 13.

Appellationes honorum novis titulis, et insignibus auxit.

Idem ad inflammandum sensum honoris civilis Magnifici axioma, quo adhuc Reges utebantur, Baronibus regni cessit [1]); Nobiles vero et honestos viros Vice-Comites Judicesque Nobilium appellavit, et literas, quas ad Comitatus dedit, Vice Comiti, Judicibus Nobilium, nec non Nobilibus universis Comitatus [2]) inscripsit; appellatione familiae Regis, et familiarium, ad necessarios Aulae reducta [3]). Plures insignibus armorum, quibus pro ingenio seculi scuta ornarent, et in pugnis, certaminibus ludicris, hastitudiis uterentur, distinxit genere utique no-

---

[1]) Ad modum Literarum VI. Idus Januarii 1327 „per manus discreti viri End. Alben. Ecl. Praep. Aulae suae Vice Cancellarii Boleslao Strigon. cet. Magnificis Baronibus Philippo Palatino Comite Scepusiensi et Uyvar ac Judice Cumanorum, Demetrio" cet. editarum.

[2]) C. D. VIII. v. 4. p. 277.

[3]) Ad ejus aetatem phrasi hac crebro utitur Chron. Bud. p. 236 „In quo praelio de familia Regis, Kokos cet. praeclari Nobiles corruerunt." p. 249 „cum militibus aliis de familia Regis." Ita Lud. I. in don. a. 1351 Stephanum Vajvodam Transylvaniae Consiliarium et familiarem suum appellat.

biles; inferiori enim loco natos, literis pigmenta ejusmodi referentibus, in ordinem horum cooptandi mos sequioris aevi est[4]).

---

[4]) Czimerarii (pictorem significat) vocabulum, primum, quod sciam, in literis Caroli occurrit, quo (Nicolaum filium Hertul) pictorem agro Megyesiensi in provincia Sopron. donat. Ex collect. M. Horváthii, laudati per me saepius.

§ 14.

Equites auratos et societatem fraternalem, cui titulus „militiae S. Georgii" instituit.

Equites, quibus ab aureis calcaribus auratorum nomen, primus creavit Carolus[1]), societatemque fraternalem instituit, indito huic militiae S. Georgii nomine[2]). Hujus socii more militari secuti Curiam, ex instituto suo quidquid sinistri adversus eum aut regnum audivissent, referre ad illum tenebantur[3]). Sociorum Judices duo: alter Laicus, Clericus alter. Praeter hos non Regi, non alteri cuiquam de societate, Juris iisdem dicundi potestas erat. Qui societatem ingredi in animum induxit suum, per Cancellarium Regi revelandus, ad Rescriptum quidem hujus, neque

---

[1]) Apud Murator. T. II. „Quinquaginta milites (hungari) ad aurea calcaria circumstipabant reginae (Elisabethae Romam ingredientis) rhedam. Confer hoc etiam Pauli de Paulo apud Schwandtn. T. III. p. 724 „in cujus (Mariae) coronatione multi milites facti sunt" ad aurea scilicet calcaria.

[2]) C. D. VIII. v. 3. p. 103. IX. p. 439 a Consiliis ei circa a. 1341 fuere: Petrus Episcopus Syrmiensis, Thomas Vajvoda Transylvaniae et Paulus de Martinsdorf.

[3]) Exploratores igitur concupivit habere, quales erant Syracusis, qui potagogidae appellabantur, et Otacustae, quasi delatores et auscultatores dicas. Arist. Polit. l. V. c. 9.

tamen secus, quam si annuerent socii, aditum nactus est. Novis leges has Carolus a. 1326 curis revidit, numerumque sociorum in capitibus quinquaginta fixit, adjecta conditione: singulis ut mensibus, omnes, qui de societate ad Curiam Regis fuerint, convenire, et de bono statu Regis et Regni, communique horum tractare utilitate debeant.

IV. Status Hiearchiae Eclesiae Hungaricae aevo Caroli Roberti.

§ 15.

Per questum divitıarum, quem Rex non minus, quam Pontifices consectabantur, priori multum dissimilis,

Parvulis initio rebus dum esset, egeretque ipse, liberalis videri voluit [1]), post ubi copiis circumflueret omnibus, gratiam quoque vitae locupletioribus rerum capitalium reis pretio [2]) vendidit. Joanni Episcopo Nitriensi dignitatem perpetui Comitis loci jam a. 1302 [3]), Stephano Veszprimiensi a. 1313 itidem Comitatum loci pro decimis de insula Csepel contulit; Thomae Strigoniensi Archipraesuli provinciam Comaromiensem a. 1317; triennio post hujus loco Barsiensem habendam dedit. In principio terras castri a terris regalibus distinxit: ut eas abalienatas praetensa divi Stephani lege recuperaret facilius, post deinde has quoque regales appellavit. Idem cum videret ad Curiam Romanam nomine servitii, servitiorumque communium et census annatarum [4]) novas vectigalium per

---

[1]) Prorsus ut illud ad animum ejus accidisse videatur Strabonis (l. IX. p. 636) consilium „Regium persuadendi genus est, cum beneficiis ducunt et alliciunt; cogunt armis''.

[2]) C. D. VIII. 4. p. 592 cet.

[3]) C. D. VIII. 1. p. 94.

[4]) De his Szvorényius o. c. Fasc. IV. plura. Confer etiam VIII. 2. 101. Perquam graves praeterea Eclesiis nonnullis sumtus erant

quosque jam Praelatos pendendorum species institutas, fiducia exempli, egit et ipse ut Archi-Episcopi ducentas, Episcopi quinquaginta marcas argenti aerario regio, xeniorum nomine, quotannis inferrent. Quod quidem eos invitos praestitisse, nondum adducor, ut credam anonymis sacerdotibus contra Carolum coram Pontifice questis [5]), tum quod hi eo Hiearchiae gradu steterant, ut se ad Regis consilia, quae tamen Praelatis nunquam non patuerunt, aditum non habere ultro fateantur; tum vero, quod cum cogi se ad militiam faciendam; bona Praelatorum decedentium ad rationem Fisci Regii administrari aegre ferunt, satis indicant, quid jure? quid injuria fieret? non satis fuisse cognitum sibi.

---

procurationum (VIII. 1. p. 381, 402) frequentissime recurrentes. Neque aliter de Decima papali in Concilio Viennensi a. 1312 decreta existimandum est, in quam colligendam Carolus tanto magis incumbebat, quod pars hujus tertia sibi obvenerat. Vide sis citata VIII. 4. p. 319 et v. 6. p. 172.

[5]) VIII. 4. p. 322.

§ 16.

melior tamen fuit, quam anonymi sacerdotes quidam, libello ad Pontificem dato,

Hi sacerdotia quidem electione collegiorum conferri agnoscunt; cum tamen collegia haec ab annis tribus et viginti (literae eorum ad Pontificem de a. **1339** sunt) ad Regis informata esse voluntatem succensent, id huic vitio dant, quod in praecipua ejus laude ponendum est [1]);

---

[1]) Quod igitur alibi monui, aberrasse Szvorényium, dum Carolum constitutione Card. Gentilis de a. 1309 deterritum, Juris Patronatus Regii curam dimisisse argueret, hoc loco affatim probatur:

ejus nimirum solertia evenisse, ut intra hos annos ipsos Csanadinus[2]) Metropolitanam Strigoniensem, Colocensem Frater Ladislaus, Andreas de genere Báthoria Varadiensem, Zagrabiensem, amoto Augustino Gazotto[3]), Augustinus II., Stephanus, Ladislaus viri adipiscerentur, ea animi magnitudine constantiaque, ut cum Carolus filium suum Ludovicum superstite se Regem coronari vehementer cuperet, abnutare Csanadinus ausus sit; irritaeque fuerint literae etiam, quibus Pontifex erga preces Caroli a. 1333 Archi-Episcopo Colocensi, duobus item, quos commodum nominavimus, Episcopis praecepit[4]), ut dum per Regem aut hujus filium Ludovicum vel alterum quemquam, nomine horum, requisiti fuerint, solennia Coronationis designato Regi huic impenderent. Mandato Pontificis, gratique erga Regem animi officio praevalebat apud hos cura libertatis, jurisque Ordinum regni, ex tribus jam Caroli filiis, non quem Rex, aut Pontifex designasset, sed quem hi vellent, Regem deligendi. Quod magni fuisse animi, si dicas, parum est; ingentis fuit; quando una eademque opera hac, illud item, quod Cardinalis Gentilis vulgabat[4]): imponi per Archiepiscopum Coronam Regibus non jure gentis, sed Vicaria Pontificis potestate, Antistites hi pro sua in patriam fide subruerunt[5]).

„Ille nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis; nihil, inquit, interest: quomodo solvatur.“ Curtius l. 3. c. 1.

[2]) Ita Mathias de Telegd genere Csanadiorum ortus passim in Diplomatibus quoque vocatur.

[3]) Hunc per Pontificem a. 1303 causa adjuvandarum Caroli partium Episcopum Zagrabiensem renunciatum, Regis deinde excidisse gratia vide sis apud Timonem in Epit. chron.

[4]) VIII. 3. p. 697.

[5]) Litt. Caroli apud Katona H. Cr. VIII. p. 297 „et constitutionem ab ipso D. Legato tunc de novo editam, quae habet, ut nonnisi honorem nostrae coronationis, nos et nostri successores per ipsum Archiepiscopum summeremus.“

§ 17.

descripserint.

Carolus sacri asyli jus integrum Eclesiis affirmavit, immo vero ad quasque harum Curias et possessiones [1]) extendit. Sunt praeterea, qui causas quoque decimarum a Comitum parochialium abstractas foro ad sacra illum transtulisse tribunalia existiment.

---

[1]) In privil. Mon. s. Crucis in Austria collato (VIII. 2. p. 53) „ex afluentia gratiae Regalis annuit, ut nulla persona cujuscunque dignitatis, status, aut conditionis existat, quemlibet ad domus ipsorum seu Curias, aliasque possessiones, quacunque de causa, spe defensionis confugientem excipere, capere vel quamcumque injuriam inferre audeat.“

V. De Consilio regni publico.

§ 18.

Non Carolus nulla, quae quorumdam opinio est, Comitia habuit;

Exstat exemplum literarum Caroli, quibus generalem Congregationem in Rákos celebrandam ad octavum diem festi Joannis Bapt. a. **1318** edicit „omnesque et singulos, qui se regni sui membra existimant“ ad eum locum diemque convenire jubet [1]). Literis hujusmodi Regalibus apud nos nomen est, in quarum numero hae, nisi fallor, primae sunt. Sed Comitia haec pariter, atque generalis ea Congregatio Regis ac Regni, de qua ad festum Paschatis a. **1312** habenda literis promiserat super com-

---

[1]) Integras dedit Kovachich T. I. Supl. ad vestigia Comitiorum.

posita inter Cives Cassovienses et viduam Omodaei Palatini contentione editis [2]), celebrata non fuerunt. Ex verbis enim, quas sponsioni huic subjicit, „si vero non contingat fieri regni Congregationem generalem, ex tunc Dominus Rex advocabit Praelatos, et Barones fideles et Nobiles regni aequitatem servantes, ad terminum supra dictum" naturaque et voluntate, ac instituta vitae ratione Caroli, proclive est judicare: haec ei fidelium Concilia, compositumque ex his Senatum prae Concione multitudinis placuisse.

---

2) Vide sis apud Katon. H. C. T. VIII. integras.

§ 19.

sed ad haec cum alia, tum potissimum rei aerariae causa celebrata, Praelatos, Barones, et Nobiles potiores,

Multa hujus rei testimonia sunt; nos apertissima persequemur. Primum Concilium hujusmodi Temesvarini a. 1323 in festo Epiphaniae Domini celebratum esse certis constat literis [1]), probae illis quidem fidei, si formam spectes; nam quod ad modum rei gestae in iis descriptum attinet: non incallidi prae se ferunt ingenii sagacitatem. Perhibent enim Praelatos, Barones, et Nobiles, habito inter se diligenti et unanimi colloquio, ab Rege eo postulasse, curaret: ut ad restaurationem pristini status regni et utilitatem meliorem, nova bonaque moneta cuderetur; huncque ad finem, eosdem de singulis portis Jobbagionum suorum, et aliorum omnium populorum in regno existentium, nullo penitus exemto, videlicet tam in Civitatibus, quam oppidis constituto-

---

1) Cod. Dipl. VIII. v. 7. p. 154.

rum [2]) singulos dimidios fertones cum argento vel denariis juxta valorem argenti, pro eo anno, obtulisse; Regem his eorum votis assensisse[3]); Camerasque suas Comiti Hey et aliis, simul cum dimidiis fertonibus illis, ea vendidisse conditione, ut denarios octavae combustionis ad pondus denariorum banalium antiquorum Stephani (Banus qui fuerat tempore Belae IV.) exigendos cuderent, quorum unus tres Vienenses duosque antiquos banales, tres vero unum grossum boemicalem aequent. Constitutione hac, quae rogatione, magnaque Concilii illius voluntate coaluit, obligatio pendendi ad reparandam rem aerariam subsidii (lucri Camerae sensu latiori) omnibus omnino regni Ordinibus, et Dominis quidem pro numero portarum Colonorum suorum, ceteris ratione fundi sui, pro uno attamen anno solum imposita est. Quod pro primo perficiendi de lucro Camerae per omnes deinceps pendendo consilii gradu satis esse videbatur [4]).

---

[2]) Id vero est: non solum ii, qui Jobbagiones habent, a singu-is horum, sed quosque alios a porta seu fundo, curia, mansione sua.

[3]) Carolus cura rei metallicae in aliis anni 1327 Comitiis hu-usmodi C. D. VIII. vol. 3. p. 198 statutione (rectius constitu-ione) cunctis regnicolis generaliter facta veterem consue-udinem, ut terrae Eclesiarum et Nobilium, in quibus auri et argenti ›dinae reperiuntur, per cambium ad regias devolvi manus debeant, o immutat, ut possessiones hujusmodi, his ipsis, modo eas aperire on recusent, permaneant, imo tertia etiam redituum regalium ex is montanorum more consueto provenientium iis cedat. Constitu-onis hujus meminit art. 13: 1351 § 2 per verba „Carolus ipsis egnicolis annuerat" per hos nempe rogatus, ad eum modum, qui condenda lege ex sensu tit. 3. II. Juris consuetud. nunquam non oservabatur. Domos monetarias Budae, Quinqueeclesiis et Vise-radi habuit. VIII. I. p. 496.

[4]) Ex literis his colligas non Magistrum Hippolitum, quae ılgi opinio est, sed Comitem Hey primum fuisse, cui Carolus nendandae monetae negotium commiserit. Hos deinde alii secuti ınt, cum quibus initos per Carolum contractus, quorum Kelemen

Hist. J. h. p. p. 146 d) commeminit, utinam aliquis in lucem proferat. Quod de usu vocabuli portae per Carolum caepto creditur, aliter se habere ex L. III. § 177 abunde patet.

§ 20.

qui in Decreto a. 1342 generatim Barones dicuntur, convocavit.

Decretum aliud ex literis Caroli cognoscitur, quibus Cameram Kremniczieusem Hippolito Castellano de Arva a. 1342 locaverat. In his Majores, qui coram aderant, universe Barones appellantur [1]). Horumque unanimi voto constituitur, de singulis ut portis, per quas currus foeno vel frugibus oneratus intrare potest et exire, decem et octo denarii argentei tertiae combustionis [2]) pendantur per quosque; exceptis solum servis et conditionariis regalibus et reginalibus ac aliorum quorumlibet; nec non exercituantibus et servientibus dominorum terrae, qui tamen ipsi, super depenso per populus suos lucro hoc, camerae expeditorias unas, licet plures possessiones haberent, a Comite Camerae uno redimere grosso teneantur. Dominos itaque et gentes militares, familiaresque dominorum, non tamen etiam nobiles, quibus gentes nullae essent, lex haec oneri Constitutionis a. 1323 exemit.

---

[1]) Decr. Car. in Corp. Juris § 18 et 31.

[2]) Ibid. § 1. Generatim vero de restaurata per Carolum re monetaria hungarica confer Cornid. Geneal. R. H. sec. XI. p. 48 et seqq.

§ 21.

Quem ea parte nemo non laudaverit quod jura nobilium non per gradus contulit, sed omni mox, ut par erat, numero absoluta.

Atque haec Nobilium, quibus modici, sine colonis, essent Penates, conditio diu, per omne enim, quo Carolus

Hungariae praefuerat, tempus tenuit, abiitque in vim consuetudinis regni ab antiquo approbatae. Quod cum ex lege hujus (art. 60. 1298) in aperto sit [1]), quantum jam sententia Commentatorum quorumdam polleat, qui vetera ex praesentium moribus temporum metiuntur, facile est judicare. Hos namque, si dicant, quod ad haec eos dicere consentaneum sibi est, aut legem hujusmodi exstitisse negare oportet propter palmarem injuriam; aut usum ejus in dubium revocare ob metum, ne non lucrum inde, sed convulsa quiete sua detrimentum Resp. accipiat. Quorum utrumque aetate Caroli (nam de reliquis Regibus postea videbimus) fuit longe aliter. Neque idcirco nihil eum de tenuioribus Nobilibus his meruisse dici potest. Primus enim Regum Hungariae fuit, qui per donationes privatis ita passim factas, ut „nullo jure suo in terra collata reservato, eandem in toto in hos, posterosque, more et lege nobilium regni sui transferret" [2]) jura nobilitatis contulit non gradatim, sed omni mox, ut par erat, numero absoluta [3]).

---

[1]) „Item. Quicunque Nobilium, lucrum Camerae juxta regni consuetudinem ab antiquo aprobatam — solvere non curarent" cet.

[2]) Verba sunt ex literis Caroli sumta, quibus terram Barzanfalva Stanislao Kynezio a. 1326 donat. VIII. v. 7. p. 197. His simillima haec sunt (VIII. v. 3. p. 215) „Georgium filium Liptov de Palásth cet. Jobagiones castri Hontensis de dicto Jobagionatu exemtos, in numerum et coetum nobilium regni nostri duximus transferendos, volentes, et in perpetuum statuentes, ut idem Georgius et fratres sui et eorum haeredes ac posteritates semper privilegio libertatis, eave praerogativa gaudeant, qua universi nobiles servientes regni nostri Regales fruuntur, potiuntur, et gaudent, omnesque terras et possessiones, quas usque modo coluerunt, aut justo titulo habuerunt, vel in futurum sunt habituri, deinceps titulo nobilitatis et haereditatis habeant, teneant, et possideant perpetuo". Alia item (VIII. v. 3. p. 579) quibus servientes M. Stephani dicti Pogan, Jobagiones et conditionarios castrenses de Forgach in Comitatu Heves Ujvár de praedicta conditione eximendo, in coetum et numerum liberorum ser-

vientium et nobilium regni in filios filiorum cum possessionibus eorum justo titulo acquisitis, et acquirendis transfert.

3) Jam a. 1311 (VIII. v. 1. p. 396) Stephanum et ceteros filios Bud de Jerse castrenses, e conditione castrensium cum eorum possessione seu portione, in numerum et coetum nobilium castri Jobagionum agregat ita, ut tam ipsi, quam eorum haeredes et haeredum successores, de cetero cum eorum possessione praememorata libertate, qua veri et nobiles Jobagiones castri potiri consueverunt, debeant gratulari.

VI. De forma Judiciorum et Ordine juris aetate Caroli.

§ 22.

Proba sunt, quae Verbőczius

Parte altera Decreti de a. 1298, quod vulgo Andrae III. inscribitur, Carolo Roberto vindicata [1]**, plerasque hujus constitutiones ad Formam Judiciorum et ordinem prosequendi Juris spectare cum palam sit, neminem deinceps futurum existimo, qui laudibus Caroli, articulos 45 — 51. 57. 58. 61 — 69. 1298 tamquam alienos opponat, cum sint maxime sui; aut contra quem de fide Verbőczii prolixius contendendum mihi sit, Juris consuetudinarii P. II. lit. 6. § 12 asserentis: in praesenti Processuum judiciariorum usu constituendo, nullo non tempore Caroli Regis operam maximi existimatam esse** [2]**.**

---

1) Libri X. § 38.

2) Kelemen Hist. Juris h. p. p. 138 e) de Decreto a. 1298 vulgarem secutus opinionem p. 146 Verbőczium et alios, qui in praecipuis laudibus Caroli emendatam Judiciorum formam collocant, oppugnatum pergit, pro iis, nec enim dubito, pugnaturus, nisi eum latuisset, et Causarum in brevis, longaeque litis divisionem et cetera

hujus generis, quae, ne diplomata alia memorem, parte altera Decreti illius continentur, Carolina esse.

§ 23.

Juris consuet. P. II. tit. 6. § 12 tradit.

Quod ejus consilium non ad solum coram Judiciis procedendi ordinem, sed ipsam etiam horum formam perpoliendam, omne igitur id, quod d. Ludovicus IX. in Galliis peregit [1]), apud Hungaros conandum dirigebatur. Simul itaque otium a bellis intestinis nactus est, simul ad hanc domesticam generis sui laudem se comparavit, coactoque Consilio Praelatorum, Baronumque Statuta condidit [2]), de quibus, quantum instituti praesentis ratio admittit, diximus; quaedam restant, de quibus deinceps dicendum est.

---

[1]) Vide sis compendii causa Sismondii o. c. T. VIII.

[2]) Lib. X. § 38. In lit. jud. Pauli Jud. Curiae Reg. Caroli de ı. 1338 dicitur de articulo statutis his comprehenso (vulgo 64. 1298) „Quia secundum regni ab antiquo aprobatam consuetudinem res tantum termini ad instrumentorum exhibitiones ›er Judices debent deputari." VIII. 4. p. 360.

I. De forma Judiciorum.

§ 24.

ı Palatini et Missorum Regiorum judicia, eo Rege, passim Congregationes regni dicebantur.

Causis capitalium rerum partim ad Sedes judiciarias ıomitatuum, partim ad liberos Comites derivatis, magnum ›gotiorum, de quibus antea in generalibus Judiciis, aut ›oclamatis Congregationibus Palatinorum disceptabatur,

factum compendium. Judicia ipsa utriusque generis, aetate Caroli congregationis regni nomine, comprehendebantur, nonnunquam per Palatinos[1]), frequentissime per Missos Regia Palatinalique simul instructos auctoritate indictae[2]). Atque hi acceptissimi Carolo; Magistratus Palatini, seu ut jam is dictitabat, Palatinatus regni[3]) invisus, nonnunquam etiam sepositus. Quod praeterea ex sua illa potestatis Regiae plenitudine Sóváriis dedit, dedit hoc non sine maximo auctoritatis Palatinorum detrimento pluribus aliis, ut eos suae Judicisque Curiae suae servatos potestati, non Comitum solum Parochialium, sed Palatinorum etiam eximeret Jurisdictioni. Quid plura? honor magis, quam munus Palatini non facile alteri, quam cujus in se fidem, similitudinemque morum plene compertam haberet, ac plerumque hominibus novis repen-

---

[1]) De Congregat. Philippi Palatini, quae proclamata Carolo vocatur anno 1322 in Ujvár habita. C. D. VIII. 2. p. 487; Vilhelmi Palatini Comitatui Sopron a. 1335 indicta, in qua cum Palatino quatuor Judices Nobilium et Jurati Assessores universique Nobiles assidebant, VIII. v. 7. p. 268; alia ejusdem Vilhelmi Palat. in Comitatibus Ung, Bereg, Szabolcs VIII. 4. p. 262.

[2]) Missionum hujusmodi exempla: a. 1315 (VIII. 1. p. 597) Cancellarius Regis cum Jobagionibus castri judicat. M. Dausa (Dominicus Hasznos de genere Rátolt. Katona Hist. Crit. VIII. p. 338) Vice Personae Regiae Judex specialis deputatus in congregatione simili judicat VIII. v. 2. p. 98. Dausa idem apud Szirmay not. hist. Com. Zemp. p. 17 ita scribit: Nos Magister Dausa Vice Regiae Majestatis Personae Judex et Comes in quinque Comitatibus Nobilium. M. Philippus Comes Scepussiensis et Ungvar a. 1318 Judicem se Vice Personae D. Regis fert. VIII. v. 7. p. 119. Et Philippus hic et Dausa mihi Missi, seu ut hodie loquimur, Comissarii Regii erant.

[3]) C. D. VIII. 3. p. 408. Ipse etiam Philippus Palatinus in literis de a. 1323. C. D. VIII. 2. p. 490 „per nos, ait, et nostros Successores Palatinatum tenentes". Palatinum jam Belae IV. magnum Comitem (l. III. § 51) Carolus lingua germanica Grosgrow vocat VIII. 1. p. 438.

tinisque Indigenis, in quibus Drugethii Gilettiique maxime commemorabiles, collatus est. Jurisdictione Bani Slavoniae ad quosque, ultra fluvium Dravum qui colerent, extensa [4]).

---

[4]) Anno 1325. C. D. VIII. 2. 631. sed Nicolaus Banus de Mako Jura etiam Palatinalia in Valko judicat. T. Gyűjt. a. 1833 T. X. Eclesia vero b. Petri de Posega et Kaproncza C. D. VIII. v. 7. p. 158. IX. v. 1. p. 63. Palatini, Judicisque Curiae Regiae semper suberant auctoritati.

§ 25.

Harum aliae generales erant;

Quod quis adversum Ducem, aut rempublicam fecisset, prima aetate ex edicto Congregationis Communitatis; sub Regibus diu ex Decreto Consistorii Regii, Senatusque luit [1]), qui instar fuit consilii publici. Ladislaus IV. crimen Majestatis per Andream Jako de genere Kaplon perpetratum, ad Congregationem regni detulit, ut ibi legibus de eo fieret judicium [2]). Carolus eadem incessit via, redditque hanc tam frequentem, ut ipse instituti hujus [3]) esse auctor existimaretur. Hungariae is universae Nobilitatis Communitatem, Baronesque et Proceres et Primates, ad decernendam in Felicianum de Zach, filiamque poenam convocavit, quam Praeside Joanne Drugeth Palatino a. 1330 ex peregrina latam lege, atti-

---

[1]) Vide Diplomata Andreae II. et Belae IV. post caedem Gertrudis edita.

[2]) Apud Kovachich in supl. ad vest. Com. T. I. ad a. 1278 Idcirco nos (Rex) Regni nostri Praelati et Sacerdotes, Coronae fidelibus Nobilibus et Baronibus proponendo; iidem voluerunt tali modo:" cet.

[3]) In jus deinde consuetudinarium recepti P. II. tit. 75 § 1.

gimus alibi [4]). In generalibus congregationibus hujusmodi, Rege hoc, causae quoque privatorum cognoscebantur saepius, non tamen eo coram, ut qui nihil studebat magis, quam ne quid committeret, ex quo Bullae aureae And. II. observans videretur; verum Praesidibus, quibus hoc muneris delegasset [5]).

---

[4]) Superius § 8 de lege regia Caroli. Uti a. 1278, ita nec in congregatione hac Praelati ullam judicii partem ceperunt.

[5]) Exempla vide C. D. VIII. v. 7. p. 127 et supl. ad Vest. Com. T. I. ad a. 1332.

§ 26.

particulares aliae.

Celebratae sub auspiciis Missorum Regis, aut Palatini, in uno, saepe pluribus Comitatibus ad eundem concitis locum. In his quoque Episcopos, Canonicos, nobiles neque hos tantum, sed et homines alios vides, qui mutuato itidem a Gallis vocabulo Communes dicebantur [1]). Villani erant, regiorumque incolae oppidorum, quae a jurisdictione Magistratus Comitatus non dum exempta essent illi denique Municipes (Capitalium aut Regiarum Civitatum cives), vel horum Primores, qui ad Congregationes hujusmodi adibant, non tam suo, quam communi sociorum nomine et mandato. Quod quidem beneficium [2]) indulgentia Caroli pluribus obvenit locis hujusmodi.

---

[1]) Dausa loco superius citato (VIII. 2. p. 98) cognoscit causam, in congregatione, cui Episcopus, Capitulum, Nobiles et communes homines Comitatuum de Sathamár, Zolnok, et Kraszna tam villarum nobilium, quam civitatum regiarum adsunt. Et ipse cum Episcopo, Capitulo, Judicibus Nobilium et communibus hominibus decernit.

[2]) Systematis, ut dicere solemus, repraesentativi.

§ 27.

Curia Regis

A generalibus congregationibus regni diversa erat Curia Regia. Huic plerumque Judex Curiae Regiae praesidebat, atque ex hoc maxime tempore, muneri huic praefecti qui erant, se supremum ordinariorum in Hungaria judiciorum tenere culmen literis suis ferebant [1]).

---

[1]) Illustrem supremi tribunalis hujus imaginem Cod. Dipl. VIII. v. 3. p. 158. Formulam vero Mandati de Causa per Sedem judiciariam Comitatus definita, ad Curiam Regis transmittenda, vide sis apud Szirmayum in Notit. Com. Zempl. ad a. 1321 p. 14 alterius a. 1339 editi. VIII. vol. 4. p. 425.

§ 28.

adnexum sibi habuit Forum Personalis Praesentiae in judiciis Locumtenentis,

Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenens [1]) sublimem distincti jam a dignitate Judicis Curiae Regiae Magistratus gradum, ab aetate Caroli in praesens usque constanter obtinet.

---

[1]) Horum seriem Lendvayus (a Consiliis R. ad Cameram H. A. uit) ab a. 1337 deductam confecit, cujus indicio a. 1351 munere ioc Thatamerius Albensis Praepositus, una Vice Cancellarius functus st. Jacobus, qui a. 1405 Judicatum specialis praesentiae erens scribitur, provinciam hanc usque a. 1423 obibat. Anno 1445 Joannes Vitéz Episcopus Varadiensis eidem praefectus, quem . 1461 Petrus de Sáry Custos Alb. excepit, a. 1480 Archiepisc. Col. renunciatus. Anno 1481 Ladislaus Budensis; a. 1485 Lucas Praepositus; a. 1486 Thomas Drághy de Drágh; a. 1490 Stephanus Crispus de Lipcse alias de Nagy Lucsé Ep. Sirm.; a. 1494

Dominicus Praepositus Alb. prius, deinde Ep. Varad.; a. 1502 Lucas Kothrár dictus Ep. Zagr.; a. 1503 Stephanus de Bajon prius Sirm., mox Nitr. Ep.; a. 1512 Franc. de Marocha; a. 1519 Stephanus de Verbőcz Personalis Praesentiae in Judiciis Locumtenens renunciatus fuit; hunc Benedictus Bekényi, alii deinde sub Augusta domo Habsburgica secuti sunt.

§ 29.

cui Fiscus quoque Regius assedit.

Carolus specialem Notarium suum, Apocrisiarium veterum [1]) (Procurator hic Fisci Regii, Directorque Causarum Regalium, ut hodie loquimur, fuit) iisdem, quibus Imperatores Romani hoc muneris genus excellere voluerunt, juribus induit. Quorum plurima et sedem quoque ad Tabulam Regiam, Personalis Praesentiae Regiae Locumtenentis olim tribunal, cujus ille nunquam non pars fuit, tenet hodieque.

---

[1]) Haec ex Diplomate Lad. IV. de a 1283 Thomae Ep. Varadinensi impertito inclarescunt. Ita vero illud: qui temporibus avi nostri D. Belae Regis Notariae fungens officio sic per quaelibet crevit et eminuit incrementa, ut Apocrisiarii seu specialis Notarii ad anulum Regium sibi meruerit officium recomendandum; providus in causis, discretus in consiliis, in mandatis pervigil exequendis, sic agendo, sic negotia tam publica, quam fiscalia per ministerium sibi creditum dispensando, ut quoad usque Rex idem vixit, in eodem ministerio perduravit. Eadem de illo et ampliora Elis. Reg. C. D. V. ad a. 1248. Catalogum S. R. Coronae Fiscalium ab a. 1260 Mart. Lendvay laudatus paullo ante a. 1805 apparavit et Georgio Majláth (seniori) triennio post Personalis P.R. in Jud. Locumt. d. d. d. Primus Thomas de Bougne specialis Notarius Regis usque a. 1269; a. 1270 Bened. Aulae R. Not.; a. 1286 M. Elek. a. 1310 M. Carolus, ambo titulo Aulae R. Notariorum usi; a. 1322 M. Thomas Not. R.; a. 1326 M. Joan. de Semjen eodem titulo usus muneri huic praefuit. Huic M. Steph. de Vossyan successit, qui se

specialem Notar. et Procuratorem Regis; M. Thomas dictus Tyuk de Gyal a. 1332 Aulae R. Procuratorem; a. 1337 Steph. de Athya; a. 1350 Jacobus; a. 1358 M. Petrus de Gerek; 1366 Lad. de Langen; 1374 St. de Pand se Notarios Curiae Regalis; qui hos secuti sunt, se jam Procuratores Regis, jam Causarum Regal. Procuratores; a. 1453 primus M. Steph. lit. de Alsó Abrán Directorem se Caus. Reg. scripsit. Ex lit. C. D. VIII. v. 7. p. 197 videas M. Georg. de Bokod Notarium ac Procuratorem Caroli fuisse ad negotium ibi descriptum specialiter deputatum.

§ 30.

Civibus provocationem ad praesentiam Regiam vel Magistri Thavernicorum Regalium liberam reliquit.

Privilegium per Carolum a. 1331 urbi Comaromiensi impertitum, quo „si causa tam ardua esset, ut huic decidendae villicus non sufficeret, eam ad praesentiam Regiam vel prout expedit, Magistri Thavernicorum Regiorum provocandam" decernit [1]), indicio est, hac in re optioni fuisse locum.

---

[1]) VIII. v. 3. p. 331.

§ 31.

Sedes judiciaria Comitatuum

Carolo sedes Vice-Comitis dicitur [1]), qui per solum adhuc Supremum Comitem delectus, quod hic tum per missionem regiam, tum Comitatuum aliorum sibi creditorum causa saepissime aberat, unus tribunali huic praefuit aucto per Carolum octo viris [2]), qui Jurati, saepius jurati

---

[1]) Art. 48. 1298.
[2]) Art. 45. ibid.

Assessores, per syncopen hodieque Jurassores [3]) vocantur, eapropter, quod ex personis judiciariis primae fuerant, quae exemplo Lud. IX. Galliarum Regis per Hungaros quoque adoptato, juramentum de munere suo recte obeundo nuncuparint [4]). Huic ille tribunali cum sigillo facultatem simul quaestiones de factis violentis cognoscendi dedit, judicium enim de his ferendum Palatino vel Judici Curiae Regiae reservavit [5]). Ad quos Causas quoque, de factis possessionariis quae essent, pertinuisse jam superius [6]) adnotavimus.

---

[3]) C. D. VIII. v. 7. p. 269, 315.

[4]) Lex enim generalis de Juramento per quosque praestando Judices postea art. 1. 1435 rogata est.

[5]) art. 45, 46. Decreti de a. 1298 inscripti, art. 4. 5. 1435 confirmati.

[6]) Lib. III. § 124.

§ 32.

De sedibus Dominalibus.

Jurisdictioni Dominorum usque adhuc soli tantum suberant coloni. Carolus constituit, ut nobilis quisque non solum ex parte Jobbagionum in bonis suis commorantium, sed etiam servientium impossessionatorum (inquilinorum, famulorum) in causis quibuslibet, exceptis furtis publicis, latrociniis, et criminibus (nisi privilegio secus provisum esset, per sedem judiciariam Comitatus [1]) vindicandis) justitiam administret, et querulantes, ordine juris, prius a Domino horum vel ejus officialibus postulare illam debeant [2]); dedit tamen provocationi locum [3]). Juri eos sta-

---

[1]) C. D. VIII. 4. p. 368.

[2]) Vide literas Caroli de a. 1342 (IX. v. 1. p. 84) alias item IX. v. 2. p. 365.

[3]) A sententia hujusmodi ad Curiam Regis factam per famulos provocationem vide C. D. VIII. v. 4. p. 425, 426.

tuebant Domini[4]), quorum arbitrio per instauratam rusticorum migrandi facultatem modum posuit [5]).

---

[4]) Prout juris est et regni consuetudo exigit, habent literae VIII. v. 4. p. 368.

[5]) Art. 70. Decreti Andrea Carolini de 1298.

II. De modo coram jure disceptandi.

§ 33.

formulaque reddendi per eum, qui in jus vocatur, responsi

„Increscente causidicorum numero, ne quod plurimi querebantur, argutiis horum veritas intricetur magis, quam evolvatur" per Carolum decretum est, „ut in causam vocatus coram tribunali brevissimum reddat Actori responsum: se, quod ad actionem contra se propositam: innocentem esse, ac immunem; neque aliud in nuncupando quoque juramento adferat quidquam" [1]). Norma haec [2]) unde ad nos delata sit, nemo quaeret, qui Gellium legerit Noct. Att. l. XVI. cap. 2 de veteri hac disciplinae dialecticae lege disputantem, quae per tribunalia hungarica recepta, ad Transylvanos tardius, vi edicti de a. 1342 pervenit [3]),

---

[1]) Ita a. 1352 in Comitatu de Sáros, Jacobus cum 12 personis nobilium super eo praestitit sacramentum „quod ipsa die super domum Nicolai potentialiter non venisset, Nicolaum non interfecisset, nec interfici procurasset". Simile VIII. v. 4. p. 555. Confer etiam Art. Notar. (Kovachichii) de temp. Lud. form. p. 8 num. 13, n. 128, 129 cet.

[2]) Quae teste art. 316 Juris urbis Budensis, iisdem concepto verbis, in civium quoque causis obtinuit. Buda városának törvény könyve. Posony 1845 p. 171.

[3]) Ab hoc igitur tempore apud nos item valet illud Cic. de Oratore II. 105 c. 25 „Causae inficiatione defenduntur". In par-

Non itaque nihil est, quod earum rerum, ad artem litigandi quae pertinent, Carolus migraverit. Et poena quidem calumniae Romae veteris, quam per Majores Hungarorum adoptatam alibi adnotavimus[4]), ad modum humanitatis legum Justiniani [5]), eo auctore redacta est.

---

tit. 102 „primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem, inficiationemque facti."

[4]) Notitiae praeviae §. 32. Qui per calumniam innocentem accusasset, ejus fronti literam K. inustam, ex Cic. pro Sex. Rosc. C. XX. locisque aliis colligitur per Heineccium in Hist. Juris civ. l. I. c. 3. § 107, Antiquit. Rom. l. VI. tit. XVI.

[5]) Conf. Heineccii Ant. Rom. l. c. et op. trip. Juris consuet. Hung. P. II. tit. 70, 71.

§ 34.

de mediis probandi,

Inter haec literarum plurimus aetate Caroli usus; neque eo minus vetustissimum quoque Conjuratorum Institutum mansit; licet eo de moribus magis, quam de probatione rei gestae fieret judicium. Erant hi porro quoque pro conditione personarum, quarum adjuverant causam, plures paucioresque; ut passim alibi. Non enim novum hoc, et solius populi hungarici propium erat, putare: eos, qui genere et opibus eminerent, fide quoque et honestate esse praestantiores [1]), ad hanc igitur opinionem confirmandam, paucis egere conjuratoribus sui similibus; ut quisque tamen ab his maxime abesset, eo majorem cautionis diligentiam esse adhibendam. Et Carolus itaque et Ludovicus probarunt Institutum hoc, excolueruntque [2]); nam aliud, quod

---

[1]) Arist. polit. l. IV. c. 6. Dionys. Halic. l. II. 12.

[2]) Vide in solemn. form. Styli Kovachichii Art. not. cur. Lud. R. punctum 127, quo abusus conjurandi consuetudinis gravibus verbis castigatur.

apud Romanos observatum Gellius ad memoriam prodidit[3]), ut si, quod inter duos actum est, et neque tabulis, neque testibus planum fieri posset; tum apud Judicem, qui ea de re cognosceret: uter ex iis, vir melior esset, quaereretur; et si pares essent, seu boni pariter, seu mali, tum illi, unde petitur, crederetur, et secundum eum judicaretur, num aliquando usu apud Hungaros viguerit, nihil pro certo dicere habeo.

---

[3]) Noct. Attic. l. XIV. c. 2.

§ 35.

nihil demutatis.

Ordalibus itaque jam olim, Ladislaus IV. dum rerum potiretur, abrogatis; in reliquis mediis probandi nihil immutatum[1]), perseveravitque etiam regula Juris veteris: ex aprobata regni consuetudine causas productione testimoniorum comprobatas duplici articulo, scilicet: duello vel juramento consuevisse definiri[2]).

---

[1]) Consuetudo quoque antiqua, ut in causis, quae de finibus essent (metales vulgo appellantur), Actor jurans terram super verticem capitis teneat, mansit. Vide lit. a. 1325 CVIII. v. 7. p. 180 alias de a. 1360 in Notitia topogr. Com. Zemplin p. 273, et formulam Juramenti ad calcem Corp. Juris. De testibus vero, qui in hoc causarum genere discalceatis pedibus jurabant, literas IX. v. 2. p. 353.

[2]) In lit. de a. 1334. VIII. v. 3. 758. Ab regula hac ne sacerdotes quidem exemtos fuisse Caroli aetate, ex querela eorum ad Pontificem M. patet; literis item IX. v. 1. p. 563 productis. Literis de usu pugilum per nos T. II. in Mantissa productis et annum 1253 referentibus, consonae sunt illae, quas a. 1347 editas Szirmay Not. Com. Zemplin. p. 211 publici juris fecit.

VII. *De re militari.*

§ 36.

Vetustissimo instituto militiae castrensis multum alioquin labefacto,

Consilium Belae IV., qui post illatam per Tataros Hungariae vastitatem, non ad institutum militiae castrensis in vitam revocandum, sed Castella, Castellanos Regios et Comites creandos animum adjecit, Carolus quoque probavit, nihil praeter nomen horum mutando; Comites enim pro perpetuo vocis in Arragonia et apud Gallos pro Valentioribus usu, Barones vocitabat[1]. In his Antistites Ecclesiarum porro quoque primo fuerant loco, quos hac aetate, quidquid olim Cardinalis Gentilis jusserit, ipsos etiam per se militare debuisse, ex libello nonnullorum ad Pontificem dato citatoque superius novimus.

---

[1]) Ad eum plane sensum, uti Carolus Dufresne scribit: „Barones in regno Arragoniae, ut auctor est Vitalis Episcopus Oscensis, iidem sunt, qui Rici (Valentiores d. Stephani) homines, qui scilicet pluralitate Vasallorum decorantur, cum quibus in exercitum pergunt, cum a Rege evocantur. Quo sensu etiam Franci Barones appellant, qui vexilla in praeliis educunt, et cum Vexillis suis, praeeuntibus iisdem vexillis, pro Rege pugnant.“ De usu vocis domestico ex Thuroczio cognoscas, qui chron. sui P. II. c. 97: „tunc, ait, quidam fidelis Baro Donch nomine, Comes de Zolio et de Lipto“.

§ 37.

Carolus systema, quod Banderiale audit,

Indole terrarum castrensium, udvarnicaliumque, generali Possessionum Regalium nomine aequata, regimen Caroli, novi quodammodo systematis diluculum fuit, quo deinceps Exercituantes Regis et Reginales, re-

liquias quoque populi castrensis, in Castellanorum Regiorum (§ 10) divisi Districtus, Regii et Reginalis Banderii nomine comprehendent; novaque sequetur gentium Comitatus appellatio, partem significans plebis, quae a populis fundos regales colentibus, Dominorumque banderiatorum [1]) reliqua, admensum sibi militem, et in sumtus hujus pecuniam exercitualem, ad aerarium Comitatus praestabit. Exercituantium denique Nobilium increbescet nomen, antiquissimis Jobbagionibus naturalibus, militibusque s. Stephani plane synonimum.

---

[1]) Nomina horum adhuc diversa. In privilegio Bátoriorum (VIII. v. 3. p. 404) de a. 1330 recurrentia: „Familiares ministri, ministri et famuli et Jobagiones quinquaginta tres sunt occisi" banderium notant. Homines Petri et Georgii Jakon, qui in conflictu cum Matthaeo Trenchiniensi vulnerati, partim capti sunt, servientes eorundem vocat Carolus in literis 1312; Ludovico vicissim servientes hujusmodi in literis a. 1347: „proximi et famuli" perinde atque Stephano V. in literis Raynaldo M. Dapiferorum anno 1270 datis „honesta et armata familia"; aliis, qui Joannem de Lipto per Carolum, ob carentiam literarum possessionibus Akalichna, Poruba, Zentstephan, Chervina et Harangfiaháza depulsum, trans mare sequebantur, Clientibus nomen est in patentibus de a. 1352. in Arch. Lelesz.

§ 38.

excoluit.

Idem de Ecclesiarum populis intelligi velim. Quorum meminisse non possum, quin Colomani, Episcopi Jaurinensis (filius erat Nothus Caroli Roberti) in milites Eclesiae suae de Szany praeclaram voluntatem laudem, quibus, mala officialium fide sublatam veterem libertatem, postliminio redditurus, anno 1338 [1]) decer-

---

[1]) C. D. VIII. v. 2. p. 192.

nit: „ut Officialis suus eosdem Nobiles judicare, vel ab ipsis aliquas taxationes, collectas vel munera exigere non praesumat; sed Nobiles hi ad judicium Comitis sui vel Eclesiae suae terrestris pro causis venire teneantur more aliorum jobbagionum nobilium Ecclesiae suae; et secum (Nobiscum) ut cum Episcopo, si necesse fuerit, ad exercitum Domini Regis ire teneantur; quod si non possent: extunc nihil plus, quam quatuor marcas denariorum (quamlibet marcam cum decem pensis computando) in duobus terminis annuatim sibi (Nobis) vel Comiti suo dare teneantur."

§ 39.

Urbibus, ut adnexam privilegiis suis militiae obligationem pecunia redimere possint, indulsit.

Saxones Scepusienses, qui secundum literas Stephani V. census, vectigaliumque nomine tercentas quotannis argenti marcas pendere, cum domi aut foris belli posceret necessitas, quinquaginta viros lanceatos praestare tenebantur, censu illo ad mille ducentas Marcas aucto, militiae immunitate donati[1]); Saxonibus de Medgyes et Selk in Transylvania concessum, ut onus bellicarum expeditionum pecunia quotannis repraesentanda redimerent[2]). Habuitque haec istorum conditio commodi satis, ut urbes hanc sibi utendam aliae super alias expeterent. Quod non tam ignavia factum, quam quia, uti jam de vetustissimis populis memoriae consignatum accepimus, inter urbanam industriam, sellulariasque ac questuarias artes, et bellandi laborem parum convenit; qui itaque illas exercerent, nullibi gentium non libentius pecunias ad

---

[1]) Literis de a. 1317 pridie Idus Nov. a. 1328 novo sig. confirmatis.

[2]) Ederus in observ. ad Felmerum.

sumptus belli conferunt, aut mercenarios milites conducunt, quam absunt domo [3]).

[3]) Saxones Eperjesienses, Cibinienses et alii de Sáros, centum et quinquaginta Marcas puri argenti, et pro strenis marcas, quinquaginta pacti, literis de a. 1324 tertio non. Nov. consecuti sunt, ut ne deinceps ad exercitum Regis generalem vel particularem, vel ad Congregationem Regni generalem (supra § 24) venire teneantur.

§ 40.

Jazygum jura avitae virtutis militaris causa confirmavit.

Jassones scribere parabam; ita enim eos Corolus Robertus in Privilegio vocat, edito a. 1323, quo Larzan, filium Zorán, Joachan, filium Furdach, et horum fratres, cognatos, proximos a potestate filiorum Keverge eximendo, in statum Jassonum, specialiter Regiae Majestati exercituare debentium transfert. Jazyges scripsi usu pervulgato, cui: pro Ijász, quod Pharetrarium notat, eodem plane significatu Jász placet. Gens est gemella Cumanorum Arpadi, s. Ladislai, Stephani II., Belae et Ladislai IV.; per hanc stirpem suam, cujus bellicae virtutis gloria aequo jure ad eam pertinet, tam celebris, ut, qui eos a Jazo, Agenoris nepote: nam alii ab Jone, Xuthi filio; Jonibus pelasgis; Pan-Jonibus; alii a Jazygibus Metanastis, Jassis Plinii, Jassiis Ptolemaei, et rursus alii a gentibus apud Strabonem et Dionem Cassium alterutri nomini adsonantibus deducunt; non equidem horum operam non laudandam, sed in re ipsa, quem Petrus Horváth domesticus gentis hujus scriptor gravis tenuit, mihi item servandum sapientiae modum [1]), et apud Dionem Cassium quidem non Jassios, sed mores potius Parthorum con-

[1]) Comment. de init. ac Maj. Jazygum et Cum. 1801.

templandos existimem, qui cum cultu militiaeque ratione Aboriginum generis nostri mire quam congruunt[2]).

---

[2]) Lib. XL. c. 15.

VIII. Res Caroli bello foederibusque cum Principibus externis gestae.

§ 41.

Inter has

Bello, quod cum Urosio Serviae Rege fuit, non hunc solum Carolus ad officium revocavit, sed partem quoque Macedoniae in suam redegit potestatem. In coercendo Bazarado Valachiae transalpinae Vajvoda parum felix; Mladinum quidem, qui popularium adjutus favore, Dalmatiae, Croatiaeque Banum se ferebat, bello cepit; sed perfidiam Neliptii, et in accolis partium earum, quae primae olim Carolo fidem obstrinxerant suam, ab hoc abstrahendis dolum, aliis avocatus curis, filio ulciscendam reliquit.

§ 42.

quae pactis conventis confectae sunt, nomini ejus gloriam singularem; Ludovico certam successionis in regno Poloniae spem

Ad res cum exteris gerendas prosperrimum telum foedera et pactiones ratus, ex suppetiis Friderico Austriae Duci, electoque Romanorum Imperatori contra aemulum praestitis hanc utilitatem tulit, ut Posonium cum omni ditione, quam vidua Andreae III. dotis tenebat nomine, facile redderetur. Idem ei in componendis Principum vicinorum invicem simultatibus studium, in quod omni industriae genere, nec modico aerarii impendio sic

penitus incubuit, ut castrum Visegradiense quoddam veluti Concordiae templum evasisse, vere Katonaius observet. Neque eo minus renuo: praecipuam hujus laboris sumtuumque causam huc spectasse, ut Regia florentem sobole Domum suam, nova ditionum accessione redderet amplissimam. Quibus re ipsa id consecutus est, ut Casimirus ductis secum Poloniae Primoribus, Visegradi Ludovicum conditionibus, mutua Ordinum gentis utriusque consensione in tabulas relatis, haeredem Poloniae constitueret. Evenit hoc sexto post anno, quam Carolus filio Stephano auctus, iter in Siciliam cum filio Andrea iniit, reque, cujus causa venerat, per Pontificem adhuc gesta, coram cum Roberto Rege peracta, filium hunc Joannae ejusdem nepti despondit.

§ 43.

attulerunt.

Atque haec, Carolo Rege, facies Hungariae fuit, sane quam magnifica et elegans; sed in qua nativam vultus gratiam desideres, sollicitudinis autem indicia videas plura, quod a Domino penderet, non eo quidem illiberali, sed qui amari per populum dedignatus, dum metui tantum vellet, insolentis fastidii hujus invidia, praeclare factorum quoque suorum gratiam corrupit.

LIBER DUODECIMUS.

LUDOVICI MAGNI

TEMPORA.

Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic Moderatori reipublicae beata Civium vita proposita est; ut opibus firma, Copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Scipio apud Cic. Ep. ad Atti. l. VIII. 11.

XXVII. REX LUDOVICUS I.

ab anno 1342 — 1382.

§ 1.

Universis Ordinum regni suffragiis corona incinctus.

Hunc Comes Paulus de Nagy-Marton (Judex Curiae Regiae fuit) unanimi Praelatorum, Baronum et Nobilium regni voto et intentione, in Alba Regali, solito loco cathedrali, die dominica proxima ante festum b. Jacobi Apostoli, a. 1342 corona beatissimo Stephano I. Regi Hungariae divinitus data, solemniter coronatum ad posteros prodidit [1]); quasi conceptis hos monere verbis voluisset, non a Pontifice designatum, non fortuita nascendi oblatum conditione, sed quantacunque haec esset fortuna, salutem gloriamque nominis hungarici commisisse Principi non ad aequandas tantum, sed superandas quasque amplissimas spes genito; et fortunae hujus et provenientis ex hac beatitatis suae, ipsum sibi auctorem populum exstitisse. De qua dicturus, a cunctis, in quorum manus Commentaria haec inciderint, etiam, atque etiam queso, et peto, ut meminisse constanter velint: nunc praefinitum his esse modum, solas ut res ad statum

---

[1]) Literis de a. 1343 C. D. IX. v. 1. p. 168. Hoc idem verba Chron. Bud. „de Magnatum, Procerum, Militum, ac communitatis Nobilium regni Hungariae voluntate unanimi et favore praecedente" significant. Recte itaque Bonfinius „nemo unquam tot favoribus, ac tam propitio populorum ac Ordinum omnium consensu Rex unquam creatus esse dicitur".

Hungariae publicum, usumque et consuetudinem vitae civilis, temporis cujusque, cognoscendam pertinentes, ea igitur, quae memoriae sunt, consectentur; quidquid artem et scientiam et ferendae in posterum legis diligentiam attingit, Comitiis hoc, artiumque illarum Magistris relinquant; tanto autem magis in praecipuam eam muneris sui incumbant partem, ut veri falsique secernendi disciplinam teneant, neque alio, nisi qui rebus patefactis, detersaque vetustatis rubigine, uti par est, explicitis, aut ex situ obscuro et tenebricoso in meliori collocatis luce, inest, clarescere nitore studeant. De Ludovico aequalibusque temporum ejus Majoribus nostris alioqui vel apte dicere, labor est non omnis sollicitudinis expers; ne his, qui magnitudinem rerum per eos gestarum admirantur, parum; aliis, qui hanc nobis Historiae hungaricae partem maxime invident, multum dixisse videamur. Sed haec hactenus.

§ 2.

amplissimas hujus ditiones, quae avulsae erant

Ludovicus ineunte adolescentia regnum auspicatus, altero mox hujus anno, quantus bello futurus esset, in Transylvania ostendit, ubi Saxones, quos a fide, fortitudineque militari alias laudavimus, contempta ejus aetate regiis vectigalibus interceptis, obedientiam aperta seditione detrectarunt. In hos profectus, tantam et laboris patientiam, et usus armorum peritiam, et erga eos, qui se clementiae illius permisissent, magnanimitatem explicuit ut, quod hinc in Transalpinos, ad vindicandam perfidam exercitus paterni caedem transferre constituit, bellum sola ferme Virtutum harum fama conficeret. Bazaradus Vajvoda namque ubi appropinquare eum cum manu delecta sensit, ad obsequium, quod Carolo antea negabat, sua voluntate revertit, et quae imperaturus esset, perpetuo facturum se, cum natu majoribus gentis universae spopondit. Quos deinde Optimatum Croatiae pars maxima secuti, quum Ludovicum armata ad Bihacsum adesse ma

manu vident, seque castraque dediderunt. Haec bella excepere suscepta pro sociis, hacque fortuna gesta, ut nemo jam dubitaret, pacta consulto vel auctore Carolo conventa, inconsulto vel renitente Ludovico, impune abrumpi non posse; haud mediocre igitur magnanimitatis illius esse pretium, qua Duces Austriae jus successionis eidem in terris suis stipulatos, ab hac sponsione penitus liberos pronunciavit [1]). Italicum deinde sequebatur ad ulciscendam necem, quam Joanna neapolitana Andreae fratri ejus, marito nempe uxor, incestis amoribus contaminata, sicariorum ope intulit; vindicandumque simul jus successionis in regno Siciliae, quod ex constitutione Clementis IV. ad Ludovicum spectabat, per Robertum, quod posteris quam agnatis indulgentior esset, interversum. Initium hujus, vel victoriarum potius, quarum aliae super alias secutae sunt, a. 1347 factum, neque ullum bellum aliud nomini hungaro seu a fortitudine militari, seu praeclara disciplina, ipsis adeo hostibus laudata gloriosius fuit; sed quinquennalis laboris industriaeque fructum omnem Clementis VI. Pontificis erga Joannam voluntas intercepit, verecundia injuriae, dedecoris, offensionisque bonorum omnium major.

---

[1]) Pray Hist. Reg. Hung. P. II. p. 113.

§ 3.

virtute et felicitate sua recuperatas

Dalmatiae causa bella ei cum Venetis plura, quae sopita aliquamdiu rursus recruduere, dum tandem a. 1358 pax his inita conditionibus est [1]): quidquid eo spatio, quod initio a medietate Quarnici seu Carnici sinus ducto, usque ad Epyri limites Dyrrhachiumque tenditur, oppidorum, in-

---

[1]) Apud Du Mont Corps Dipl. T. 1.

sularum, portuum est, id omne, cum dominio jureque proprietatis, una cum titulis Dalmatiae Croatiaeque, quibus usi Veneti essent, in Ludovicum hujusque successores Hungariae Reges ut transiret [2]), nec unquam actione ulla aut beneficio juris et legis adversus cessionem hanc usuros se Veneti juramento promitterent; Ludovicus contra, quae in Marchia Tarvisina, Istria et in ditione Cenetensium occupasset, Venetis restitueret, secura parti utrique et libera navigandi mercandique potestas esset; malefactores neutri reciperent, curarentque a piratis mare ne infestetur. Permutatis pacis tabulis, Ludovicus Diplomate alio cavit, ut Dalmatis jura sua municipalia deinceps quoque integra essent. Maritimi autem salis Cameram ad eum morem, qui in Hungaria obtinebat, disposuit. Lucrum, quod ex hac in aerarium redundaret, haud mediocre quum esset, molimen Venetorum mercimonium salis per Adriaticum vetandi, post annorum **20** intervallum, novi causam belli praebuit. Quod ex foedere inter Ludovicum et Patriarcham Aquilejensem, Carariam item Paduae Dominum et Forojulienses Genuensesque inito, socia cum his gestum opera anno **1381** his desiit legibus: Ludovicus ea, quae de Patriarcha Aquilejensi, Paduano et Genuensibus constituta essent, rata haberet; Veneti, qui centum aureorum nummorum millia Regi deberent, de his censum, septies mille aureos, ei successoribusque in festo d. Stephani Regis quotannis persolverent. Quos quidem hi diu postea, etiam Sigismundo Regi pensitarant.

---

[2]) Dalmatia igitur integra his ipsis limitibus per Const. Porph. de adm. imp. c. 31, et per Thomam Archid. Spal. Hist. Salon. c. 1. circumscripta.

§ 4.

auctasque unus tenuit omnes.

Ragusini, qui et Epidaurii et Ragusa Vechia dicti, publico nomine Eliam Archiepiscopum, et quatuor patri-

cios a. **1357** ad Ludovicum delegarunt, et annuos quingentos aureos pacti, se in ejus, Regumque posterorum fidem contulerunt [1]) sponte, perstititque nexus hic plurimis deinde privilegiis excultus [2]) usque ad tempora Ludovici secundi.

---

[1]) Engel Gesch. des Freist. Ragusa p. 132.

[2]) Alberti est de 30. Julii 1438. Lad. posth. plura de a. 1456 exstant privilegia, quibus Rectori in medio eorum electo titulum Archirectoris; Urbi signum phaenicis in sigillo, usum cerae rubrae, jus praeterea cudendae monetae aureae tribuit. De Uladislao II. et literis ejus vide Istvánfy l. II. p. 20. et Tudom. tár. a. 1837 v. 1. p. 155.

§ 5.

Idem regni quoque Poloniae possessionem adivit.

Ludovicus post fata Casimiri Poloniae Regis anno **1370. XVII.** Novembris Cracoviae coronatus, hujus quoque regni possessionem adiit; gubernationem autem Elisabethae matri et post hujus in Hungariam reditum anno **1377** Ladislao Duci Opuliae (ab a. **1368** usque ad annum **1373** Palatino, Russiae deinde praefecto) commisit. Elisabetha mortua, communi Regis, Ordinumque Poloniae consensione Zavisus Episcopus, Dobeslaus Castellanus Cracoviensis, et Sandiroghius Calishiensis Palatinus delecti, qui vicaria potestate administrarent regnum, per Ludovicum post mutatam a. **1374** in Comitiis Cassoviensibus primaevi pacti conditionem, ex qua jus successionis solum sexum masculinum sequeretur, filiae suae Mariae destinatum. Hanc Ludovicus a. **1377** Sigismundo Caroli Imperatoris filio Tyrnaviae despondit, persuasitque Polonis Zolium evocatis, ut futuro huic genero suo, quem moribus, linguaque hungarica imbuendum [1]) post sponsalia

---

[1]) Chron. Bud. p. 340 comunicato consilio serenissimarum Reginarum, genitricis et consortum suarum, nec non Praelatorum et

apud se retinuit, fidelitatis sacramentum dicerent. Quo praestito, copiis hungaricis instructum, pro capessendo regno in Poloniam misit.

Baronum regni praecedente. Secundum Dubrav. l. XXII. „missus non multo post in Hungariam Sigismundus ut a teneris statim sermonem hungaricum, usumque militiae perdisceret."

§ 6.

veri nominis Archi rex.

Itaque Ludovicum finibus regni a mari Adriatico ad Balticum prolatis, quidquid id est, quod Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Bulgariae, Cumaniae nominibus comprehenditur, unus auctoritate legitimi imperii tenuit; regnum enim Siciliae per Urbanum VI. sponte jam oblatum, a. 1380 Carolo Dyrrhachino cessit.

§ 7.

Bello paceque pariter magnus.

Verba Andreas II. per Bullam suam auream dedit, per Carolum quoque tanti, et non ultra habita; veritatem verbis illis virtutemque Ludovicus addidit, reique firmavit fidem. Poterat hic Decretum Andreae alterum de a. 1231 probare, eratque vel per hoc amplissimum, justitiae, aequitatisque suae editurus monimentum; ipse tamen eodem opere innocentiae simul sanctitatisque morum suorum exstare ad posteros specimen voluit; hujusque conscientia animi, eam quoque Bullae partem probavit, quae liberam populo attribuit resistendi facultatem. Trajani, credo, qui Praetori gladium porrigenti „pro me, ajebat.

si bene; contra me, si male regnavero [1]),“ et similia Caroli calvi in Gallia, Henrici I. in Germania, Alphonsi III. in Aragonia [2]), memorabilia dicta scitaque, quam plane ex mente sua essent, Decreti sui auctoritate in perpetua testari tempora constitutum secum habuit.

---

1) Müller Weltgeschichte. I. 347.

2) Spitler Staatengeschichte. — Schütz Allgem. Gesch. cet.

§ 8.

Bullam auream Andreae II. confirmavit.

Nihil enim de resistendi facultate ab Ludovico Hungari postulaverunt quidquam; ne ab Andrea quidem III.; cum maxime possent, manuque prope tenerent, quidquid concupiscerent. Quo magis persuadeo mihi, nullum universae genti gratiorem alias illuxisse diem, quam quo ei de hac Regis maximi fiducia in animis suis collocata innotuit. Et haec quidem Majorum aetas, praeclarissimas artes, quibus tanto Ludovici animum devinxerat opere, veteribus ortus nostri vitiis: discordia et factionibus profligatis, sic deinceps quoque coluit, ut diligeret ille quidem populos suos omnes, Hungari tamen prae ceteris essent, quos amaret. Nec immerito: his enim fuerunt moribus, ut hoc ejus judicio laudatissimi ipsi, posteros darent tantae capaces virtutis, ut cum redire domestica ea mala, hisque Bullae aureae et Ludovici indulgentiam obtendi viderent, ancipiti hac resistendi libertate, sua semet sponte in gratiam Vladislai I. abdicarent.

§ 9.

integramque esse voluit etiam auctoritatem Palatini.

Primus hic regni Magistratus ob amplitudinem dignitatis molestus Carolo, non etiam Ludovico fuit; sed in subrogando hunc servavit modum, ut nec sine Palatino

regnum, nec diuturno **Palatino** esset uno; ut qui invete-rata potestate alterutram in partem facile insolesceret. Quam igitur pater de plenitudine potestatis **Regiae** Sóváriis, hanc filius de **Regiae** liberalitatis clementia Vasváriorum **Majoribus**, populisque haud paullo secus, ita nimirum impertivit gratiam, ut judicio Comitum parochialium et Judicum nobilium exemti, suo solummodo, vel **Palatini Regni** sui aut **Judicis Curiae** suae judicio in ipsa Curia sua ferendo reserventur. Sic vero dignitatis **Palatini** et amplitudinem restituit, et proëdriam [1]).

[1]) Sóvariorum d. a. 1326. Vasváriorum de a. 1360. Literas Archiv. Jasov. conservat.

Generales regni conventus celebravit saepius.

§ 10.

De vi, et potestate legis idem ei, qui Colomanno olim sensus

Queri cum fortuna possem, ita hanc literas omnes abdidisse, ut scriptores plures ii maxime, qui veterem Comitiorum usum, ex praesenti metiuntur, negent per **Ludovicum** Comitia aliquando celebrata; sed non discedam a consuetudine mea, a praesenti vero, quo fungor, officio, abesse querelae debent. **Ludovicus** Curiam **Regiam** ad castrum novum montis **Pesthiensis** (novae **Budae** nomen) a. **1353** transtulit; ibique et judicia pro more exercuit, et si condendae novae legis emergeret necessitas, consilia cum **Ordinibus** regni contulit. **Pro Regia** enim **Patris** lege illud potius **Alexandri Imperatoris** „nihil tam proprium **Imperii** esse, quam legibus vivere“ [1]) con-

[1]) L. III. c. de Testamentis.

stanter praese tulit [2]). Itaque factum, ut „leges non secus, quam Praelatorum, Baronum et Nobilium perferri consensione posse, hujusmodi tamen scitis, promptum per omnes obsequium praestandum esse“ ex ejus ore [3]) habeamus. Propria haec item ejus verba sunt: „moris id esse, consuetudinisque, atque consonum rationi, ut quidquid RegiaMajestas de consilio et bene placito [4]) Praelatorum et Baronum, Procerum et Nobilium regni sui decreverit faciendum sive statuendum, et matura deliberatione praehabita agit, ordinat ac disponit, in his praesertim, quae ad utilitatem et honorem et commodum suum suique regni venire possunt; non immerito ab omnibus regnicolis debeat approbari et inviolabiliter observari.“

---

[2]) Verum est illud Dlugossi l. X. p. 4 quod si illum (Ludovicum) tam Poloni, apud quos regnaturus erat, quam Hungari, apud quos jam regnabat, suis ingeniis uti passi fuissent, latius et tunc et hactenus regnum Poloniae praesidentiae suae funiculos extendere valuisset.

[3]) Literis nempe IX. v. I. p. 412 ad a. 1355 editis. Adde ad has Artis notarialis de aevo Lud. punct. 28 quod haec habet: „Cum nos de communi Praelatorum et regni nostri Baronum consilio et consensu, ac cum eisdem super hoc pluribus vicibus mature tractantes novam monetam Nostrae Regiae Majestatis imaginem in se habentem expressam currere debere ordinaverimus“ etc.

[4]) Confer l. III. §. 114.

§ 11.

Forma Comitiorum eadem, quae art. 31. Decreti inauguralis Andr. III. describitur.

Ad congregationem indictam per Regem qui convenerant, Incolae regni, quid per hunc aut Praefectos Regios aut potentiores actum esset perperam, seu ore, seu scripto querebantur, ac de his, lege constitui roga-

bant. Haec ad Regem delata, expensaque et temperata cum Praelatis et Baronibus regni, responsum hujus tulerunt, quod a vetustissimis temporibus ordinatio, ab aetate vero pervulgati Juris Justinianei etiam Privilegium dicebatur. Literarum hujusmodi plura jam eruta sunt exempla, ex quibus Diploma Ludovici, super moderativa cum Praelatis et Baronibus ordinatione sua, qua erga gravamina et postulata universorum Nobilium, Siculorum, Saxonum adversus Episcopum Transylvanum exhibita, interdictum et excomunicationem ad injurias ipsi factas Eclesiae reduxit, acquisitionem bonorum per Episcopum non secus, quam cum permissione Regis instituendam decrevit, a. 1344 editum [1]; aliud de a. 1351 corpori juris illatum, tertium de a. 1366, quibus Nobilium Transylvaniae jura ordinat [2], nos pro veri nominis Decretis Comitiorum habemus. Ordinationibus hujusmodi, si necessitas, aut aequitatis, vel excellentis virtutis ratio tulit, decerpsit quidem Ludovicus suo ipse nonnumquam judicio [3], sed hoc plenitudinis supremae potestatis regiae exercitium, Majores nostri tam aequo

---

[1]) Apud Benkő Milkov. T. I. p. 122. Katona H. C. T. IX. p. 340 seqq.

[2]) Apud Katona ex mss. Cornid. H. C. T. X. p. 374.

[3]) Quae §-pho hoc diximus, jam l. III. ad § 110, 111 delibata, literae Ludovici de a. 1352 velut in nuce exhibent. „Licet nupernis temporibus in congregatione, ait is, per nostram Serenitatam universis incolis regni nostri indicta, a nobis instanter petierint, ut universa tributa in siccis terris et fluviis hactenus exigi consueta amplius non exigerentur, et super hoc literas nostras privilegiales (legem, decretum) receperint; tamen, quia tributum Dominae Reginae, quod in villa s. Jacobi prope civitatem nostram Budensem in siccis terris ab antiquo exigitur — — per nos et — Genitricem nostram — in pios usus Sanctimonialium s. Clarae concessum" etc.

ferendum animo duxerunt, quam legibus se romanis [4]) Ludovici temperatis aequitate regnari facile patiebantur.

---

[4]) Ex his illa, quae sub auspicia Imperii Vespasiani condita est, haec habet: Utique. quaecunque. ex. usu. reip. Majestate. divinarum. humanarum. publicarum. privatarumque. rerum. esse. censebit. ei. agere. facere. jus. potestasque. sit. cet.

De
Legibus Ludovici praecipuis.

I. Legem Majestatis Caroli in moris prisci redegit modum.

§ 12.

Art. 19. a. 1351 [1])

Non erat quidem dubium, Regem, cujus omnis voluntas, omnis cogitatio, mens tota avitas intuebatur leges, in quibus populus summam felicitatis suae collocabat, si quis incideret ex lege Majestatis procedendi casus, Patris sui arbitrio, moderationem Constitutionis s. Stephani antihabiturum. Erat tamen libero populo vel hoc molestum, quod Carolus factitarat, posse facere filium, si velit. Non hoc Ludovicum latuit; sua igitur sponte binas Decreto Andreae II. adjunxit leges, per quas liberos, fratres, aut propinquos reorum, cujuscunque causa criminis capite condemnatorum, ab omni immunes poena pronunciavit.

---

[1]) Nam praecedens art. 10 ad eos pertinet, qui ordinaria capitali sententia sunt condamnati.

Dicam clarius: quod Alexander M. Macedonibus [2]), hoc Ludovicus Hungaris praestitit suis, et in modo quoque declarandae hujus magnanimitatis parem uterque rationem tenuit; non enim ii per populum rogati, sed et Macedones et Hungari immortali hoc aequitatis Principum suorum munere subito deprehensi sunt.

---

[2]) Priscam enim Macedonum legem illam Alexander antiquavit; verba ejus ita apud Curtium lib. VIII. cap. 8. n. 18 sunt: „At nunc mones me, ut vestris parentibus parcam; non oportebat quidem vos scire, quid de his statuissem, quo tristiores periretis, si qua vobis parentum memoria et cura est; sed olim istum morem occidendi cum scelestis insontes, propinquos, parentesque solvi, et profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt.“

§ 13.

Consuetudinem art. 17 Decreti sui perstrictam adversamque juribus Nobilium abrogavit.

His comparata de portoriis lex ejus momento quidem ad statum rei publicae universae minor est, multo tamen jucundissimam soliciti ejus in Ordinem equestrem amoris significationem habet. Ex constitutione Caroli quidquid ad victum Nobilium seu per Colonos seu alios veheretur, vectigali non suberat. Eo minus itaque ambigi potest, Nobiles ipsos portoriorum immunes fuisse; haesit tamen, nescio quando caepta, procax certe consuetudo, ut nobiles, dum ad ducendas proficiscerentur uxores, itemque dum has ad lares deveherent suos, quacunque iter facerent, ad telonia, non illud, quod aliquot dissolvi nummis potuit, debitum sed locis singulis unam dependere marcam tenerentur. Quod cum Nobilibus praesertim angustiorum facultatum per esset grave; Ludovicus sumptus tam iniquos indignatus; condita lege (ut propriis ejus utar verbis) cassavit et annihilavit.

II. De politica aequalitate nobilium, legem, quam in antiquissimis Hungarorum moribus laudavimus, instauravit.

§ 14.

Articulo Decreti sui 11-mo,

Ludovicus in literis ad Nobiles Transylvanos [1]) exaratis, justa magnanimitatis aequitatisque suae fretus conscientia, id se his dedisse commeminit, ut non lucrum Camerae deinceps penderent, non victualia administrare, non militiam facere inviti cogerentur. Haec namque omnia praestare nobiles tenuioris ordinis non per Transylvaniam modo, sed Hungariam universam Carolo Rege debebant, dum Domini iis solum, quas ipsi cum eo jussissent, parerent legibus essentque, ut vidimus, officio etiam praestandi per se lucri Camerae exoluti [2]). Quantum igitur Carolus in formulis rei suae codicillaris unioni appellationis Nobilium consuluit; tantum, in re vera, de momento hujus in aequabilitate juris quod situm est, deminuit, auctorque exstitit consuetudinis novae, ut qui in numero potiorum non essent, Nobiles minores dicerentur. Cujus quidem formulae exemplum antiquissimae Tabulae Constitutionum Transylvaniae servant de anno 1347, in quibus Majores et minores viri nobiles scribuntur, qui Congregationi Thordae adfuerunt [3]). Palmarem legis avitae injuriam Ludovicus, pro summa Juris publici Hungariae prudentia sua et perspexit facile,

---

[1]) Sunt de a. 1366. Katona H. Cr. T. III. ord. X. p. 379.

[2]) Superius § 21.

[3]) C. D. IX. v. 1. p. 525. Sigismundus majores Nobiles, exemplo Caroli, Decr. VI. art. 20 § 3. Barones vocat; eos, qui 20 sessiones jobbagionales habent § 3 art. 23: 1492 minoris status personis accenset. Qui jobbagiones non habent, nobiles unius sessionis appellantur hodieque.

et, quae ejus erat aequitas, ferendi remedii curam ad se valde pertinere arbitratus, ultra confirmatam Bullam auream, distincta lege sanxit „ut universi viri nobiles intra terminos regni Hungariae constituti, etiam in tenutis ducalibus, sub inclusione terminorum ipsius regni existentes, sub una et eadem libertate gratulentur." Legi huic Ludovici nihil tam videtur refragari, quam illa Uladislai II. Decreti III. art. 1. comprehensa, quae Praelatis et Baronibus, Nobiles potiores, his mediocres ac tandem inferiores subjungit. Re penitius inspecta, nihil ei sufragatur magis. Praelatis enim et Baronibus regni, ad diem Comitiorum qui non adessent, octingentorum ratione dignitatis; Nobilibus, quod nullo facultatum, opumque discrimine, omnes aequali praerogativa essent, aequalem quadringentorum florenorum auri mulctam irrogat. Quae cum ita sint, ilicet, sermonum, quos de pulcherrima hac antiquissimaque Majorum lege usque adhuc habuimus, replica memoriam [4]); his enim omnia hujus per aevum medium stadia, nisi tibi secus videtur, feliciter decurrimus.

---

[4]) L. II. § 26. 27. 28. L. III. § 54. 55. 56. 94. L. VIII. § 17, ubi etiam de dote legali, in qua emetienda Majores, hanc, quam Posteri in indicenda mulcta illa deinde sequebantur, iniverunt rationem.

§ 15.

cujus vox „Viri" controversa,

„Viri" scripsi, non temere, ut vides; exempla enim praeposui, quibus etiam art. 1. 1440 adnumeraveris; sed plane cum iis sentio, qui in Decreto Ludovici „veri" legendum contendunt. Quod quidem Ludovicus epithetum usu sibi in diplomatibus tritissimum loco hoc, non more tantum suo adhibuit [1]), verum etiam ratione, ut de genere

---

[1]) Jam Steph. V. (v. 1. p. 255) Magistro Antonio Decretorum Doctori, et ejus haeredibus insulam juxta Rabam conferendo,

nobiles, a filiis Jobbagionum [2]) aut singularibus discerneret personis, quarum muneri aut ordini sacro concessum id est, ut nobilium praerogativa uterentur. Hunc apud eum epitheti hujus sensum esse, neque aliud quidquam, quod nonnulli suspicantur, in eo latere, cum ex literis Ludovici satis pateat citatis per Emericum Bubekium in Regesto de Thurocz [3]), quarum alterae verorum regni Nobilium; alterae sincerorum regni Nobilium coetus meminerunt; ex sequenti Diplomate authentico plus satis patebit: „Nos Nicolaus Konth regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum memoriae commendamus. Quod in congregatione nostra generali Universitatis Nobilium Posoniensis et Mosoniensis Comitatuum feria sexta proxima post nativitatis Christi in Venches (Vedricz hodie vulgo dicitur) prope Civitatem Posoniensem celebrata Mathias filius Joannis, Jacobus filius Mathaei, Georgius filius Pauli, Thomas filius Andreae de Gyerchka [4]), in suis et aliorum proximorum suorum personis, de medio aliorum causantium exurgendo, quasdam literas serenissimi Principis Domini Ludovici Dei gratia Regis Hunga-

---

subnectit: „ipsumque M. Antonium ac filios et haeredes, nec non haeredum successores veros Dominos effecimus insulae supradictae" ut epitheto hoc a filiis jobbagionum discernantur, qui et ipsi vulgo, Domini et Nobiles et haeredes, non veri Domini, veri Nobiles, et veri haeredes ea, uti hi plenitudine (V. 3 p. 401) dicebantur.

[2]) In literis Ludovici (IX. v. 6. p. 106) productis, Petrus de Madar cognatos suos „nobiles Jobbagiones castri appellat, oratque Ludovicum, ut eos cum possessionibus suis a jobbagionatu castri eximat", et in coetum verorum regni sui nobilium agreget. Defert Rex precibus ejus, et cum illum, tum vero Cognatos „in coetum, numerum, et catervam purorum et verorum nobilium regni agregando decernit, ut iis libertatibus et praerogativis verorum nobilium utantur, quibus ceteri nobiles et proceres regni freti sunt" cet.

[3]) Edito per Engel in monumentis hujus Ungricis num. XI. et XIII.

[4]) Etiam Gyorska in antiquissimis literis; hodie Dercsika.

riae Domini nostri annulari sigillo suo consignatas hunc tenorem continentes nobis praesentavit. Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae fideli suo Magnifico viro Nicolao Konth regni sui Palatino et Judici Cumanorum vel ejus personae vice judicantibus salutem et gratiam. Dicunt nobis Nobiles exercituantes de villa Gyurchka, quod ipsi a tempore, cujus non exstaret memoria, veri nobiles exstitissent, moreque aliorum Nobilium Comitatus Posoniensis perstitissent; nunc autem Magister Ponya Comes dicti Comitatus per suos vices gerentes ipsos ad servitia, quae nunquam praestare fuissent obligati, compelleret facienda [5]) in praejudicium nobilitatis eorumdem valde magnum. Unde cum nos de his certiori — velimus documento, fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus in Congregatione vestra generali in praedicto Comitatu Posoniensi celebranda, ab omnibus Nobilibus et aliis dicti Comitatus hominibus ad eandem Congregationem confluentibus, diligenter de praemissis investigando sciatis et inquiratis meram et omnimodam veritatem, et post hac, prout vobis veritas constiterit praemissorum, nobis fideliter rescribatis, volumus tamen, ut dictus Magister Ponya Comes Posoniensis et suas vices gerentes praedictos nobiles ad indebita, inconsueta ac nova servitia medio tempore non compellant facienda modo aliquali. Datum in Visegrad 6-a die festi b. Egidii confessoris anno Domini 1361. Quarum literarum exhibitione, praesentes cum nobis Vice Comitem, Judices Nobilium, Juratosque Assessores ipsius Comitatus Posoniensis ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque Domino nostro Regi, suaeque sacrae Coronae, pro dicenda veritate, pro justitia observanda, tacto vivificae Crucis ligno nobis praestanda super praemissis requisitos habuissemus; idem Vice-Comes,

---

[5]) Ex lit. cap. Pos. de a. 1386 apparet, quod Magister Emilo Vice Comes Poson. Mathiae filio Joannis de Gyursuha, et ejus proximis „putando eosdem esse et fuisse Jobagiones castri Posoniensis" damna aliqua intulerit.

Judices Nobilium, Juratique Assessores dicti Comitatus Posoniensis, ad praescripta, fide eorum nobis praestita super praemissis unanimi et concordi testificatione taliter affirmaverunt, quod praenominatus Mathias filius Joannis, Jacobus filius Mathaei, Georgius filius Pauli et Thomas filius Andreae de Gyurchka, ab avo et proavis semper veri nobiles exstitissent, et nunc essent [6]), neque aliquo servitio Comiti Posoniensi fuissent innodati, sed more verorum nobilium regni in dicta possessione Gyurchka permansissent, et nunc permanerent. In cujus assertionis testimonium praesentes literas nostras eisdem duximus concedendas communi justitia suadente. Datum sexta die Congregationis nostrae praedictae in loco superius citato anno Domini 1366" [7]).

---

[6]) Horum posteri deinde (secundum lit. Cap. Poson. de anno 1373) coram Magistro Nicolao de Geurgetegh et Andrea filio Simonis de Ety Judicibus Nobilium minoris Comitatus Poson. ,,quia dicta possessio ipsorum haereditaria Gyurska vocata quatuordecim generationum et avorum ipsorum similiter haereditaria fuisset" eam dividunt hac ratione ,,quod si quempiam dictorum Nobilium et generationum praenominatarum absque haeredum solatio ab hac luce migrare contingeret, extunc portio ejusdem immediate et absque strepitu ad propinquiores affinitatis et consanguineitatis proximos praescriptarum generationum succedere et devolvi debeat, et teneatur pleno jure." Szemesiorum antenatus Stephanus hoc; Feketeiorum Dominicus filius Michaelis, nigri cognomento in literis his vocatur.

[7]) Literis his simillimae sunt illae de a. 1356 Marczeliis de Kis Udvarnok in Csallóköz datae (IX. v. 7. p. 146) quos comperto, quod ab avo et protavo semper veri et naturales nobiles exstiterunt, et sub sincero et vero nobilitatis titulo praefulserunt, cum terra sua, nulla prorsus conditionis ruga ullo unquam tempore ipsos denigrante, mera et sincera nobilitatis praerogativa hac perpetuis temporibus cum terra sua gaudere jubet.

§ 16.

articulus item 12 explicatur.

Onera igitur nobilium Jobbagionum, quae per Andream II. et vetita fuerant semper et exacta, per Carolum exacta solum, Ludovicus tam per Hungariam, quam per partes, quibus Stephanus frater ejus praeerat, sustulit. Justum sane, pium, magnum Regem hunc; sed interpretem ejus in Slavonia angustum et parvum, qui dum Comitatus hujus a lucro Camerae antea immunes, huic avaritia Ludovici subjectos queritur, prodit manifeste: sensum se art. 12. Decreti ejus non assequi avaritiam igitur ei esse hanc liberalitatem, qua constituitur, ut ratione lucri Camerae (pro subsidio accepti) quoties publico hoc decretum Comitiatu fuerit, par nobilium in Comitatibus illis aliorumque per Hungariam conditio, obligatioque hujus dependendi communis sit; ratione vero collectae mardurinarum (Bánsolyosmája), quae ab iis Carolo Rege exigebantur, praestent nihil. Non itaque novi tributi Rex innocentissimus instituit quidquam, verum hac quoque parte libertatem priscam, Caroli succisam constitutione, Slavoniae restituit.

III. Nobilium de haerediis disponendi facultatem vetustissimo apud Hungaros gentilitatis jure temperavit.

§ 17.

De specie dominii Nobilium, quaestio est

Fac, rem a principio repetamus; nam de specie dominii, quo nobiles haeredia sua tenerent, mota superioribus his temporibus lis etiamnum fervet. Absolutum illud, vulgo allodiale, esse contendunt plurimi; his non multum inaequales numero sunt, qui rem ex principiis juris, quod feu-

dale dicimus, resecant. Nihil neque his, neque illis medium. Varietatis formularum styli diplomatum (clausulas vocamus) incuria utrisque par; sed sententiae illorum, tamquam ad libertatem propioris gratia major est.

§ 18.

antiqua;

Terras ex prima occupatione acceptas haereditates; Regum collatas dono possessiones scriptores quidam vocant, creduntque hac distinctione veritatem enodari; sed enim ex sententiis Curiae Regiae constanter in eundem sensum latis, quas Majores nunquam non legi scriptae adaequarunt, jam ante Andreae III. tempora, pro regula juris apud nos observatum in tribunalibus fuit „ut possessiones ab antiquo collatae pro haereditatibus[1]) haberentur." Stylo praeterea Cancellariae Regiae diu nulla constanti delectus verborum lege praeciso, terrae quoque hominum conditionariorum, quas jam parentes coluissent, terrae nativitatis et haereditariae pluribus scribuntur locis. His itaque auctoribus assentire, quin mihi ipsi dissentiam, nequeo.

---

[1]) Simone et Michaele Comitibus, filiis Simonis de Aragonia Donationem Andreae II. super terra Rehtukeur patri suo factam et per Lad. IV. confirmatam, in generali parlamento seu congregatione Domini Regis in Pest exhibentibus, idem (Andreas III.) consensu et consilio Primorum regni „cum possessiones ab antiquo collatae pro haereditatibus habeantur" terram eam iis reliquit, jure perpetuo pacifice possidendam. C. D. T. VI. v. 2. p. 229.

§ 19.

hodie tamen multo jam clarior; et jus quidem, quo primi, veri, et naturales Nobiles rerum suarum potiebantur,

Possessiones et Praedia si dicas, decedis quidem scopulo, quem nunc admodum indicavi, sed incides in

communem eam aevo medio vocabuli praedii acceptionem, ex qua fundum in praedium sibi collatum qui accepit, hunc in locationem conduxisse dicebatur. Mihi terrae ex prima acceptae occupatione, descensuales vocantur; horum vero possessores in litteris Regum, primi, veri et naturales Nobiles, verique haeredes. De reliquis fixa mihi, quia perpetuae Judiciorum apud nos consuetudini accomodata est sententia: diversas dominiorum species ex diversis styli diplomatum formulis, quarum supra commeminimus, explicandas esse. Multum namque interest, an in libertate filiorum Jobbagionum (in beneficium) aliquid concessum [1]); vel vero (uti Andr. III. ait) non solum in libertate filiorum Jobbagionum, sed eo etiam jure seu libertate, quibus Nobiles regni terras suas, seu possessiones dignoscuntur possedisse [2]), collatum sit.

---

[1]) L. III. § 88.

[2]) Supl. ad Annal. Scep. p. 82. Vim vocum harum Andreas III. interpretatur alio Diplomate (ibidem p. 443) „quod eandem possessionem possidendi per se et haeredes suos, cambiandi seu permutandi, vendendi, legandi in vita et morte, locandi et transferendi plenam et liberam ex nunc, ut voluerit, aut cuicunque voluerit, habeat facultatem.“ Cum his velim contendas jam literas Caroli Rob. de a. 1327 (VIII. v. 3. p. 215) quibus Georgium Liptov de Palásth de jobagionatu Castri Ilontensis eximendo, in coetum Nobilium transfert citatas loco suo. Cum his penitus consentaneum est illud Lud. I. (VIII. v. 7. p. 159) omni eo jure, nobilitatis titulo, quo ceteri veri, primi et naturales nobiles — uti dignoscuntur.

§ 20.

dominium plenum significat.

Hanc de meliori jure, aut potius optimo formulam, Bela IV. verbis familiaribus sibi „eo jure, ea plenitudine, eo titulo, eaque libertate, qua omnes Nobiles regni

nostri suas possessiones possident atque tenent" [1]) exprimit, vimque ac potestatem horum in jure, proprietate, et dominio sitam esse, pro tribunali sedens testatur [2]). Quod de iis quoque Regum literis tenendum est, quae agrum „jure primorum, verorum, et naturalium nobilium" aut usitata Ludovico I. loquendi consuetudine „mere, et ad instar nobilium regni primorum, et principalium; ita conferri indicant, ut ea nobilitatis praerogativa et privilegio mero et sincero possideatur, quo ceteri regni Nobiles principales atque primi a temporibus sanctorum, et aliorum Regum Hungariae illustrium consueti sunt gaudere" [3]).

---

[1]) In lit. de a. 1256 quibus Jordano Comiti filio Arnoldi quamdam sylv. reg. in distr. Scepes inter indagines regni sitam confert. Wagner annal. Scep. P. 1. p. 134. Idem sonant verba literarum ejus de 1248. (C. D. IV. 2. p. 33) sic jure et plene contulimus; ut tam donandi quam venumdandi, seu dimittendi in ultimo testamento cuicunque voluerit, liberam et absolutam habeat facultatem.

[2]) C. D. 3. IV. p. 328 „unde de cónsilio praedictorum Baronum nostrorum, secundum justitiam et regni nostri consuetudinem aprobatam declaramus, pronunciamus et etiam definimus praedicta duo Castra Tadenka esse de jure, proprietate ac dominio praedicti Episcopi." Ladislaus IV. ibid. V. v. 2. p. 80, prout ex ista donatione, traditione, et collatione nostra veri Domini dictarum possessionum, et utilitatum ejusdem effecti semper gaudeant juribus earundem cet.

[3]) Literas has per Lud. de a. 1351 IV. Cal. Febr. editas vide apud Kovachich supl. ad Vest. Comit. T. I. p. 285.

§ 21.

Quo d. Stephanus sua quoque teneri donativa concessit,

Jus dominii pleni primorum et naturalium Nobilium a Stephano Rege sartum tectum, terrarumque descen-

sualium indoles tantum abest, ut eo auctore quidquam vitii accepisset, ut potius omnes, qui agris a se donarentur, ea tabulis legum suarum potestate impertiret, ut horum, tamquam propriorum dominarentur liberrime [1]), ac post mortem simili dominio succederent filii, nec mulctari bonis his secus possent, quam si mortem Regis, aut traditionem regni molirentur, vel in aliam fugerent provinciam; tum enimvero et descensuales terrae et dono acceptae, portione prolium innocentium detracta, in Regiam venirent potestatem, ac generatim, si alter legitimus deesset haeres, Fiscus succederet.

[1]) L. II. c. 35. „Consensimus igitur, ut unusquisque dominetur propriorum similiter et donorum Regis.“ Ibid. c. 6. „Volumus ut sicut ceteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum, ita etiam res, milites, servi, et quidquid ad nostram Regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile.“

§ 22.

nullo Comitum, Militumque discrimine.

Jus hoc dominii absoluti commune et Comitum, et militum divi Protoregis fuit. Itaque evenit, ut cum hi Jobbagiones quoque Castrorum dicerentur; ne quid ex appellatione hac damni facerent, in literis quidem Regum variis a reliqua Jobbagionum multitudine discernerentur epithetis; vulgo autem Jobbagiones vocarentur „qui libere terram suam possunt vendere, tamquam veri haeredes“ [1]).

[1]) Vide supra l. I. § 31. Ex horum igitur, ut nos loquimur defectu bona legitime et cum jure proprietatis et dominii plen impetrabantur; consule literas Lodomerii Archiep. de a. 1292 (VI 1. p. 226). Ibid. p. 196 Possessionem Tűrne per Joannem Nobilem Jobbagionem Castri Poson. Eclesiae S. Salvatoris legatam, cun

pleno jure dominii et patronatus in hanc devolutam Andreas III. testatur. Longe secus res se habuit, si possessio impetrata per deficientem non mero Nobilitatis titulo, sed conditione castrensium aut Udvarnokorum tenebatur; tum enim novo ad removendam hanc conditionem opus erat privilegio IX. v. 5. p. 152. In Mantissa T. II. subnexa num. IX. pag. XXXVIII. „tamen quia“ cet. Atque hoc illud est etiam Ladislai Palatini (IX. v. 4. p. 151) „Si eadem terra ipsorum haereditaria esset, et ipsi homines tamquam veri Nobiles (non uti filii jobbagionum Castri) praedictam terram justo titulo possiderent.“

§ 23.

Idem ut erat Eclesiarum studiosissimus, bona in has transferendi facultatem privatis lege publica fecit. Cujus hic non multo post erat exitus,

Antiquissimo Hungarorum more, jus fere omne gentilitatis rationibus fuit circumscriptum usque ad tempora d. Stephani, qui primus finem hunc transiit religionis causa, decrevit enim: sua quemque (et descensualia nempe, et dono accepta, quae haberet) dividere, tribuereque, et uxori et filiis, et filiabus et vero Eclesiis posse; stareque dispositionem ejusmodi etiam post mortem oportere [1]). Qui igitur ad bona quaepiam Eclesiis conferenda, sanctorum Regum temporibus, speciali opus privilegio fuisse contendunt, errant ii longe mea quidem sententia, parcique sunt non suo loco, et consensum sanctorum Regum ad Eclesias aut monasteria erigenda necessarium, cum consensu ex ratione avertendi a fisco periculi commiscent; parum memores, sanctis his Regibus rationem Eclesiarum pluris, quam omnia, fuisse.

---

[1]) L. II. D. c. 5.

§ 24.

ut restringi eam Fiscus non magis, quam cognati optarent.

Bona per d. Stephanum collata Eclesiis, Praedia vulgo vocabantur[1]). Neque solo tantum nomine, sed etiam bonitate juris, primorum, verorum et naturalium Nobilium terris aequabantur descensualibus. Haec itaque illis perpetua esse voluit; neque aliter de donativis sensit, quae a privatis accepturae essent. Justa haec ejus erat expectatio; sed quam liberalitas horum religionis incensa studio multum supergressa est. Acceperunt enim ab hac Eclesiae intra breve non plane unius seculi spatium tanta[2]), ut legi superius citatae obrogari et Cognatorum, et Fisci Regii plurimum referret.

---

[1]) In Notit. praev. § 37. not. 1.

[2]) L. III. § 58 exemplisque ibidem n. 2. citatis de Eclesia Albensi literas adjeceris C. D. IV. p. 173 — 183 citatas cet.

§ 25.

Nil tamen ejusmodi factum in bulla aurea;

Tulit tamen Hierarchia Eclesiae hungaricae hoc locatae in condenda Bulla aurea Andreae II. operae praemium, ut missa et juris gentilitatis et Fisci cura art. IV in haec confieret verba: „si quis serviens sine filio decesserit, quartam partem possessionis filia obtineat, de residuo sicut ipse voluerit, disponat; et si morte praeventus disponere non potuerit, propinqui, qui eum magis contingunt, obtineant; et si nullam penitus generationem habuerit, Rex obtinebit.“ Idem sonat aliud ejus Decretum de a. 1231 priori, solis modo vocibus „sine filio“ cum his „sine haerede“ et „generationem“ cum „cognationem“ commutatis, ad apicem simile.

§ 26.

plurima contra auctore Bela IV.

Nihil tamen, neque repetita lege hac impediri se Bela IV. passus est, quin jurium Fisci sui omni ope contentioneque satageret. Diplomata igitur edidit, clausulis variis alligata; quorum aliis bona, quae donasset, vendendi, alienandique facultatem restrinxit, aliis e diverso tam vita comite, quam mortis causa, disponendi fecit copiam. His itaque consentaneum erat, ut pro hac normae succedendi varietate, a. **1267** legem conderet Andreanae illi dissimilem, in haec verba: „item volumus, quod si aliquem de nobilibus sine haerede mori contigerit, possessiones ejus non distrahantur, nulli donentur, nulli conferantur, nulli perpetuentur; donec cognati et generationes ejus ad praesentiam nostram evocentur, et ipsis ac Baronibus nostris praesentibus de iis ordinetur, sicut dictaverit ordo juris". Idem, quod adhuc commune Eclesiarum omnium jus fuit lege d. Stephani constitutum, ut transferre in eas Nobiles bona sua pro lubitu possent, Eclesiae Strigoniensi specialis instar privilegii confirmavit[1]), perfecitque, ut adversus ceteras Eclesias et ipse et successores sui, rationibus Fisci eo tutius inhaererent, quod medio tempore alia ad Curiam Regiam subnata sunt axiomata „terras haereditarias si Eclesiis conferantur, per cognatos pecunia redimi pos-

---

[1]) Anno 1263 in eam editi sententiam: „Nobiles regni ipsi Eclesiae Strigoniensi possessiones suas viventes et morientes, sine requisitione Regiae Majestatis ulteriori donare et legare posse; sine praejudicio tamen possessionum suorum proximorum et se subjicere ad serviendum more nobilium exercituantium eiorum; salvo eo, quod Udvarnici et Thavernici, ac ceteri servilis conditionis homines Regiae et Reginali Majestati subjacentes, et ad certa servitia destinati haec facere non possint, nisi super eo per successores Reges requisitio et privilegialis concessio specialis de novo habeatur."

se; bona citra consensum regium, conferri Eclesiis non posse, certe non debere".

§ 27.

Neque eo minus lex d. Stephani Decreto inaugurali Andreae III. totidem verbis resuscitata.

At vero de Andrea III. Clerus Hungariae jam in aditu solii plurimum meruit; facile igitur ab Rege indulgentissimo consecutus est, ut non solum lex ea Belae antiquaretur, verum ipsis ferme constitutionis d. Stephani verbis nova conderetur lex, ex qua „Nobiles sine haerede decedentes, haereditarias suas, emptitiasque et acquisitas possessiones propinquis suis, aut alicui propinquorum, seu uxori, vel etiam Eclesiis legare in morte et conferre in vita, cuicunque voluerint, liberam haberent facultatem [1]).

[1]) Decr. de a. 1291, art. 32.

§ 28.

Per Ludovicum deinde jure gentilitatis temperata est

Legi huic Carolus Robertus argumento contrarii juris et censuetudinis regni, Ludovicus ob injuriam Cognatorum, palam ita intercessit, ut dum Decretum Andr. II de a. 1222 confirmaret, articulum hujus quartum, cujus ille, ut ait [1]), esset sensus „quod Nobiles homines sine

[1]) His ille verbis interpretatur art. 4. 1222 diserte facta quae hic tacite intelligitur, Eclesiarum mentione. At vero Ludovicus in Transylvania jam a. 1344 (vide sis literas ejus apud Katona ad annum hunc) constituit „nec a modo in dicta terra Transylvan

haerede decedentes possint et queant Eclesiis, vel aliis, quibus volunt in vita, vel in morte dare et legare, possessiones eorum vendere vel alienare" e serie ceterorum demeret, nec demeret modo, sed prorsus e diverso statueret „ut ad haec facienda nullam penitus habeant facultatem, sed inter fratres, proximos et in generationes eorumdem ipsorum possessiones de jure et legitime, pure et simpliciter, absque contradictione aliquali devolvantur [2]). Quod juri cognationis datum Fisco etiam Regio profuit [3]).

---

praefatus D. Episcopus aliquo colore possessiones Nobilium possit occupare vel sine nostra licentia et permissione comparare". Lex haec vulgo amortisationis audit.

[2]) Si de gradu quaeras, intra quem cognati ad successionem aetate hac vocabantur? respondeo: Ludovici Regis ac Praelatorum, Baronum et Nobilium regni deliberativo decreto (sententia) probari Praefectionem, si intra quartam lineam generationis nemo esset, ad quem jura patris ex legum praescripto devolvi deberent. C. D. X. v. 2. p. 784 v. 3. p. 30; v. 4. p. 815. Habet sententia haec aliquam cum tit. 1. lib. I. et tit. 26. l. II. feudor. apud Longob. similitudinem; inferri tamen ex hac nullo jure potest, moribus quoque hungaricis collateralem successionem, nisi usque 4. gradum cognationis, locum habuisse. Verbőczius enim tit. 47 et 65. 1-ae contra testatur; Carolus R. vero in Diplomate superius citato diserte agnoscit: praefectioni hujusmodi repugnare observatam ab antiquo regni Hungariae consuetudinem, quae nonnisi masculum haeredem in patriam haereditatem succedere permittit. Ita Lud. ipse (IX. v. 12. p. 206) literis hujusmodi addit „praescientes, regni nostri observata ab antiquo consuetudine, quae in hac parte huic juri repugnare videretur, non obstante."

[3]) Haec Ludovici constitutio diuturnae legum scriptarum et usus contrarii luctae, non tamen etiam literatorum velitationibus finem fecit. Ex quibus dum Verbőczius ante Ludovici constitutionem nunc, consensu Regio ad alienanda bona opus non fuisse asserit, qualiet consentiente anteriorum scriptarum legum tenore, jure

itaque solemni; contra facto nituntur, qui huic ejus doctrinae repugnant. Quod quanti habendum sit, ex literis apparet, quibus Andr. II. Comiti Mosoniensi terram Challo emptam a Jobbagione, qui vendere bona sua posset, confirmando (III. 2. p. 470) non lege hoc, non aprobata regni consuetudine desiderari, sed „dignum esse, dicit, et rationi consentaneum, quod quaelibet possessio, licet justo gaudeat comparationis titulo, ut inde lis et controversia sopiatur in posterum, regiae confirmationis tutelam percipiat et perpetuae securitatis (non item novi etiam tituli donationis regiae) argumentum."

IV. Legem de nona frugum vinique condidit.

§ 29.

Articulo Decreti sui VI-to.

Res per Ludovicum gestas arbitranti tam certum, quam quod ante oculos aut in manu est, hoc ei fuisse persuasissimum: non alias se de diuturnitate felicitatis Hungariae mereri posse praeclarius, quam si varias, et cum suapte natura ingenioque, tum vero vitae instituto, huicque proposito industriae genere divisas incolarum regni classes, suis quamque finibus praestaret; militiam igitur armaque tractarent Nobiles; mercimonia Cives; Coloni operam ruri impenderent. Ipse Solis instar, pari in quosque voluntate, et in fovendis, promovendisque publicis ac privatis commodis, nullo Ordinum discrimine, unus et idem esset omnibus.

§ 30.

comprehensam.

Et de nobilibus quidem, quae Ludovici sententia fuerit, ex familiari axiomate ejus intelligas „Ampliari regimen, solidari regiminis solium, cum numerus augetur nobilium". Et humili itaque loco natos plures ad honorum

evexit fastigia et a rebus inopes fundis juribusque nobilium donavit; et demum, quia pro equestri seculi XIV. splendore, et apparatuum bellicorum, et militiae sumptus nimis quam increverunt, Dominis aeque ac nobilibus nonam frugum et vini, quos fundi beneficio eorum per colonos possessi quotannis redderent, lege addixit.

De Comitatuum Moderatoribus

§ 31.

quorum alios ad tempus, alios ad dies vitae constituit.

Carolus in mandanda unis Comitibus plurium moderatione Comitatuum, haud mediocrem politices vim collocavit; Ludovicus non item; sed quod flore Optimatum in bello italico absente, necessitatis commendabatur rationibus, quosdam pro tempore et usque beneplacitum suum, non tam Comites, quam uti Szirmayus ad vivum resecare properat, Administratores dignitatis hujus [1]) constituit; aliis hanc ad dies vitae cum omni jurisdictione contulit. Rescriptis, quae ad Comitatus dabat, quoties his moderatorem hujusmodi praeficeret, palam testatus est: summam esse muneris hujus, ut omnes omnino in juribus et libertatibus suis conservet et defendat, attendatque, ut proventus Fisci de Comitatu sibi credito, fideliter administrentur et literae mandataque regia observentur. Qui Rescriptorum ejus stylus in usum deinde abiit [2]).

---

1) Szirmay in Notit. Com. Ugoch. p. 32 et seqq.

2) Confer formulas styli Cancell. Matthiae Regis apud Kovachich p. 532, et stylum Rescriptorum, quibus hodieque supremi Comites denominantur.

De Judicis pacis

§ 32.

Condita per eum lex

Multus sim, eas quoque Ludovici percensere constitutiones si pergam, ad Historiam Juris privati quae pertinent. Legem ejus de judicio pacis, (art. 24: 1351) committere non possum, ut praeteream. Ex hoc enim, et alia, anathematis sacri lege ejus, intelligitur clarissime, ita eum maximorum Húngariae Regum Instituta recoluisse, ut suae in illos pietati, gratam Patrui sui magni (Lud. IX. Galliarum Regis) memoriam adjungeret [1]). Quo factum, ut quod ille de juribus populi avitis integre servandis edixit, observaret sanctissime, et morientis ad filium de componendis litibus, actionibusque Magistratuum solerter inspiciendis, praecepta [2]) sibi quoque data existimaret.

---

[1]) Verissime Bonf. Decr. II. l. 10 „Optimas quasque dotes gallici, pannonicique sanguinis in hunc omnes convenisse facile dixeris“.

[2]) Guerres et contentions, quels qu'ils soient, appaise le plustôt, que tu pourras . . . . Sois soigneux et diligeux d'avoir bons baillis, et bons prevôts, et enquiers souvent d'eux, et de ceux de ton hôtel, comment ils se maintiennent. Sismondi o. c. t. 8. p. 196. Bonf. l. c. „Dissimulato saepe habitu, veluti callidissimus explorator vicos et oppida lustravit, perscrutaturus mores publicanorum et praefectorum, et eorum injurias ex plebis querimoniis recogniturus, — ut non minus Optimatum, quam plebis curam gessisse videretur. Quin etiam saepissime subornatus de moribus regiis percunctabatur et e simplicium responsis, se se ipse quandoque castigavit.“

De Conditione Civitatum

§ 33.

maritimarum,

Libertatem legum et judiciorum, tributorumque immunitatem, qua hae per divos Hungariae Reges jam tum donatae fuerant, quando proximae per Italiam urbes gravi servitutis premebantur jugo, Ludovicus novo iis privilegio adfirmavit. Deditque indulgentissimi sui in eos animi aliud item argumentum. Cum apud Jadrenses Civitatesque proximas mos ex aliquo tempore invaluisset, sententias Magistratus ad judicium extranearum Academiarum deducendi, Ludovicus literis a. 1356 editis, concedendo, ut Cives Jadrenses nullius alterius judicio adstare teneantur, quam Comitis et Curiae Civitatis, subjunxit: velle se, ut si quae partium sententiae horum non acquiesceret, ad Regiam provocare Majestatem valeat. Privatis hoc, qui aliam concupiverint, aliam ab justitia Ludovici retulerint, sententiam, an Civitatibus displicuerit, in re antiqua haud facile dixeris. Octennio post, Civitates erant, quibus petentibus Ludovicus non quid illas flagitare aequum, sed quid se concedere gloriosum esset, spectandum ratus, priscae consuetudinis facultatem restituit [1]).

---

[1]) Pray Hist. R. H. T. II. p. 115.

§ 34.

aliarumque per territorium Hungariae urbium,

„Dum status fidelium augetur, regalem apicem continuum accipere incrementum“ professus, quidquid ad alendam in civitatibus industriam, copiamque rerum promercalium augendam ex usu esset, diligentissime curabat.

Mercimonia praeter accolas maris, hoc tempore, praecipua cum laude Saxones in Transylvania [1]) exercuerunt, quaestu panni, coriorum, rerumque diversi generis, quae ex ferro aliisque metallis arte aut manu pararentur, jam apud exteros quoque noti; quod mercaturae gratia Viennam, Pragam, Jadram, Venetias, in Valachiam et Poloniam commigrare soliti sunt. Inter hos prima anno 1376 auspiciis Ludovici constituta sunt mechanicorum contubernia. In Hungaria urbicarum occupationum cultus itidem apud eos profecit maxime, originis qui fuerant Saxonicae. Sed de his, quibus item coetibus mercatorum externis Commerciorum in Hungaria potestatem Ludovicus fecerit, quas huic adjecerit conditiones, quibus telonia circumscripserit legibus [2]), plures praeclari nominis scriptores disseruerunt; mihi de urbibus generatim sermo est.

---

[1]) Verfassungszustand der sächsischen Nation in Siebenbürgen; edit. a. 1790 p. 107.

[2]) Ex literis ejus super dispositione et limitatione solutionis tributi, de quibuscumque rebus mercimonialibus, a. 1360 editis, hungarus ab eo, quod in Austriam evexit, dimidium tributi solvit, quod a re simili invecta Austriacus pendebat. Qui venerunt huc causa commorandi, nil solverunt; qui causa residentiae exiverant, 40 pendebant denarios.

§ 35.

cum politicis in rebus,

Quam ad bullam auream Andreae II., hanc ad privilegia quoque urbium confirmanda Ludovicus fidei adhibuit diligentiam. Regales aeque ac Reginales civitates plures etiam tum Castellanis suberant. Horum itaque in eas jurisdictionem in perpetuum abolevit. Edixit quidem jam Bela IV. quosque, in medium civium qui se conferrent, fundosque compararent sibi; horum simul juribus obligationibusque teneri. Sed inania haec usus contrarius reddi-

dit. Resumsit curam eandem Ludovicus ac disserte pronunciando: neminem quemquam, qui domum urbanam compararet, ab oneribus, quae reliquos cives manerent, immunem haberi posse, de urbibus praecipue ac insigniter meruit. Ex his Buda, Visegradum, Alba Regia, Cassovia, Trenschinium, Zagrabia, Tirnavia, Posonium, Sopronium praestabant ceteris, ejusque fastigii habebantur, ut dignae essent, quarum sponsionem Ludovicus ad confirmandam pacti nuptialis inter Hedvigem filiam et Vilhelmum Austrium fidem adhiberet [1]). Institutum patris de militiae obligatione per Civitates redimenda, his maxime volentibus, conservavit, praestititque sic, ut quum concesso his otio, industriam aleret; ad nervum quoque rerum bello gerendarum, viresque augendas aerarii haud mediocris fieret accessio. Neque tamen perpetuum officium hoc et dum tempore maxime necessario praestaretur, hac descriptum mensura fuit; ut appareret nihil ei prius, nihil antiquius esse, quam ut summa animi sui aequitas vel, ut propriis ejus utar verbis „innata regiae nobilitatis suae virtus subjectorum suorum commodis invigilandi“ [2]) hac quoque in re semper constaret [3]).

---

[1]) Hergot. Monum. Aug. Dom. Austr. T. III. n. 15.

[2]) In privileg. Nagy-Banyensium apud Katona. H. C. T. IX. p. 491.

[3]) Itaque Collectam regalem (a. 1343) pro Stipendiariorum sumptibus (super Cives Köszegienses) impositam relaxat. IX. 1. p. 109.

§ 36.

tum vero judiciariis.

In Civitatibus his Judex unus et quatuor vel sex Jurati seu Scabini; in nonnullis duo Judices et quatuor ac decem Jurati et Seniores Justitiarii causas cognoscebant; de quarum stadiis, quae ex arte notariali sub Ludo-

vico Rege patent [1]), supervacaneum censeo adscribere. In jure dicundo Saxones in Transylvania, et Scepusio Speculum juris Saxonicum sec. XIII. apparatum, maxime vero Jus municipale Magdeburgicum illo recentius sequebantur [2]). Quod uti aequum Ludovico, ita usurpata per nonnullas urbes ad tribunalia externa provocandi consuetudo minime ferenda videbatur [3]). Eo igitur auctore invaluit, ut Urbes minores ad judicium appellarent Civitatis, cujus libertate per Reges donatae essent [4]).

---

[1]) Vide in specie a puncto 33 — 56. — Literae Judicis et Juratorum, seu (num. 32) Scabinorum et ceterorum Civium nomine edebantur. Confer etiam puncta 34. 51. 57. 69.

[2]) Heineccius Hist. Jur. Rom. § LXXIX. Buda Város. Törv. kön. p. 224. 261.

[3]) Solnenses causas ambiguas, extra regnum, ad Tessinensium deferre judicium solebant; Ludovicus facta iis (Cod. Dipl. IX. 7. p. 619) ad aliam quamcunque in regno Civitatem provocandi facultate, usum hunc abrogavit. Illi itaque se jure Carponensium deinceps uti velle anno 1379 declararunt; quod deinde Maria quoque privilegio de a. 1384 ratum habuit.

[4]) Quod paullo ante citato Solnensium, Privigyensium item (Cod. Dipl. X. 1. 61) ac Civitatis Modor (reginalem Ludovicus appellat) exemplo cognoscas. Huic Ludovicus concedit, ut Cives ejus in facto debitorum ad Judicium Civitatis Tyrnaviensis, in facto possessionum et haereditatum ad Judicium Civitatis Poson. provocare valeant. IX. 3. p. 250. De principalibus Civitatibus hujusmodi vide sis art. 4. 1405.

De Conditione Colonorum.

§ 37.

Ex literis coaevis.

Age, jam ad villas Colonorum divertamus, et ne Ludovico procul abesse nos oporteat, hunc velut alterum

Scipionem, quem ad Jovem itasse capitolinum et cum ejus consultasse Numine ferunt, ad Eclesiam Varadiensem, divumque Ladislaum pro more suo adeuntem comitemur, obeamusque mapalia populorum, qui ad Collegium sacerdotum Eclesiae hujus majorum pertinebant. Horum conditionem literae coaevae exhibent. En summam earum [1]):

[1]) Sunt de a. 1374; editae in LL. Eccl. C. Ign. de Bathiany; item C. D. X. v. 4. p. 596 seqq.

§ 38.

judicare licet,

Ordinarii Villarum omnium reditus ex antiqua institutione usque adhuc observata, consistunt in fertonibus, in terragiis et muneribus. Civis Varadiensis, in fundo integro qui residet, integrum, ceteri pro portione fundi, quem tenent, partem fertonis pendunt. Pro fertone integro singulis annis circa festum s. Georgii Martyris quatuor et decem grossi repraesentantur Capitulo [1]). Ad festum s. Michaelis Archangeli, pro terragio quatuor, pro muneribus duo grossi, et hos quidem muneris titulo, quilibet tam scilicet in civitate, quam in villis exterioribus residens ab antiquo pendere consuevit. Praeter subditos Olachales, qui, ritu adhuc gentilitatis viventes, differunt ab Ungaris in dandis collectis. Ipsi enim pro censu tenentur singuli quotannis circa festum Pentecostes [2]) dare decimam partem ovium suarum ratione Quinquagesimae [3]); circa festum vero Nativitatis b. Ma-

[1]) Florenus aureus 45 grossis, grossus 4 denariis computabatur circa a. 1384. C. D. IX. p. 468. Vide etiam art. 4. 1351.

[2]) Recollige, quae l. III. § 182 ad a) num. 6 notavimus.

[3]) Paulus Bornemisza Ep. Veszpr. et Georgius Vernherus missi per Ferdinandum I. a. 1552 ad proventus Transylvaniae indicandos

riae virginis mansiones singulae oves singulas, ac ratione descensus mense Decembri decimam porcorum suorum. Kenesii [4]) tam ad ovium, quam porcorum praestationem adstringuntur, juxta conventionem factam inter eos et Capitulum; ultra haec de more praestant annis singulis mediam lodicem; unum philtrum (feltrum) pro sella, et unum caseum. Communiter vero Olahi dant Capitulo die strenarum in signum Dominii annis singulis equum unum.

---

ad Regem illum referunt. „Quinquagesima Nobilium habetur pro ordinario Regis proventu: exigitur tamen a solis Valachis nobilium transylvanorum semel in anno; primo de singulis quinquaginta ovibus: una ovis cum agnello et una myoâra (ovis unius anni Valachis ita vocatur) accipiuntur; item de capris eodem modo, — item de singulis porcis majoribus exigantur duo denarii; — item de singulis apibus unius alvearis denarii duo. De Quinquagesima hac vide literas quoque Ulad. II. de a. 1493 per Eder in sua de initiis et juribus Sax. in Transylv. Dissert. citatas, et alias Mathiae I. de a. 1468 ibi indicatas.

[4]) De significatu vôcis Kenez (apud nos pro villico seu judice liberarum aut communium villarum accipitur secundum Rog. mis. Carm. cap. 35 similemque ejus in literis Ludovici et Sigism. usum) notioneque juris Keneziatus Dominorum, seu quod tantundem est, liberorum Comitum vide Sigism. Kosa in opella: de pub. part. Transylv. adm. p. 14. 15. De donatione Keneziatus villarum, cum proventibus, obventionibus, servitiis, et muneribus fieri solita, stylum literarum Regiarum Mathiae, inter formulas harum per Kovachich. vulgatas pag. 533 n. 135 habes.

§ 39.

quibus officia populorum collegii sacerdotum majorum ad eclesiam Varadiensem

„Praeter haec, ita literae illae, subditi Capituli non obligantur ex debito ad alia certa servitia; nisi quod arti-

fices civitatis cujuscumque professionis existant, res artis suae teneantur ei vendere aliquanto remissius, juxta conventionem inter Capitulum et eos initam. Universitas vero civitatis ejusdem, juxta morem consuetum, reparare pontes sitos infra civitatem. Contribuunt praeterea in adventu Regis, Reginae, liberorumque regalium ad eorum expensas. Coloni in villis propinquioribus residentes ad victualia hujusmodi tenentur aeque secundum taxationem Capituli. Decimas praeterea frugum in celarium ejus inferre. Singuli vero de foeno, Capituli sumtibus comparando, in ejus portare horreum unum currum. In villis remotioribus degentes, qui haec et his similia non exhibent, horum vicem alios Capitulo praestant labores".

§ 40.

aetate Ludovici quae fuerint,

Judex Capituli secularis eo, quo Decanus, eligitur die. Muneris ejus partes sunt: purgare provinciam malis hominibus; causas capitales extra Civitatem inter quoscumque criminaliter motas examinare, decidere, et executioni mandare; causae enim intra civitatem et ejus limites motae Judicibus civitatis servantur. In causis civilibus et criminalibus, quum civiliter agitur, incolae dictae civitatis adversarios suos, coram quo malunt, Judice possunt convenire. Laboris praemium Judex a Decano accipit, velut cui operam suam navat. Ab hujus et Decani Judicumque civitatis et aliorum sententiis appellatio et quaerimoniae ad Capituli communitatem deferuntur.

§ 41.

describitur

Pro decimis Cives Varadienses quatuor cubulos; inquilini duos partim tritici partim siliginis ab a. 1312 praestant. In aliis villis Capituli decimae solvuntur hoc modo:

Colonus habens quinque capetias bladi[1]) unius vel plurium specierum, puta: frumenti, tritici, siliginis, hordei, milii, et avenae, ad dimidiae: habens decem, ad unius; viginti ad duarum capetiarum solutionem obligatur; dando pro dimidia capetia unum tritici; pro una integra duos (unum tritici alium siliginis); pro duabus quatuor, (duos tritici, unum siliginis, et unum avenae) cum usuali mensura seu cubulo celarii capituli; habens autem minus, quam quinque capetias, tenetur dare aestimationem, prout decimatori Capituli secundum Deum visum fuerit expedire. A quolibet solvente decimas hujusmodi, desumitur unus pullus; et ab habente decem anseres, anser unus. Populi Capituli in villis Megyes etc. redimendo decimas frugum, dant ex antiqua consuetudine, pro singulis capetiis singulos duodecim denarios monetae pro tempore currentis.

---

[1]) Fruges et legumina apud Spelmannum. Quod harum quoque literarum sententiae respondet.

§ 42.

accuratissime.

De exactione autem nonae partis frugum et vini per Ludovicum Regem novissimis diebus inducta, ita literae illae, certa dari regula non potest, cum spes detur de ejus relaxatione [1]). In villis Capituli, quarum decimae bladi ad illud pertinent, recipiuntur pro eodem etiam decimae agnorum, haedorum et mellis sive apum; apes alias decimatae non decimantur secundario; verum novae solum, quae vulgo raj dicuntur.

---

[1]) In Comitatu Ugochensi nona frugum, vinorum, ac aliorum leguminum, anno 1394 exigi coepit; postquam de ea Sigismundus Rex et in Civitate sua Zeulcus, sita ibidem et in bonis Nobilium recipienda erga preces horum providisset. Rescriptum ejus vide sis in Arch. Lelesz.

§ 43.

Exstant praeterea

De libera Colonorum migratione, novae contra vim Dominorum, qui hos hero praesenti subducere tentarent, legis praesidio firmata [1]) satis erit dicere; hanc temporum Ludovici felicitate sic plane in consuetudinem vertisse, tamquam certa omnium animo staret sententia: non legis hanc scriptae beneficio, sed jure naturae hominibus deberi. Exstat altera quoque lex ejus, qua neminem colonorum sine legitimo heri sui judicio, in persona, aut rebus suis turbari posse edixit [2]). Quid de laudatissimis oeconomiae ejus publicae rationibus, quid de lege dicam, qua tributum lucri Camerae, resectis superfluis denariis gravibusque in exactores sumtibus, annua trium a singulis integris colonorum fundis grossorum pensione praefinivit [3]). Et haec et id brevitatis causa praetereo: salis polonici pro usu finitimarum Hungariae partium inductionem

---

1) Art. 16. 1351. Quem scriptor quidam eo accepit sensu, tamquam per hunc libera migrandi facultas restricta fuisset; quo nihil magis alienum a lege hac dici potuit, ut quae id solum vetat, ne quis Colonum olim suum, sed qui in alterius concessisset Domini potestatem, hoc non requisito, vi abducat.

2) Art. 18. 1351 cujus rubrum: „Coloni pro pristinis excessibus non possint arestari; si migrare velint“ — a nigro manifeste abludit; cum clarus legis hujus sensus sit: ne quis colonum peregre proficiscentem, causa dandae per eum pro comisso antea delicto paenae, detinere ausit, sed coram tribunali Domini sui conveniat. Utraque haec constitutio Ludovici ac prima quidem (16. 1351) art. 9. 1405 altera (18. 1351) instar antiquae consuetudinis art. 13. 1435 confirmata est.

3) Quaestu salis Cameris tantum suis servato, ab exteris illud inferri prohibuit; admisit vero jam is, ut pro commodo partium regni ad Poloniam sitarum, sal inde usque Comitatum de Sáros et Liptoviensem induci valeat. (C. D. IX. v. 2. p. 315.)

Ludovici benignitate in consuetudinem, et tandem art. 29 1548 in legem publicam [4]), quae hodieque tenet, inveteravisse. Quo magis aequum est, unum hoc ut me dicere patiaris. Lege apud Transylvanos a. 1366 constituit Ludovicus, ut Kenesus, (villicus Valachorum) qui per literas Regis in munere hoc confirmatus esset, quantum quidem ad fidem testimonii sui: pro uno vero nobili acciperetur; testimonium Kenesi communis, quartam, et quod aliquis de vulgo perhiberet, octavam ponderis, quod verorum Nobilium inesset fidei, aequaret partem. Lex haec Ludovici ad nostros mores levis est; sed ea aetate, qua unius Praepositi infulati fides tantumdem, atque decem Nobilium testimonium valebat, sane quam magnum humanitatis momentum habuit.

---

[4]) Art. 4. 1351.

§ 44.

plurima humanitatis, benevolentiaeque Ludovici in eos monumenta.

De Scultetis coloniarum germanicarum ductoribus, villicisque Mart. Schwartnerus praeclare disseruit; [1]) ab his Kenezii Valachorum, Slavorumque [2]) et denique cum Vladislao Duce Opuliae et Theodoro Koriatovics in Hungariam commigrantium Russorum Krajnikii [3]) nomine solum differunt; animo enim in laudes Ludovici conspirant omnes.

---

[1]) Dissert. tit. hoc edita. De Scultetis et Scabinis in Trencsén vide sis lit. de a. 1300. C. D. VI. v. 2. p. 300.

[2]) Szirmay Not. Com. Zemp. p. 52.

[3]) Judaeis jam antea per Gallos male habitis, annos 1348. 1349 per plurimam Europae partem exitiales fuisse vide sis Hormayr o. c. ad a. 1811 n. 129, 130. Judaei per Ludovicum Hungaria depulsi, in Lithuaniam, Russiam, Poloniamque secesserunt, reditur Alberto Rege.

De Ludovici in literas, artesque liberales, studio.

§ 45.

Academiam Quinqueeclesiis erexit,

Carolus, dum, missa literarum cura, solis tantum honoris externi lenociniis studeret, haud scio, an ad enervandos plus, quam poliendos mores contulerit. Ludovicus quidem praecipuam curarum partem, omnemque cogitationem suam, ad animi honestatem in populo conservandam, augendamque convertit. Et cum ad perficiendum divinum consilium hoc, plurimum in eo situm esse adjumenti perspiceret, si quandam veluti mercaturam aperiret bonarum artium, ad quam idem et divitibus et pauperibus aditus esset, Academiam Quinqueeclesiis ad modum earum, quae paullo ante, Pragae, Cracoviae, Viennae surrexerunt, generalis studii nomine condidit. Fuitque haec alumnorum numero, usque dum per Mohacsiensem calamitatem et ipsa occideret, semper frequentissima.

§ 46.

et instituto hoc, et exemplo de literis optime meritus.

Regum studiis hujusmodi Hierarchia hungarica nunquam defuit. Ludovici igitur exemplo Episcopi quoque scholas suas, in quibus jam et philosophica tradebantur, non indigenis tantum, (hoc discipulis nomen, qui ad sacros formabantur Ordines, nepotibus item Canonicorum, et Scholaribus, qui Capituli aut alicujus de Capitulo sumtibus vivebant) verum aliis quoque forensibus [1]), quos

---

[1]) Vide Stat. Capit. Varad. Batthiany LL. EE. T. III. p. 218 seq.; item Visit. Ecl. Strig. de a. 1397, ibidem p. 297.

parentes vel cognati sustentabant, patere voluerunt. In his opera Canonici scholastici pauperes quidem gratis, alii minima impensa [2]) scientiis necessariis erudiebantur. Quae quidem laus Eclesiae Strigoniensi cum aliis communis, haec propria fuit, quod ad illud, collegium quoque christi pauperum scholarium studere volentium exstitit eo erectum, ut juvenibus tenuiorum quoque facultatum, modus exteras scientiarum adeundi sedes suppeditaretur.

---

[2]) In Stat. Ecl. Varad. ,,Didactrum hoc defigitur ea ratione, ut magister a quibusque non mendicantibus petere possit ad festum nati Domini unum caponem, et duos panes; ad festum resur. duos itidem panes, unum caseum et octo ova; ad festum vero Galli unum gallum vel gallinam, et mense quolibet a singulis singulos denarios pro salario Curatori, et tempore hiemali ligna ad calefaciendas scholas et non amplius.'' Ibidem etiam de ord. praelect. gram. et phil. quaedam. De honorario docentium Bononi. conf. Savigni o. c. p. 235 seq. Alexander filius Dionysii de Bulch circa tempus hoc, Varadini dum literis operam daret, pro victu annuo tres marcas hospiti pactus est. Apud Wagner, in Collect. illu. Fam. Dec. III. p. 135.

De
rei militaris cura Ludovici.

§ 47.

ac speciatim militibus Aulae.

Regiam et magnificentia operis, et cultu, et quod es rarissimum, heri sapienter popularis Majestate Augustan Ludovicus ita instruxit, ut Civilis aeque ac militaris glo riae seculi XIV. domicilio ac palestrae Palladis utriusqu plene responderet. In qua claris orti familiis juvenes e ingenium scientiis et per consuetudinem, quae eis cun militibus aulae illustri apud nos aut exteros genere na

tis, virtute ad haec conspicuis intercessit, mores etiam excolebant [1]).

---

[1]) In horum numero fuerant M. Konya Comes de Sáros, Aulae (Regis) miles dilectus, filius magnifici viri Thomae, quondam Vajvodae Transylv. Joannes Comes Simeghiensis et Csongradiensis, aulae suae miles. Eberhardus Aspermont, fidelis aulae miles cet.

§ 48.

parte item exercitus, qui solidarii vocabantur;

Virtus militaris Hungarorum, non alio Rege, eluxit magis. Qui ut in bellum Venetum tanta incumberet constantia, non praesentis solum emolumenti attinebatur ratione, sed quod ita de his confidebat, futurum non multo post, ut qui in continenti industria militari manuque fortes, deinceps mari etiam, arteque navali in tuendis, provehendisque utilitatibus suis non inferiores fortissimis essent. Militem ille semper externum etiam habuit, stipendio conductum [1]); solidariis nomen. Quod igitur Chronicon Estense apud Murator. tenet: „anno 1348 de mense Februario Dominus Rex Hungariae cassari fecit omnes stipendiarios suos Teutonicos" sensu solum Chronici Budensis [2]) admitti potest: ex illis partem, qui cum ceteris nulla societate culpae tenebantur, ad Regis resarvatam esse servitium.

---

[1]) V. Chron. Bud. a. p. 300—330. Thur. P. III. c. 29, 30.
[2]) Ibidem p. 302.

§ 49.

et disciplina praemio, honore militari.

Et Ducis, et saepius, qua pugna maxime flagrabat, militis functus partes, quantus bello, tantus praelio, sum-

mae diligentiae, summam imperii severitatem addidit [1]). Et rursus ad modum literarum suarum a. 1367 [2]) Nobiles „ut ad exercitum se parent, servitiaque sibi et sacrae Coronae juxta suam consuetudinem ab antiquo adsuetam, ex qua secum adstringuntur exercituare, exhibeant" ita hortatur, ut subjiciat: „quem se in omni eorum voluntate et beneplacito explendo usque adhuc gessit, eum se porro quoque futurum" neque unquam a se ipso discessurum. Utrumque hoc plane ad ingenium pectoris hungarici fuit, per nos alias laudatum, ad quod dum artem omnem regendi accomodaret, id consecutus est, ut nemo unquam tantum imperio posset, quantum unus ille hac sapienter populari mente, animoque teneret. Nihil enim de hoc optimorum Regum optimo adhuc diximus, nisi hoc sit perspectissimum: omne hoc beatissimi ejus saeculi spatium perpetuo summae in eum fidei ejusque in populum amoris certamine decurrisse [3]). Ex hoc tamen Ludovicus semper superior, tantusque ex vita ipsa, confectis hujus spatiis, excessit, ut ab his, qui laudes ejus uno complecterentur nomine, magni, a vulgo, quod virtutes Principum ex suae judicare amat conditionis conscientia, piissimi ferret Regis cognomentum.

---

[1]) De qua brevissime ex his Nicolai de Zirma, Comitis de Zonoch, ad Ungenses litteris cognoscas: „Dominus Rex noster mandat, gentes levare; ergo ad decimum quintum diem cum Nobis; quia caput perdetis" . . .

[2]) Katona Hist. Crit. T. X. p. 408.

[3]) Georgium IV. e stirpe Breberiensium, Comitem de Busan et Ostrovicza, virum bello, factisque militaribus insignem a Ludovico Rege quinque supra sexaginta castellis donatum, ab uno horum novum Zrinyii in familiam intulisse. Vide sis in Wagnerii Collect. illustr. Fam. Dec. I. p. 153.

Religionis studium Ludovici

§ 50.

cum muneris regii officio

Qui Ludovicum religionis nimium arguunt, vereor ne parum sibi animum ejus habeant cognitum. Legem amortisationis vulgo quae dicitur; aliam praeterea, ne Praelatus in personam nobilem, cum qua ei lis esset, decernere interdictum, aut sine conscientia Regis excommunicationis stringere sententiam ausit, Ludovicus condidit [1]. Eo praeterea constitutum auctore est, ut Praelatus, si causa caderet, hac ipsa, quam irrogari parti adversae cuperet, mulcta teneretur. Nemo parentes filius Ludovico honoravit magis; idem tamen neque sua in memoriam patris prohiberi pietate, neque sanctione, qua hic concessum eclesiis hungaricis monasterii de s. Cruce in Austria jus asyli, addictamque simul colonis ejus tributorum immunitatem circumdedit, dimoveri se a salutari proposito, abrogandi privilegii hujus, passus est [2]. Adversus Joannem

---

[1]) Art. 1: 1351 noviter addito, ex sensu Lud. IX. Regis Galliarum per Sismondi o. c. T. VIII. p. 101 et Guizotum in suo „Essais sur l'histoire de France" descripto.

[2]) C. D. IX. v. 4. ad a. 1367 „dempto et excepto quodam articulo, in quo cavetur, quod nulla persona cujuscunque dignitatis, quemquam ad domos ipsorum fratrum confugientem excipere valeat; huic articulo volumus derogari; quoad alias continentias, ipsum cum infrascripta declaratione acceptamus; volumus tamen, ut praedicta generalis concessio, in qua exprimitur, ut populi et coloni ipsius monasterii ab omni datia nomine regis exigenda sint exemti, Collectae, Datiae et Contributioni, quae a Regia Majestate per totum ambitum regni communiter et de novo imponeretur vel indiceretur, nullum penitus valeat generare praejudicium, imo ad hujusmodi contributionem etiam coloni dicti monasterii obnoxii sint et obligati." — Idem homines malitiosos asylo Posonii quoque prohibet. IX. v. 3. p. 49.

Pontificem Maximum, quod Venetorum haud paulo plus, quam capiti communis Eclesiae conveniret, prae Hungaris studiosior fuit; contra Gregorium item, quod decumas Eclesiarum Hungariae nervis gerendi adversus Turcas belli subduceret[3]), ac sacerdotia pro arbitratu suo conferret, jure questus, et a nimia Pontificum reverentia, et ab altero animorum imbecillium morbo, superstitione longe abfuit[4]), solis muneris sui regii rationibus in re quaque obsecutus. Harum potius, quam Pontificis causa movit ille in Rascios; „quia nempe regnum id (verba ejus sunt) juris erat decessorum suorum, et ad illud recuperandum ex debito suo adstringebatur". Atque haec ei causa in Cumania quoque eodem tempore, et imperio suo et religioni adjungenda fuit.

---

[3]) Consilium Greg. XI. Decimas Eclesiae hungaricae reservantis sibi, Ludovicum autem reclusis, ut Farlatus ait, Eclesiae thesauris, ad amplissima indulgentiarum praemia, allegantis, ex auctore hoc cognoscas. T. III. p. 329.

[4]) Vide sis Mandatum ejus de sacerdotibus Slavis in Keve et Krassó Apostasiae reis, quos ad se cum uxoribus et liberis sine laesione adduci praecipit. IX. 3. p. 543.

§ 51.

et pietate ac sanctitate reliquae vitae congruebat.

Id nullus abnuerim, Regemque, principesque per regnum viros, omnemque populum, ac Ludovicum quidem et Optimates templis, monasteriisque plurimis conditis, reliquam multitudinem, tamquam perpetuum apud posteros suos Ludovici desiderium praesensisset, suplicationibus per Innocentium VI. indictis, deprecatos Superos fuisse, haeredem ut optimo Principi similem darent [1]). Sed vero

---

[1]) Hoc tunc malo Hungariae fato negatum; tunc inquam; quae enim Majores nostri seculi superioris initio, collatis in excitandas

haec sunt ejusmodi, ut judicium meum, illud item Plauti; quod in divinis Rebus summas, sapienti lucro est [2]) vulgo hominibus reprobari malim, quam haec illi Majorum aetati reprobantibus annuere.

Viennae honoribus d. Caroli Boromaei aedes sumtibus (vide Acta Com. a. 1723) pro Carolo hujus nominis tertio Hungariae Rege fecerunt, vota; sunt quidem ea item recusata, sed exitu dissimili; Maria namque Ludovici obiit sine sobole; Maria vero, filia Caroli, Mater exstiterat Regum e cognata Habsburgis domo Lotharingica, (Hormayer l. c. 1810 n. 50. 51.) cum quibus novus seculorum Hungariae natus ordo est.

[2]) In mili. Act. III. s. 1. v. 81. Illud item Schilleri probo: Wer den Besten seiner Zeit genug gethan, der hat gelebt für alle Zeiten. — Ecquidem Ludovicum Joan. Eichhornii (Weltgeschichte II. B. p. 508) „ein wahres Kőnigsgenie" et Spitleri „Regem, in eo suspicio, singularem, qui paucos toto intermedio Europae aevo sui similes habuerit; toto pectore et mente hungarum, qui cultum italum cum hungarici vigore animi felicissima copula junxerit; et in quo Heroem an Regem magis admireris, statuere tecum non possis".

XXVIII. REX MARIA

ab anno 1382 — 1386.

XXIX CAROLUS II. INTERREX

ab anno 1385 — 1386.

§ 52.

In procuratione regni, propter aetatem Mariae Regis, mater erat.

Maria condito pridie Ludovici funere, 17. Septembris a. 1382 maxima Hungarorum consensione Albae co-

ronata, Regis nomen, regnum enim, cui per aetatem impar erat, mater, ejus nomine, procurandum accepit. Quum enim haec jam Ludovico Rege, quoties hic aberat, summae rerum cum laude praefuerit, erat fere nemo, qui de ea his exercita curis non optime speraret. Apparuit tamen paulo post, non illi quidem ingenium magnis par negotiis defuisse; quam tamen consilii judiciique habuit praeclaram opinionem, a Ludovici hanc profectam moderatione, partemque fuisse amoris, quo conjux grata mariti observare voluntatem, eique complacere satagebat. Hoc exstincto, naturam rediisse, a moribus, quos antea praeseferebat, adeo diversam, ut dominatus impotens, arrogantiae addita muliebris arbitrii acerbitate, timeri magis, quam diligi velle videretur. Praeter Nicolaum Gara Palatinum, pristinae fortunae, ex qua ad hoc esset honoris fastigium merito ille quidem suo, praecipua tamen Ludovici benignitate perductus, parum memorem Regina vidua audivit neminem; huic tamen uni, velut qui semper placentia suaderet, tantum concessit, ut omnem jam supremam potestatem penes eum esse fama percrebesceret. Erant et Poloni offensi Sigismundo, quod eis Bohaemos populares multum praeferret, imo hos fovens solos, accumbensque cum iis, velut per contemptum neminem unum Polonorum adesse pateretur. Hi itaque missis legatis Hedvigem Mariae sororem ad capessendum regnum flagitabant multo majori sane venia, quam quos in Croatia Joannes Palisna, Ludovici beneficio Prior Auranae, de omni faeminarum imperio penitus abrogando, cum Paulo Zagrabiensi Episcopo, hujusque fratribus Joanne et Ladislao Horvathiis moliebatur. Quibus deinde Stephanus de Laczk ex Vajvoda Transylvaniae Banus Croatiae renunciatus, moxque munus hoc Templino de s. Georgio cedere jussus, Andreas item de Laczk, Stephanus de Simontornya et plures alii socios se perfidiae adjunxerunt, ii maxime, in quorum cognatos ob venditas, quibus praeerant, Duci Lythuaniae arces, ea animadversum severitate est, ut non ipsi tantum morte mulctarentur, sed stirpi quoque eorum perpetua infamiae nota inureretur.

§ 53.

Hac tamen paulo post a legibus ad muliebre deflectente arbitrium,

Mali contagio ad Hungariam quoque pervenit. Hujus tamen Ordines, quod adhuc perperam actum, memoriae Ludovici condonando satis habebant: per nuncios e publicis Comitiis missos petere, ut hujus et Andreae II. Decreta novo Diplomate confirmarentur. Fecit hoc Maria cupidissime, conceptisque testata verbis „ad felicitatem regiminis id plurimum conferre, si pax et tranquilitas publica praesidio hujusmodi obvalletur“ solemnes de legibus iis observandis a. 1384 decima Kalendas Julii literas dedit.

§ 54.

res undique retro cesserunt, erantque haud pauci, qui auctore Paulo Zagrabiensi Episcopo Carolum siculum ad capessendum regnum evocarent.

Elisabetha, quod Hungariae Poloniaeque possessionem integram servari Mariae studebat, spes Polonorum de Hedwige sibi transmittenda diu varieque frustrabatur; intellecto tamen: hos inter se fidem et jusjurandum de Rege, nisi ea ad festum s. Stanislai a. 1384 Cracoviae adfuerit, actutum eligendo dedisse, necessitati cessit. Hedwigis itaque magno Procerum comitatu stipata per Demetrium Archiepiscopum Strigoniensem in Poloniam deducta, et die 15-ma Octobris per Archiepiscopum Gnesnensem coronata, Ordinum voluntate, in manus Ducis Lithuaniae convenit. Sub idem tempus Paulus Zagrabiensis Episcopus conjuratorum Antesignanus, religionis praetextu, romanum iter simulans, in Siciliam ad Carolum Regem profectus est; ut hunc ex communi sociorum sententia ad occupandam Hungariam invitaret. Ferunt eum religione juris jurandi, quod anno 1380, dum ad capessendam

concessu Ludovici Siciliae possessionem discederet, huic de juribus filiarum suarum in Hungariam Poloniamque, sancte observandis dederat, aliquamdiu anxium haesisse; acceptis tamen a Joanne Slavoniae Bano literis, prospera quaeque sibi pollicitus vela solvit, et circa finem mensis Octobris anni ejusdem in Dalmatiam trajecit.

§ 55.

Maria periculi admonita de singulis regni Comitatibus quatuor potiores nobiles ad Comitia evocat, Decretumque edit novum;

Maria de magnitudine imminentis periculi per Praelatos, Barones et Proceres regni Hungariae admonita, consilio horum a. 1385 Congregationem generalem Budam in octavam diem omnium Sanctorum edixit, praecepitque, ut de singulis regni Comitatibus quatuor potiores nobiles advenirent. His deinde non omni eo se perfrui jure querentibus, quod sancti et alii Hungariae Reges concessissent, ipsaque nuper confirmasset, novis adseveravit literis, se juri illi nec in toto, nec in parte derogare velle, omni itaque novitate exclusa, quasque eorum praerogativas sancte deinceps esse observandas.

§ 56.

mater vero nuptias ejus cum Sigismundo festinat.

Altum in Decreto hoc de matre regina silentium. Quod ut per se insolens, non ita perinde promptum dictu est, quae tanta offensionis exstiterit causa, ut Ordines regni hoc Mariam perfungi erga Matrem pietatis officio deprecarentur. Haud modicam fuisse inde colligas, quod Elisabetha Optimatum victa auctoritate, quas adhuc distulit, a Comitiis his ipsa festinavit Mariae cum Sigismundo nuptias. Quibus initis, hic vixdum maritus magnis itineribus in Bohemiam contendit. Subitae profectionis consi-

lium erat, ut cum bellicae virtutis Caroli eximia apud omnes opinio, nec parva eorum manus esset, quos ille vocantes sequeretur; praeter militem Regium, de auxilio etiam, si quod ad arcendam vim opus esset, tempestive provideretur.

CAROLUS II.

§ 57.

Rex proclamatur

Inter haec Carolus tres apud Episcopum Zagrabiensem commoratus menses, magna finitimorum accessione facta, sumtoque Gubernatoris regni nomine Budam versus cum copiis movit, et quod Reginis hostis an amicus veniret, percontantibus amicum se adesse, et compositis simultatibus Neapolim reversurum respondit, ab his amice acceptus est. Indici posthaec Comitia placuit, ut laeta spebus Caroli, sic Mariae Reginaeque matri funestissima. Cum enim alii jam anno **1365** Carolum eo consilio per Ludovicum ex Italia evocatum contenderent, ut Joanne (ex fratre Stephano nepos erat) mortuo, hunc tamquam consanguineum et filium in spem regni educaret; praedicabantque palam: alii bellicas ejus laudes certatim celebrabant per tempus, quo voluntate Ludovici Dalmatiae, Croatiaeque praefuit, optima hunc saepius fortissimaque Caroli usum opera, itaque anno **1379** revocatum ex Italia quo diverterat, copiis adversus Venetos missis praefectum, victoriae belli hujus praecipuam caussam partemque fuisse. Muliebre alii gravabantur imperium, hi in primis, apud quos praesentior acceptae per se aut cognatos ab Elisabetha injuriae quam beneficiorum Ludovici sensus; et rursus alii favebant, cupiebantque Carolo propter res maritimas, quas eo Siciliae simul Rege maxime eflorescere posse existimabant. Cum denique non deessent, qui gradus cognationis cum stirpe

virili Arpadum computarent, hujusque etiam jure Carolum potiorem vociferarentur [1]), tanta frequentissimorum Ordinum consensione Rex proclamatus est, ut tam acerbi casus nuncio erepta sibi Elisabetha eidem petenti et Coronam et cetera insignia regni, tamquam cum bona gratia, dimitteret. Quibus traditis idem ille, per quem tres ante annos Maria coronata est, Archiepiscopus Strigoniensis ultima Decembris a. 1385 Carolum incinxit [2]).

---

[1]) Tabellam generationis vide apud Fessler: Gesch. der Ungarn, 2. B. p. 8.

[2]) Hunc Katona in numero regum legitime coronatorum habet; Prayus expungit parum meditato consilio; cum, ut alia omittam, vix eum latuerit, Carolum VI. Imperatorem, tertium se hujus nominis Regem Hungariae in pluribus Diplomatibus scripsisse. Vide sis etiam Glossam Szegedii op. trip. P. II. tit. 14 subnexam.

§ 58.

exitu infelici.

Perbrevis tamen hic Caroli Principatus fuit. Elisabetha enim Nicolao Gara praecipuo adjutore, haud scio an etiam auctore usa, VII. Febr. a. 1386 astu ad se vocatum morti dari [1]) seu potius praeire sibi ad Manes jus-

---

[1]) Rem ipsam Magister Blasius dictus Forgách, filius Nicolai de Kozmal Magister Pincernarum Regalium perpetravit, Donatione Mariae anno eodem feria quarta proxima ante Dominicam, Esto mihi, in literas missa, Castrum Gymes (Mathaei dicti de Trenchin fuerat) cum omnibus villis ad idem pertinentibus adeptus, videlicet: ,,primo Majori Gymes, et Minori Gymes, Kisfalu, Kosztolán, Chytar, Pragran, Mezne, Major Belech et Minor Belech, Velechen, Zabatna, Sztranya, Gesztenye, Szent Márton, Velchech, Maroth, cum tributo in eadem exigi consueto, Hyzer aliter Kelechen, Hechen, Saloh, Charad, Honay, Verusvár, Joka, Ujfalu similiter cum tributo in ipsa exigi consueto;

sit, eodem enim, quod ad hunc perimendum cepit, consilio ipsa quoque truculentissimum sibi apud conjuratos comparavit exitium. In Mariam peccandi nulla iis causa. Faedam igitur, in quam redacta est, captivitatem ad caelestes ob delicta Majorum iras, barbara Conradini et Clarae Visegradiensis caede cumulatas pertinuisse plerique crediderunt, quae non laribus Regiis cognato undique sanguine respersis, non pietate Ludovici, non denique populi suplicationibus placatae, aetatem Mariae ad longe gravissimam ultionem ludibriaque rerum mortalium produxisse videntur [2]).

Demenche, Lylie, Senche, Fyus, Manya ut praemissum, cum Tributo in ipsa exigi censueto, Gyarak, Vayk, similiter cum tributo fori; Istemerfalu, Zabol, Komyathy similiter cum Tributo in eadem recipi consueto, Salgo, Hind, Kaluz, Belad, Herestyén, similiter cum tributo in ipsa exigi consueto; Charnok, et alia Charnok, Zeek, et Harsán vocatis, aliisque ad ipsum Castrum ab antiquo spectantibus, in Nittriensi, Barsiensi, et Strigoniensi Comitatibus".

[2]) Atque hoc captivitatis Mariae tempus est, quo Ordines regni sigillum per nos l. III. § 26 commemoratum, epigraphenque „sigillum regnicolarum" exhibens sculpi fecerunt.

LIBER TERTIUSDECIMUS.

HUNGARIA SUB REGIBUS

STIRPIS LUXENBURGICAE.

Virtutis laus omnis in actione consistit.

Cic. de Off. l. I. c. 6.

Quidquid peccatur, perturbatione peccatur rationis atque ordinis; perturba autem semel ratione et ordine, nihil potest addi, quo magis peccari posse videatu

Idem Parad. III.

XXX. REX SIGISMUNDUS

ab anno 1387 — 9. Dec. 1437.

§ 1.

A peracta coronatione

Initio anni 1387, conjugis liberandae causa, cum exercitu in Croatia versatus, regni Hungariae Capitaneum et Dominum, neque Regem se ante ultimam Martii anni hujus scripsit, qua solennis ejus coronatio per Benedictum Episcopum Veszpremiensem peracta est. Veneti hoc tempore in nostra re nos vincere diligentia Hungarisque, cum maxime non essent, videri addictissimi voluere. Labor quidem per eos pro Maria carceribus eximenda susceptus, bonae voluntatis laude non caret; hujus tamen pars magna, totum praeterea, quod ad Sigismundum Regem proclamandum, opere, aereque peritissime nitebantur, ad filium Caroli parvi, in quem multi inclinabant, a solio hungarico avertendum, marisque imperium servandum sibi spectabat.

§ 2.

potestatem regiam pleno exercuit jure;

Maria Novigrado, ubi captiva tenebatur, ad deditionem perpulso liberata, per omnem reliquam aetatem, tamquam non solio, sed marito tantum reddita esset, nihil plus juris, quam Regum aliorum consortes, vindicabat sibi. Sigismundus igitur a tempore coronationis potestatem regiam pleno exercuit jure.

§ 3.

Sed nimia in Conjuratos severitate,

Hic Joanne de Palisna et mox Tuartko etiam Bosniae Regulo, quorum ille antesignanus, hic praecipuus ejus ceterorumque sociorum fautor, ambo propugnacula murique hominum perfidorum erant, sub initium ann 1392 morte sublatis, Stephanum Dabisciam, Tuartki successorem, qui Rasciae Bosnaeque et Dalmatiae et Croatiae Regem se ferebat, petentem in clientelam recepit ea lege, ut hic ei Dalmatiam et Croatiam illico cederet, Bosniam ad dies vitae retineret, post ejus autem obitum haec quoque ad pristinum Regum Hungariae dominatum rever teretur. Castrum deinde Dobor, inter Usoram et Bosnan fluvios situm adgressus, praecipuo hoc factiosorum latibulo expugnato, partem horum longe maximam in potestaten redegit. In his et, quos Vajdafius simulata Regis gratia dolo cepit, duo et triginta milites erant amplissimis innex familiis, quorum suplicio reliquias veteris conjurationis exstinguendas ratus, plus satis aspera severitate nulloqu eorum, qui morte plus, quam vita rationibus ejus obfutur essent [1]), delectu, novae ansam conspirationi dedit.

[1]) Et Stephani quidem Konthii amplissima Hedervariorur nati familia virtus militaris, singularisque in morte oppetenda con stantia etiam aevo Mathiae Corvini ad lyram canebatur. Thu Chron. IV. c. 7.

§ 4.

et quod ignominiae ad Nicopolim acceptae causa maxim ipse fuerat, plurium animos

Gliscebat haec tum maxime, dum ad Nicopolin atrocissima per nostros a Bajazete accepta clades est Valachiam hic et Bulgariam Regiones Hungariae fiducia rias sub imperium subjunxit suum; quas ut Sigismundu recuperaret, Pontificibusque Romanis faceret satis, qui e

hac tam celeri dominatus Turcarum progressione haud abs re toti metuebant nomini christiano, a. 1396 bellum ei commovit. Ad quod gerendum Principes exteri complures gentesque perdiversae: Galli, Belgae, Hispani, Itali, Germani, Bohemi, Polonique convolarunt. Tantis auctus opibus Sigismundus, hastis militum horum sustentari caelum ipsum, si rueret, posse jactitabat, et, cum exploratam prope victoriam haberet, Belliducis partes egerat segnius. Gallis igitur, Burgundiisque flagitantibus data primi in hostem faciendi impetus facultate[1]), quid per alios fieri vellet, non ostendit. Quo factum, ut illis per Turcas internecione deletis, omne, quod hac non tam pugna, quam caede acceptum est, gravissimum exercitus detrimentum in Sigismundi verteretur invidiam, velut quem parum militem, nedum Belliducem comperissent. Haec animorum offensio apud plures in odium deinde exarsit, cum cognitum est, eundem cum spe reparandi praelii, curam quoque regni abjecisse; Nicolao enim Kanizsaio ac Joanne de Gara missis, qui illud gubernarent, ipse conscensa cymba secundo Danubio Constantinopolim defluxit.

[1]) Inter Boucicautium et Froissartum de pugna hac scribentes judicium celeberr. Hallamius o. c. P. I. p. 609 judicavit rectissimum.

§ 5.

ad Ladislaum Caroli Dyrrhachini filium avertit,

Jam a. 1395, quo Maria supremum obiit, erant plu-es, qui hac sine liberis exstincta, Domum Regiam vacueactam contenderent. Horum studiis alii, quorum animos ot nobilium virorum suplicia exasperabant necessitudine inctorum sibi; et rursus alii se adjunxerunt, qui inustam enti ad Nicopolim ignominiam temeritati et disciplinae ilitaris inscitiae Sigismundi imputantes, sic labefactam rmorum hungaricorum gloriam aegerrime ferebant. Houm igitur pars magna, ii praesertim, quibus Sigismundum . 1393 successionem in Hungaria, si ipse improlis dece-

deret, Venceslao fratri addixisse; pactum hoc a. 1396 confirmasse; eodem tempore in literas consensisse constabat, quibus Venceslaus Hungariam ceterarum Imperii Germanici provinciarum numero adscripsit [1]), Ladislaum Caroli Dyrrhachini filium ad capessendum regnum evocandum rati sunt, missisque ad eum nunciis id jam nunc impetrarunt, ut quod Stephanus Laczkovichius et alter Stephanus de Simontornya vice ejusdem in regno agerent, id sibi, dum Sceptro potiretur, gratum fore literis promitteret. Crevitque vel sic in dies numerus factiosorum. Quo minus existimandum est, in Congregatione et Consilio generali, ad quod apud Temesvarinum ad festum b. Michaelis Archangeli 1397 celebrandum, Sigismundus universos Praelatos, Abbates, Praepositos et Barones Regni, nec non de quolibet Comitatu singulos 4 probos et nobiles viros, plena potestate ceterorum consociorum, ad omnia ordinanda fungentes accersivit [2]), hos omnes coram omnino adfuisse. Et haec et, quae usque a. 1404 concita sunt Comitia, etsi universorum regni Ordinum nomen referant, Concilia fuerunt paucorum, qui ipsi, dum alii Dyrrhachino, alii Vladislao Polono, Hedwigis nuper mortuae marito, et rursus alii Alberto Austrio studerent, Sigismundo non tam adhaeserunt, quam utrum ex his eidem praeferant, dubitarunt.

---

1) Pelczel Kaiser Wenzel II. 320, 321.

2) Verba sunt privilegii Sigismundi Regis „ex consensu unanimique voluntate Praelatorum, Baronum et Nobilium regni Nicolao Treutel pridem Bano Machoviensi et Magistris Joanni et Ladislao fratribus ejusdem carnalibus" a. 1398 6-to Calendas Decembris collati, consonique literis hujus Regis in Supl. ad Vest. Com. p.293 productis. Ex quo intelligitur, id inter cetera in generali congregatione hac decretum esse, ut omnia castra, tenuta, possessiones quibusdam regnicolis per Sigismundum eo tempore, quo hi adversus eum insurrexerunt, prae timore insurrectionis hujusmodi donatas, simul cum donationibus, quas iis fecisset, qui in pace inter eum et rebelles procuranda laborassent, aufferre valeat. A cujusmodi decreto donationem Treutelio factam; aliis autem literis Cal. Nov. 139

exaratis Castrum Ozol in Slav. Nicolao Comiti Veglae pignori datum eximit. Paulo ante memoratum privilegium vide sis a magy. t. társ. évkönyvei 2. kötet. Literas alias apud Katona T. XI. p. 459. In posterioribus his illa Ordinum regni Comitia, eorumque scita: Decretum et Constitutionem seu dispositionem Baronum et Nobilium regni appellari, non abs re adnoto.

§ 6.

Cujus causam per Sigismundum ipsum, quod plurima ageret inconsultissime, secundatam vulgata de Bonifacii IX. in eum studio fama adflixit maxime

Anno postero in Croatiam concessit, et Stephanum Laczkfium (Laczkovics vulgo) specie habendi cum eo consilii, ad Concilium, quod apud Crisium Oppidum indixerat, evocatum in medio colloquio publico, non tam capi, quam oprimi repente, ducique e vestigio ad suplicium jussit. Et tamquam jam eo dedita industria niteretur, ut omnis a se populi defectionem maturaret, a. 1399. Coronam regni Hungariae in Jodocum patruum suum et Moraviae Marchionem, cum consensu quorumdam Aulicorum transcripsit [1]). Itaque evenit, ut Detrico et Emerico Bubekiis, quorum ille Palatinus, hic Prior Auranae fuit, praecipuis auctoribus, inter Praelatos Proceresque, licet de persona eligendi Regis diversum sentirent, de regia tamen auctoritate Sigismundo abroganda conveniret. Per hos igitur captus Budae, hinc Visegradum, inde ad arcem Siklosiensem Garaiorum translatus, horumque commissus fidei est. Qui ejus aliquamdiu custodes, postea liberatores exstitere. Etsi autem his de servandis deinceps legibus magnifice pollicitus esset, vixdum tamen redditus sibi, novum priorique simile de Corona, si absque legitimis filiis decederet, cum Alberto IV. Austriae Duce pactum iniit, sicque rebus Dyrrhachini ipse magis, quam alter

---

[1]) Kelemen Hist. Juris priv. hung. § 52.

quisquam partium hujus studiosissimus, inservivit [2]. Fuerunt vero hae jam eo loco, ut non Dalmatia modo Herwojae Bosnensium Vajvodae auctoritati obsecuta Ladislaum Regem agnosceret, sed quum Sigismundus in Bohemia fratris causa abesset, pars quoque Hungarorum magna in eum consentirent [3]. Causam tamen Ladislai hactenus prosperam, ut jam ipsum etiam Joannem de Kanisa Pontificem Strigoniensem non ab sua quidem, ut videbimus, in Sigismundum fide, sed animi hujus impotentia discedentem; Thomam praeterea de Ludan Episcopum Agriensem plurimosque alios de meliore nota viros inter suos numeraret; hique sumpto nomine „Praelatorum, Baronum, Procerum, Militum et Nobilium Regni Hungariae ad utilitatem reipublicae“ et Magistratus conferrent, et agrorum donationes facerent; res, quam ipse sibi praecipuo futurum adjumento arbitratus est, gravissime adflixit. Didita enim studii, quo in eum Bonifacius IX. ferretur, coronationisque per Cardinalem Florentinum jussu ejus V. Augusti 1403 in Civitate Jadrensi peractae fama, verebantur plures, ne Ladislaus regnum, quod ipsi libera ei voluntate obtulissent, non tam huic, quam invisae Pontificum se debere auctoritati olim existimet. Itaque primus ille ardor, praesertim post Jaurinum, Albam Regiam, Strigonium, Budam, Agriam armis Sigismundi recuperatam, apud plurimos sensim refrixit.

---

[2]) Ita enim de Pacto hoc Vindeckius apud Pray Annal. P. II. p. 204. „Pacta conventa, quae anno abhinc cum Alberto Austriaco successionis causa inierat, in medium proferri jussisse, et rogatis quidem, non item acceptis sententiis, singulos suis nominibus confirmare imperasse; eam rem celebrandi seorsim Conventus occasionem Proceribus praebuisse, in quo omnium suffragatione decerni placuit: Quoniam Rex contra fas haereditatem regni insciis Ordinibus, alii transcripsisset; Optimatibus creandi novi Regis jus omnino liquidum esse.“

[3]) Plerique, ait Sigismundus, Praelati, Barones, Magnates, Proceres, et Nobiles regni. Tud. Gyűjt. a. 1830 v. 1.

§ 7.

Literae amnestiae per Sigismundum opportunissime editae.

Quo animorum habitu Sigismundus cujuscunque ex consilio, ipse enim artes, quibus vere sibi utilis esset, parum adhuc novit, opportune usus, amnestia a. 1403 promulgata cunctis erratorum veniam dedit, hacque clementia sua et regni possessionem firmavit, et rebus in Bosnia non minus fortiter, quam plane ex ingenio suo acerbe [1]) gestis Herwojam, cui Ladislaus curam Dalmatiae commisit, ab hoc abstractum conciliavit sibi. Sicque diuturnum reipublicae incendium obrutum apud hos, in Hungaria quidem ita restinxit, ut tam partes muneris sui regii, quam quae causa consequendi summi per Germaniam Imperii, sufferendique schismatis Eclesiae occidentalis a temporibus Urbani VI. inter duos Pontifices divisae, sibi ipse imposuit, negotia fidei Hungarorum securus prosequeretur.

§ 8.

dem Rex Romanorum electus, a morte fratris, Bohemiae quoque possessionem adiit,

Anno 1410 Rex Romanorum electus, post composias, auctasque legibus a. 1404, 1405 res hungaricas, Paificatoris mundi concupivit nomen, hocque ut conficeret ibi, inde ab a. 1414 in reliqua diversatus Europa, ab Hunaria tantum non penitus abfuit. Sublato Eclesiae Schimate, a fatis Venceslai fratris, non tam regni Bohemiae, uam belli civilis, quo illud religionum causa deflagrabat, uccessionem adiit, magnoque et haec, et illa Imperii Roiani dignitas Hungariae, magno provinciis jure clientee huic obnoxiis stetit.

§ 9.

justoque plus negotiosus Hungariam per intervalla so-lum revisit. Damna absentiae ejus domi, forisque

Primi animum pactique cum Ludovico magno con venti fidem Veneti mutarunt, quod collapsis Ladisla Dyrrhachini rebus, nil sibi hac parte verendum, Sigis mundum vero, cujus tituli, non vires etiam, hac dignita tum accessione increvissent, eo minus timendum duxerunt quod volaticos ingenii ejus impetus noverint, perspexerint que ingenti negotiorum, quae sibi ipse facessiverat, moli ne fortunam quidem, si maxime vellet, sufficere posse Jadra igitur aere a Ladislao empta, et tributum usqu adhuc pensitatum porro abnuebant, et Sibeniczensibus a defectionem pertractis, dominationem latius in Dalmati proferre nitebantur. Consecutique sunt, quod optabant neque enim alter semel atque iterum comparati in eo belli fuit exitus, quam ut pro sumptibus hujus satisface rent, et quae occupassent, Sigismundo ad alias bellorur pacisque avocato curas, porro quoque obtinerent. Vajvo darum Valachiae, et Moldaviae fides diu anceps; ad ex tremum Myrsa, quem Sigismundus Valachiae praefecera ad Turcas; Elias Moldavus ad Polonos defecit, qui occu patae auspiciis Hedwigis Russiae rubrae non sine max ma Coronae Hungariae injuria dominantes, anno 141 etiam possessionem tredecim Scepusii Oppidorum adive runt per Sigismundum pignoris titulo cessorum sibi. Ict cum Rege minoris Persiae foedere Amurathem Europ exclusurus, dignum sane maximo Principe consilium S gismundus cepit, hoc tamen paulo post dimisso, intere dum ipse maximam Copiarum hungaricarum partem alil distineret, Turci per Hervoyam et Venetos aere, ac m lite adjuti vastitatem per provincias Hungariae circun ferebant. Victi ii quidem sunt Marte Nicolai Saracen Bulgariaque et Servia exacti, sed mox a Rege Polonia ut ferebatur, subornati repararunt bellum; hisque h Hungariae parte grassantibus; Hussitae, hostes novi, fin

timisque locis gravissimi, accepta autem ad Ilavam a Nicolao Rozgonyio clade etiam ferociores, montana, omnemque late regionem Strigonium usque foede vestabant.

§ 10.

plurima.

Haec hostes exteri; nec minores eae plagae fuerant, quas in regni sinu privati ab Olygarchis acceperunt. Lex jam de anno 1405 exstat, quae prohibet „ne Palatinus, ne Judex Curiae Regiae, ne Magister Thavernicorum, Baronesque et Comites alii, ne porro Judices et Justitiarii regni Eclesiastici et Seculares spolia et direptiones rerum, sanguinis effusiones et alia actuum potentiariorum genera fidelibus regnicolis inferant“ [1]). Ita domi se res habuere Sigismundo nondum Barbarae Czilejensis marito; quid post inita cum hac seu a. 1407 uti Katona, seu quod Prayus [2]) contendit, anno 1408 secunda vota, contractamque cum privatis affinitatem? an hi, an longum familiarium, clientiumque agmen legi huic detulerint quidpiam? aut potius suae hujus cum Sigismundo aut affinibus proximitatis fiducia, majora etiam ausi sint, ne ego dicam, satis vel ex praefatione Decreti cognoscitur, quod Sigismundus a. 1435 edidit [3]). Sed haec hactenus.

---

[1]) Decr. III. a. 1405. art. 4.

[2]) Diplomatibus domesticis Katona; Prayus Vindeckii Aulae Sigismundi familiaris, in vita hujus c. 19 nititur.

[3]) Ibid. § 1 „ut — juris integritas, abutentium praevaricatione depravata reformetur.“ § 2. „tandem in peculiare regnum nostrum Ungariae medio tempore praesentia nostra regali viduatum, injuriisque et damnificationibus potentialibus — disturbatum regressi.“ In Decreto articulum vide sis 6-tum de Castellanis Regiis, Reginalibus, nec non Praelatorum et Baronum ac Nobilium cum potentiis Dominorum suorum mala quaeque patrantibus; art. 24. de furibus, latronibus per Praelatos, Barones, Nobiles non recipiendis cet.

§ 11.

De jure tamen publico Hungariae praeclarissime meruit.

Jam enim de legibus reliquis Institutisque Sigismundi dicendum est Hungariae salutaribus, quae tam multifaria sunt, nulla ut poene reipublicae pars sit, quam non providentiae suae, eruditionisque haud mediocris vestigiis impressisset, prorsus, ut alter, de quo adhuc scripsimus, alter, de quo scribere pergimus, Sigismundus fuisse videatur.

§ 12.

Juris Patronatus Regum Hungariae vindicem et custodem se praestitit acerrimum.

Beati Petri Principis Apostolorum sedem, tamquam divinae arcem religionis omni Officii genere coluit; adversus Pontificum, hominum scilicet ambitionem, quam longae servitutis pertaesi viri quoque sacri, velut libertatis Eclesiarum, Regiaeque scopulum auctoritatis gravabantur, uti par erat, providit solertissime. Jam alter Regii sui Principatus anno Collectionem Pontificiam ad summam nummum aureorum quatuor mille reduxit. Sex ennio post Legibus a. 1404 conditis [1]), sed quod Jus Patronatus Eclesiarum penes Regem esset, forma Edicti cujus exemplum aliud de re militari videbimus, editis, capite sanxit, ne quis deinceps literas Apostolicas quorumcunque Judicum et Officialium Curiae Romanae seu causa beneficiorum seu contentionum litigiosarum recipere, publicare et effectui dare sine speciali sua licentia ausit. Interdixit praeterea beneficia Eclesiastica, quae adhuc v

---

[1]) Pray in Hierarch. Hung. Ecl. P. I. p. 92. Kovachich Ves Comit. p. 199.

gore literarum Apostolicarum, Legatorum seu aliorum Praelatorum conferebantur, sine diserto concessu acceptari suo, vel collata retineri. Cathedrales itaque Eclesias et monasteria, universim beneficia quaeque Eclesiastica in Hungaria contulit, quibus voluit [2]), dum tandem Jus hoc Patronatus Regum Hungariae Patrum quoque Concilii Constantiensis assensu, bullaque, his porro in perpetua tempora assertum est [3]). Qua denique Archiepiscopus Strigoniensis Legati nati utitur, praerogativa, hoc Rege, Joannem Kanisaium a Bonifacio IX. primum

---

[2]) Pray Hierarch. Hung. P. I. p. 94. Katona Hist. Metr. Ecl. Coloc. P. I. p. 399.

[3]) Oper. trip. Steph. Verb. I. tit. 11. quo Bulla ex Concilio Constantiensi profecta inter rationes Juris Patronatus Regum Hungariae non abs re extremo loco ponitur; sunt enim domesticae aliae et multo antiquissimae. 1. Quia „Reges Hungariae, cum soli fuerint omnium Eclesiarum et Episcopatuum, Abbatiarum et Praepositurarum fundatores, per fundationem hanc omnem facultatem juris Patronatus, nominationis, electionis et collationis beneficiorum sibi ipsis acquisiverunt. 2. Quia Hungari non per praedicationem Apostolicam vel Apostolorum, quorum Principis vicem et personam in terris Papa gerit; sed per institutionem proprii Regis eorum, sanctissimi videlicet Stephani Regis — conversi sunt ad catholicam fidem. Qui primus omnium Episcopatus, Abbatias, Praeposituras fundavit et beneficia harum omnium Eclesiarum, ex nutu summi Pontificis, quibus maluit, idoneis tamen contulit. Sicut hoc ipsum de eo Eclesia solemniter canit, et plerique Caesarei ac Pontificii juris interpretes Commentariis suis conscriptum prodidere, ac titulus Regis et Apostoli, collata demum ei per summum Pontificem crux duplicata ostendit. 3. Quod Reges Hungariae ab hoc tempore semper in reali et pacifico usu collationis hujusmodi beneficiorum praefuerant, eorum igitur juri etiam ratio praescriptionis inserviat.“ Quae haud paullo majora sunt, quam ipsae ex Jure Justinianeo per eruditissimum Roszhirtium Geschichte des Rechts im Mittelalter. I. Th. Canon. Recht. p. 246 citatae de Donatione sub modo l. 15. C. 1. 2. l. 46. § 3. C. 1. 3. nov. 57. c. 2. nov. 123. c. 18.

exornatum accepimus; Dionysium deinde Széchium anno 1452 in eo per Nicolaum V. PP. stabilitum munere; nec deinceps quemquam in Hungariam Apostolicum missum esse Nuntium [4]).

---

4) LL. EE. C. de Batthyan. T. III. p. 297. Katona, Pray alii.

§ 13.

Serviae cum Hungaria nexum providentissime firmavit eique Praefectum in numerum Baronum regni Hungariae cooptavit

Idem Serviae (Rasciam hanc et Rácz Ország vulgo dici alias observavimus) cum Hungaria nexum, per Diploma, quod a. 1426 Stephano Despotae impertivit, explicatissime docet. Despotus „ille regnum Rasciae cum omnibus juribus suis regno Hungariae semper subjectum ad proprietatem hujus, nullo medio pertinere professus, ne hoc olim ad alienas deveniat manus, universos Barones suos Sigismundo Regi, Praelatisque ac Baronibus et Proceribus regni Hungariae de fide et obedientia sacrae Coronae, successoribusque Regibus Hungariae, nec non Praelatis, Baronibus et Proceribus, medioque horum, regno Hungariae praestanda nuncupare sacramentum jussit". Hoc facto Sigismundus nepotem ejus Georgium Vlk in numerum Baronum regni Hungariae cooptavit, quodve praeterea Despotus ille petebat, ut regno Rasciae sibi, dum viveret, permisso, deinde nepos ille suus, post hunc haeredes ejus sexus melioris praesint, ea concessit lege, ut Thisnicza, Zakoly, Macho, Beleztena, Nándor Albensi item et Galambocz, aliisque castris et districtibus terrisque ex nota infidelitatis aut defectu aliquorum ad sacram regni Coronam recentius devolutis, aut jam per Ludovicum Regem, aliosque ad regnum Hungariae possessis, reliqua pars regni illius ab obitu Stephani Georgio Vlk pleno jure, ad eum tamen modum

cederet, quo Rex Baronibus regni Hungariae donationes facere consuevisset; tam ipse nempe, quam haeredes sibi et sacro regni Diademati, Successoribusque Regibus Hungariae fideles ut sint, mandatisque horum obedire, — ac Regiam Majestatem et Curias ejus Regias, instar ceterorum Baronum ipsius regni Hungariae personaliter visitare, Consiliisque interesse debeant et teneantur; in quovis demum necessitatis casu, dum requisiti per Regem fuerint, eidem Coronaeque ac regno semper et ubique fidelem operam navent; et si acciderit, ut sine masculis haeredibus decedant, omnia haec iterum ad Majestatem Regiam ex integro revertantur [1].

---

[1]) De literis his in Opp. Thata a. 1426 datis Nicolaus Jankovicsius in Tud. Gyűjt. a. 1821 v. 9 praeclare disseruit, laudanda ejus item opera est, qui dissertationem hanc apud Hormayr o. c. ad a. 1824 p. 400 in germanicum convertit.

§ 14.

Cujus momentum dignitatis

Georgius igitur Vlkius eorum ordini Baronum est adscriptus, qui ad Curiam Regis et Comitia venire ex officii munere debuerunt. Erant enim Barones alii, quibus sola modo adeundae Curiae copia privilegio facta est [1]). Ita Mathias Corvinus Ladislai, Stephano Duce s. Sabae geniti praeclara bello, quod Bosniae causa gerebatur, merita remuneraturus, huic omnem, quem Turcis eripuit tractum hac donavit lege, ut quoties ipse in Bosnam venerit, vel aliquem ex Baronibus regni Capitaneum miserit, Ladislaus cum gentibus suis huic praesto esse; sin Capitaneum delegaret, qui de ordine Baronum non esset, exercitum mittere, in aliis vero partibus more Baronum regni militiam facere teneatur; jusque ei haeredibusque

---

[1]) Cod. Dipl. VIII. v. 6. p. 67 et seqq. sunt eae de a. 1463.

sit, quocumque tempore ad Curiam Regis, Praelatos, Barones, et Aulae Regiae Magistros accedendi [2]).

---

[2]) Discrimen hoc in Regalibus literis, quae ad possessionatos, impossessionatosque, ut loquimur, Indigenas exarantur, etiamnum servatur. Ex earum enim sensu illi comparere ad Comitia debent, hi possunt.

§ 15.

explicatur.

Baronibus itaque regni inferior Ladislaus hic, Vlkius par, tantoque major Ladislao fuit, quod ex perpetuo apud Hungaros usu, non alter haberi pro Rege potuerat, quam cujus eligendi Praelati, et Barones, aequales sibi, auctores essent. Quam ob rem Albertus Rex in magno multorum Georgii Despotae Rasciae et Albaniae meritorum numero id maxime laudavit, suaeque recordationi altissime inhaerere testatus est, quod „licet solemnitati electionis et coronationis Ejus — tum propter harum tunc utilibus ex causis factam accelerationem, tum etiam praetextu assiduae occupationis suae circa patriae et dominiorum suorum defensionem — suam praesentiam, quamvis ad hoc, tamquam principale regni hujus membrum fuerit requisitus — exhibere non valuisset; tamen hac ejus ad regni gubernaculum provectione percepta, missis nunciis, per eorum medium, suum ad praedictam ejus sublimationem concurrentem assensum fecit patefieri" [1]).

---

[1]) C. D. T. XI. p. 293.

§ 16.

De Vicariis generalibus (Locumtenentibus) ejus regiis, ac horum auctoritate.

Qui Joannem Pontificem Strigoniensem, per tempus, quo Andreas II. in Palestina aberat, mandato hujus, vicariaque potestate Hungariae; Dalmatiae autem Pontium de Cruce Magistrum militiae templi [1]) praefuisse recordantur, his non videri novum Sigismundi consilium potest, pari de causa, vicem suam aliis, in quibus plurimum fiduciae collocaret, semel atque iterum committentis. His Regiis generalibus Vicariis nomen; creatis per Sigismundum anno 1413 et rursus a. 1433 cum plena procurationis regni potestate. Primi: Joannes de Kanisa Archiepiscopus Strigoniensis summi vir consilii, ingeniique sapienter popularis, et Nicolaus de Gara Banus antea, jam Palatinus [2]); qui socia cum Nicolao de Marczal Vajvoda Transylvaniae opera, jam olim ad laudes literarum amnestiae, Decretique Sigismundi de a. 1404 plurimum contulerunt [3]). Anno 1433 plures auctoritate hac exculti: Georgius scilicet de Palócz Archiepiscopus Strigoniensis, Petrus de Rozgon Episcopus Agriensis, Nicolaus de Gara Palatinus, Mathias de Palócz Judex Curiae, Petrus de Tharkew Magister Thavernicorum Regalium, et Joannes de Rozgon Thesaurarius, Regii in Regno Vicarii Generales [4]). Et Nicolaus quidem de Gara Palatinus jam bonorum etiam ad Coronam de jure devolutorum do-

---

[1]) Et hujus quidem titulum ipsum Lucius Memorie Istoriche di Tragurio l. 2. p. 30 italice ita ad a. 1217 exhibet: Fra Pontio della Croce humile Maestro della Militia del Templo per Ungaria, Sclavonia, e Locotenente regio in Croatia et Dalmatia.

[2]) Katona H. C. T. XII. p. 179.

[3]) Vide D. I. § 6 et Amnest. § 9.

[4]) Supl. ad Vest. Comit. T. I. p. 423.

nationes fecit [5]) concessu Sigismundi, exemploque apud Germanos usitato, ex quorum legibus, consuetudinibusque, dum Imperator ultra Apeninos peregre abesset, vicarium ejus munus et huic juncta minorum absque vexillo conferendorum feudorum facultas penes Palatinos fuit [6]).

---

[5]) Tudom. Gyűjt. a. 1836 vol. 3.

[6]) Vide Eichhorn Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte § 395.

§ 17.

Nobilitas codicillaris ab hoc ortum Rege habet.

Regum is Galliae mos erat pridem usitatus, et ab his per Carolum Robertum maxime [1]) allatus in Hungariam, ut viris genere virtuteque praestantibus armorum conferrent insignia [2]). Fuitque genus hoc munificentiae Regiae posteris quoque Caroli solemne. Ex quibus Maria neptis Blasio Forgács, propter navatam in caede aemuli sui operam, faciem faeminae pro insigni gentilitio dedit [3]). Sigismundus, uti elargita per eum Semseiis [4]) aliisque signa hujusmodi perhibent, coluit ille quidem et hunc a Gallis acceptum morem; sed novo Patris sui (Caroli IV. Imperatoris) Nobilitatis codicillaris apud Germanos Instituto delectabatur vehementissime. Ejus igitur exemplo ipse item [5]) in Hungaria praerogativae Nobilium haud

---

[1]) Maxime inquam, ne de literarum videar fide ambigere velle, ex quibus deducitur usum hunc nec anterioribus quibusdam Hungariae Regibus fuisse incognitum. Kelemen Hist. Jur. priv. hung. p. 200.

[2]) Supra l. XI. § 13.

[3]) Timon. Epit. Chron. p. 112.

[4]) Demetrii de Semse Pincernarum Regalium Magistri sui liberis, posterisque a. 1401 apud Katona H. C. T. XI. p. 519 et seq.

[5]) Eichhorn cit. op. § 394 b., § 446 e.

paullo majoris per Literas Armales (ab armis, quae in his picta cernuntur ita dictas) a Regibus acquirendae viam aperuit. Ex quibus intelligas duplicem, deinceps inde exstitisse Armalium literarum speciem, quarum nempe aliae viris darentur „nobilitatis jure ac titulo (jam a stirpe sua) famose insignitis“ [6]) aliae his, qui humili nati loco, propriis castrensibus et quasi castrensibus meritis inclarescentes dignos se reddiderunt, quibus Armales cum disserta nobilitationis mentione conferrentur; invaluit enim tardius, ut non nulli Civium quoque, manente conditione hac, insignibus armorum per Principes donarentur.

---

[6]) Verba sunt ex diplomate Semseiorum sumpta. Qui igitur hoc pro primo coeptae per Sigismundum Armalium collationis exemplo citant, absunt illi a vero longissime; quarum enim ille primus Armalium auctor est, hae nobilitationis expressam juxta I. tit. 6 continere mentionem debent. Ad quam harum legem specialem penitus propriamque ipse animum advertisse Sigismundus per verba illa videtur, quorum clarus is est sensus: conferri per literas has sola modo arma, non etiam nobilitatem, qua Semseii alioquin famose insigniti essent. Notionem epitheti famose vide sis in edit. Du Cangeii Henscheliana; vocum: famosus Professor, apud Facciolatum in Dissert. de Schola Patavina.

§ 18.

De auctoritate Comitiorum et modo condendae in Hungaria legis Sigismundus rite recteque praecipit.

Praefatione Decreti sui III. § 3. alia item Decreti VI. § 2. et 3. [1]). Quibus ea pro lege accipit „quae cele-

---

[1]) Praef. Decr. III. § 3. „Celebrato Praelatorum, Baronum, Procerumque nostrorum conventu, de ipsorum consilio, auctoritate et consensu, maturaque discussione praehabita, pro totius regni

brato, Praelatorum, Baronum, Procerumque regni Conventu, de horum Consilio et consensu, matura discussione praehabita, pro totius regni bono, utilitate, profectu et augmento, ex auctoritate Regia statuuntur." Ad Comitia hujusmodi, ex adulta jam consuetudine Comitatus singuli quatuor probos et nobiles viros, qui ceterorum quoque personam sustinerent, delegare tenebantur, potiorum, seu, quod usitatius, Procerum nomine intellectos [2]).

---

bono, utilitate, profectu et augmento has leges seu constitutiones, ex auctoritate Regia duximus salubriter statuendas." Praef. Decr. VI. § 2. ,,Cum nos una, cum fidelibus nostris Praelatis videlicet et Baronibus ejusdem regni nostri, certam Conventionem Nobilium de singulis ipsius regni Comitatibus convocari fecissemus; § 3. Tandem ipsorum Congregatione adunata, de eorundem Praelatorum et Baronum nostrorum, nec non Nobilium regni nostri totum Corpus ejusdem regni cum plena facultate absentium repraesentantium unanimi voto, consilio, deliberatione, et consensu infrascriptas constitutiones, statuta et leges — disposuimus, decrevimus, et duximus ordinandas, declarandas et firmandas."

[2]) Supra § 5. De proceribus Jobbagionibus castri suo loco diximus; potiores vox ea significat; potioresque Nobiles jam hoc, jam solo Procerum nomine in Diplomatibus Sigismundi ponuntur.

§ 19.

Consilium ejus de evocandis ad Comitia Nunciis urbium regiarum,

Villicis, majoribusque civibus urbium regalium, jam olim ad negotia pacis et nuptialia Regum pacta firmanda; inter privatos ad definiendas in societate aliorum arbitrorum causas altioris quoque indaginis adhibitis, nemo unus erat Nobilium, qui Sigismundi intercederet consilio Legatos harum ad Comitia in Idus Apriles a. 1405 arcessentis, ut de Praelatorum, Baronum, Nobilium

et regni Procerum, Nunciorumque modo dictorum voluntate [1]) urbium illarum jura definiret. Capita legum tunc rogatarum praecipua: singulae ut Magistratu proprio, publicaque et causas civiles et capitales quaestiones, quae intra fines earum emergerent, cognoscendi et decidendi Jurisdictione polleant; Partibus, ad Thavernicorum Regalium Magistrum, ab hoc ad Praesentiam Regis provocandi facultas integra sit; Cives, neque hi solum, sed etiam qui fundos in medio civitatum tenent, pendere tributum; Rex, si quem oneri huic exemerit, portionem ejus ad suas recipere rationes teneatur. Strenarum, munerumque nomine plus, quam lege hac convenit, exigere nefas sit [2]). Jure stapulae civitatis Budensis sublato, cives et mercatores quique, res questus causa per regnum quocunque deferre valeant, ab iis ultra fines si educant, tricesimam quidem praestare debeant; ad loca tamen teloniorum Regiorum pendendi vectigalis immunes sint.

---

[1]) Verba sunt Privilegii, quod Sigismundus eodem anno XVII. Calendis Maii Civitati Cibiniensi, in Comitatu de Sáros sita quae est, impertivit.

[2]) Cives Posonienses 1439 pro muneribus strenalibus ,,unum ciphum deauratum duas marcas et mediam Budensem in se continentem, ac duo stamina panni de Lewi" praestiterunt. C. D. XI. p. 215.

§ 20.

regnum universum approbavit.

Decretum hoc Sigismundus non civitatibus modo, sed Comitatibus quoque in totidem descriptum exempla misit, Carolum Magnum, opinor, imitatus, interogari populum, num ei tales leges placeant, voluit [1]). Et post-

---

[1]) Et in Comitatu quidem Pestiensi feria secunda post festum b. Georgii M. in Congregatione generali ,,Universitati Nobilium, ac

quam huic quoque ad generales provinciarum Congregationes universim concito, placere eas intellexit, alia eodem anno (ad finem mensis Maii) apud Budam Comitia convocavit. In his pleraeque omnes leges illae communi consensione confirmatae, factaque hujus proinde ac prioris Decreti omnibus et Comitatibus et Civitatibus copia est [2]). Atque deinceps inde mos constans obtinet, Civitates quoque Regias ad generales regni Conventus eo cum mandato evocandi, certos ut tres, quatuorve, aut aliquot potiores (neque enim definitus numerus Nunciorum seu Comitatuum seu Civitatum fuit) cum plena facultate in medium Praelatorum, Baronum et Nobilium mittant. Neque fuit posthac negotium quodquam gravius, ad quod extra Comitia quoque deliberandum Nuncii praesertim Civitatum Thavernicalium [3]) (octo fuerant ini-

---

alterius status, dignitatis, conditionis et praeeminentiae hominibus per Nicolaum de Gara Regni Hungariae Palatinum, de literatorio Mandato Regis indicta super stabilitate Decreti seu Statuti ejusdem Regis — Congregatione in eadem protunc perlecti et seriose ac articulatim interpretati, — praefati Nobiles et alterius Status et dignitatis homines, viri utpote Eclesiastici et Seculares, Nobiles et ignobiles formam, modum, et stabilitatem praemissi Decreti et Statuti audientes, hujusmodi Decreta et Statuta — voto unanimi et nemine in his discrepante aprobantes, Statuta et Decreta ad laudem totiusque Regni, Regnicolarumque ac reipublicae utilitatis incrementum acta facta affirmarunt.“ Relat. Capit. Eccl. Bud. in Supl. ad Vest. Com. T. I. p. 310.

[2]) De exemplo Decreti hujus misso ad Bartfenses primus Prayus, post eum Kovachichius, alii meminerunt; non item altero proxime praecedenti, quod apud Pestienses populo coram perlectum, ruminatumque nunc admodum diximus; nec de Statutis Caroli Roberti singulis Comitatibus transmissis, uti § 38 l. X. demonstratum est.

[3]) De Civitatibus his, quae articulo etiam 3. Ulad. Decr. VII a ceteris distinguuntur, et communibus earum statutis per Joannem

tio: Buda, Pesthum, Cassovia, Bartfa, Tyrnavia, Posonium, Eperjesum, Sopronium) adhibiti non fuissent; Comitia ipsa plerumque ad alterutram harum convocata sunt [4]). Haec de Urbibus Hungariae tanta, ut quisque videt, tam Regis, quam populi universi consensione, studio, gratia ad participandam potestatem legum ferendarum admissis, ut nullibi gentium aevi medii tertius hic, ut alibi vocatur, status possessionem hujus juris magis addicentibus, laetioribusque adiverit auspiciis.

Thúz de Laczk in articulos, qui Thavernicales audiunt, redactis, vide Kovachichii LL. thavern. et eruditam Wagneri sedis tavernicalis notarii Dissertationem.

[4]) De Comitiis a. 1430 habitis Tyrnaviae laudatissimus Czechius in Tudom. Gyűjt. 1829. T. p. 21 indicium fecit.

§ 21.

Negotia Comitiorum, eo Rege, alternis illius Ordinumque Regni agi literis caeperunt.

Negotia in Comitiis scripto, erga Propositionem Regis, communi Ordinum regni nomine reddendo peragendi usus aetate Sigismundi caepit. Hic datis anno 1434 Basilea ad cunctos Comitatus literis [1]) auctor fuit, ut ex mente Concilii ad eam convocati urbem, Praelati semi decimam, ceteri Principes, Comites, Barones, et Regnicolae quinquagesimam reddituum partem, his qui carerent, denarios sex ad conducendas in exstirpationem Hussitarum gentes conferrent, et, si augenda summa videretur, de hac Praelati, Barones et Regnicolae deliberarent. Hi itaque per Vicarios Regis Budam ad generalem Congregationem evocati, re uberius perpensa,

---

[1]) Vide has ad Comitatum de Sáros exaratas apud C. Batthiany LL. EE. T. III. apud Kovachich Suppl. ad Vest. Com. T. I. p. 452.

communi consensione, Regem per literas interpellandum decernunt: ut exactio illa hac duntaxat vice locum habeat, nec trahi in consequentiam possit; Rex autem pacti hujus securitati per literas speciales caveat ad quemque Comitatum exarandas. Taxatio a civibus et Jobbagionibus Despotae Rasciae, Comitis item Cilliae et Comitum de Segnia initium summat; deinde ad universitatem Praelatorum Baronum et totius Cleri, ac demum ad Nobiles perveniat; maneatque et regales et reginales subditos. Tandem, qui exactioni hujusmodi refragaretur, ad hanc cum gravamine quinquaginta marcarum, universitati cujusque Comitatus cessura, adstringatur. Haec placere sibi Sigismundus singulis deinde Comitatibus rescripsit [2]). Atque ita tunc lex coaluit. Modus autem scripto perficiendorum cum Principe negotiorum ad posteros vim habuit exempli; complura namque in codice legum Decreta dehinc videas, quae solo regni ad Propositiones regias responso hujusmodi, per Regem probato absolvuntur [3]). Sed jam de Congregationibus Comitatuum quaedam in medium adferenda sunt.

---

[2]) Literas ad Com. de Sáros Ulma in festo b. Petri et Pauli a. 1434 exaratas v. apud Bath. loco citato; apud Kovachich l. c. p. 459.

[3]) Decretum de anno 1474 in absentia Regis conditum. Simile OO. Regni responsum est, quod Rex confirmat in Suppl. ad Vest. Comit. p. 238 Decretum anno 1478 art. 1. „contribuimus hoc anno Majestati vestrae", art. 2. „ut Majestas vestra eo magis necessitati suae intendere possit" idem sonat. Omitto reliqua plurima.

§ 22.

De generalibus Comitatuum Congregationibus,

Has vetustissimi Majores nostri Concilium Cognatorum; posteri Hungaria condita, divisaque in plures pa-

rochias seu provincias, Concilium, Congregationem Comprovincialium, Congregationem Comitis parochiani dicebant, florebantque nomina haec usque ad suprema Regum stirpis virilis Arpadianae tempora. Carolus Rex Sedem Vice Comitis constituit. Neque eo magis Supremi Comites ejus, cum et pauci numero et plerique aliis etiam Magistratibus cumulati essent, officiis muneris hujus suffecerant. Multi igitur aevo hoc Missi regii. Ipse adeo Comes Palatinus Congregationi cuicuimodi, nisi ex speciali Regis mandato, praeesse nequibat. Quid de delectu Judicum Nobilium? Art. 45. Decreti Caroli, quod perperam Andreae III. inscriptum est, si consulas, videtur is hunc quoque voluisse vindicare sibi; postmodum tamen Andreanum, de Judicibus his Nobilium art. 16. a. 1291, populo condonavit, de Missis autem Regiis contra 32. 1298 arbitrio suo inhaesit. Et illi quidem perinde ac Assessores Tribunalis Palatinorum nunquam non comprovincialiter, ut Sigism. D. VI. art. 2. loquitur, eligebantur; praesertim postquam Ludovicus Institutis avitis, qua labefacta erant, consuluit. Maria Rege, nova adeundarum in Comitatibus Congregationum accessit ratio, eaque amplissima: viros liberis Comprovincialium suffragiis deligendi, qui ad Comitia ceterorum fungerentur vicem. Ex eo tamen tempore, quo Sigismundus regno non tam praefuit, quam per longam absentiam defuit, roboreque exercitus multifariam diviso, provincia quaeque periclitantis inter tot hostes salutis praesidium a sua petere inprimis virtute debuit; Congregationes harum generales plurimum inuerunt tum sponte, tum consilio, tum mandato Regis, qui dum res quoque, de quibus constitui, nisi in Comitiis, more Majorum non posset, in his praevie deliberari praeciperet, auctoritati Generalium Congregationum harum maximum addidit incrementum. Atque avito huic, causis provinciae communibus, comprovincialiter consulendi usui, quidam municipalis Instituti, Comprovincialibus Municipum dant nomen. Quid igitur? an non et ego cum his sentiam? quaeris: non plus, quam cum Verbőczio, quando jura Hungariae municipalia vo-

cavit. Ne tamen hanc voluntatis potius, quam veritatis apud me contentionem putes, locus est paciscendi Ulpiano mediatore, qui ita D. l. 50. n. 1. „proprie quidem municipes appellantur, muneris participes: recepti in Civitatem, ut munera nobiscum facerent; sed nunc abusive municipes dicimus, suae cujusque Civitatis Cives, ut puta Campanos, Puteolanos."

§ 23.

ac his speciatim, quibus marcalibus nomen.

De disciplina Congregationum harum nolim, ex praesentis aestu consuetudinis judices. Cui si Majorum aetas illa sese permisisset, pulcherrimum quidem Institutum hoc olim jam non haberemus. Sigismundo certe non se hoc ita probasset, commendavissetque, ut tam lubenter, tamque largam ei etiam crescendi faceret copiam. Sed enim natura multitudinis semper eadem fuit. Quid ni? praesertim si illud Aristotelis cogites: Pauperes non nolle quiescere [1]; et Agricolis, quod per occupationem suam a frequentandis concionibus avocarentur, has neque cordi esse admodum. Plane hoc leges ostendunt Sigismundi de marcalibus conditae Congregationibus. Conventus hi fuerunt per Palatinum, aut Vicarios Regis, aut Supremos Comites Comitatuum, jam dicundi juris, jam alia publica causa saepe mandato Regis, sine hoc deinceps saepius indicti, ad quos adeundos Nobiles stringi mulctarum minis oportuit [2]. Ita Majores, qui praeter hanc de cogendis

---

[1]) Polit. l. IV. c. 10. Recollige sis ea item, quae l. II. c. 39 de Hungaris attulimus.

[2]) Art. 7. 1435: „quandocunque Nobiles alicujus Comitatus vigore literarum regalium, per modum proclamatae Congregationis sub poena trium marcarum in iisdem literis regalibus expressa convocati fuerint; quicunque ad illam Congregationem non venerint (nisi aegritudine, senio, viduitate, orphanitate, paupertate, impoten-

Congregationibus legem scriptam, binas de ratione et ordine consiliorum in posteros transmiserunt leges, usu in jus consuetudinarium inveteratas. Alteram, ut constitutiones quaeque cum majori et saniori populi parte ferantur, ea nempe, in qua dignitate et scientia praestantiores fuerint. De hac Juris consuet. P. III. tit. 2. § 8. agit. Alteram, haud scio an ex Jure Justinianeo sumtam, consonam certe Gajo in fr. 4. D. de Collegiis et Corporibus 47. 22. statuta condendi potestas „dum ne quid ex publica lege corrumpant". Jus nostrum consuetudinarium parte nunc citata tit. 2. § 2. per verba: Contra tamen generalia statuta et decreta regni hujus Hungariae — nil quidquam constituere possunt; et rursum § 5. perhibet. Haec ego de veterum praeceptis adscripsi; de nostri hujus aevi moribus alter disserat. Aequus tandem inter nos arbiter judicet, quam verum sit, illud itidem vetus: „Quidquid peccatur, perturbatione peccatur rationis, atque ordinis; perturbata autem semel ratione et ordine, nihil potest addi, quo magis peccari posse videatur."

---

tia remorati, vel eorum arduis negotiis rationabiliter se excusare potuerunt) Comes parochialis et Judex Nobilium praedictas tres marcas — indilate exigere possint."

§ 24.

De munere Judicis Nobilium per eum, qui comprovincialiter delectus fuerit, non recusando

Ambitio prava, et nefaria honorum commercia quam longe a moribus eorum abfuerint, ex lege alia discas mulctam iis irrogante, qui suffragiis populi delatum sibi Judicis Nobilium Magistratum abnuerent [1]).

---

[1]) Art. 2. 1435. Szirmay Notit. Comitat. Zemplin. § 325. „Anno 1601 Vice-Comitis honor delatus Nicolao Bocskay de Bocsko,

qui cum munus istud suscipere detrectaret, ad suscipiendum Officium cogi et judicialiter sub poena fl. 100 ad comparendum, et decretale juramentum deponendum citari debuit". — Oportet enim eum, qui dignus est Magistratu, sive velit, sive nolit, Magistratum gerere. Arist. polit. l. II. c. 6.

§ 25.

Sigismundus Institutum Banderiorum, omnemque re militaris rationem

De re militari editum per Sigismundum Decretum et per se magni momenti est, et ratione formae dignum, cui paululum immoremur tanto magis, quod licet tam hoc die 12-a, quam aliud in re judiciaria de 8-va mensis Martii 1435 vulgatum Decretum, ex iisdem, foetu, ut ita dicam, gemello processerit Comitiis; tamen hoc Edicti, et solum aliud illud, quod **Decretum majus** inscribitur, legis cum consensu Ordinum conditae speciem habeat. Sigismundus postquam ei Senis in Hetruria moranti, de occupata per Hussitas Tyrnavia, Szakolczaque renunciatum fuisset; haud mediocriter perculsus, magis jam sollicite curare constituit, ut de mediis defensionis confiniorum, sufferendisque nonnullis, qui in re educendi communis exercitus subrepserunt, naevis, lex praecisa confieret. Ex lege hoc quidem et consuetudine Hungariae antiquissima fuit, ut ultra defensionem, quam Rex et Regina ac Praelati Eclesiarum et viri Eclesiastici de proventibus suis pro conservatione regni et confiniorum hujus, ex omni facere parte tenerentur, **Universitas** quoque Regnicolarum Nobilium et possessionatorum defensioni hujusmodi confiniorum per modum generalis exercitus regni operam praestarent. Ast notio illa metarum et confiniorum regni nulla hactenus lege erat definita. Bona itaque fide testatus ita sibi videri: **finium Hungariae nomine**, non hanc solum, sed Dalmatiam quoque Croatiam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Cumaniam et Bulgariam comprehendi; si eadem Praelatis

quoque Baronibus et Regnicolis sententia staret, tum vero simul loca quoque et terminos, ad quos et quamdiu generalis exercitus, urgente necessitate proficisci et excubare debeat, defigi; Praelatosque et Barones, qui versus Walachiam, Serviam, Bosniam securitati confiniorum invigilent, denominari, celebrari igitur Comitia aliquibus de quolibet Comitatu convocatis jussit.

§ 26.

ad fixas revocare leges agressus,

In his ex mente ejus simul deliberandum erat, an, quum hactenus plures ad generalem exercitum comparuerint, ab omnibus rebus inopes, armisque destituti, ad sortem pauperum horum, senum item, orphanorum et viduarum allevandam praestabilius futurum non sit, eam dehinc explendi per hos Officii praescribere rationem, ut plures, pro modo facultatum suarum, communibus sumptibus, unum pharetratum equitem in campum mittant. Et ipse quidem ita sibi persuasum habuit, fore id longe utilissimum, si etiam ratione Nobilium Jobbagiones habentium Communitas Comitatus definiret, quo quemque horum pro modo facultatum suarum ad exercitum generalem mittere numero militem aequum esset; quamvis enim hoc modo numerus exercituantium foret minor, quam si tota Communitas per singula capita insurgeret; esset tamen ille ad prosperum belli successum valentior.

§ 27.

harum praecipua Capita proposita per se

Laudavit Majorum olim consuetudinem, ex qua miles hujusmodi proprii Comitis provincialis ductu castra sequebatur. De his attamen omnibus, stipendio item militis aere, partim sale ad certam mensuram pretiumque reducendo, salvum Comitiis illis judicium reliquit. Sed vero

quod regni allegare Communitas solebat: non sibi longius, quam dies quindecim citra metas seu confinia regni standum esse, velut periculi plenum reprobavit; cupiebatque maxime lege constitui, ut equites illi ceteroquin tunc solum, quum tam magna regnum potentia invaderet, cui Rex cum suo exercitu resistere non posset, educendi [1]) in metis, quae nunc defigerentur, tamdiu excubare debeant, usque dum Regi, si ipse coram adesset, vel Capitaneis et Ductoribus exercituum necessarium videretur.

---

[1]) Confer cum his art. 1. Decr. de a. 1435 si autem tanta potentia inimicorum irrepserit, quod major foret viribus gentium nostrarum imperialium, extunc Praelati ect. non est itaque, quod dubites: legem hanc ex Propositionibus illis enatam esse.

§ 28.

in generalibus Comitatuum Congregationibus deliberari; et demum de re hac omni in Comitiis decerni jussit;

Quanti res, quam conaretur, momenti sit, cum ipse maxime intelligeret; hanc eo, quo causam Civitatum olim, agendam modo duxit. Et Vicariis igitur Locumtenentibus suis scripsit, et ad singulos Comitatus literas dedit in hunc sensum: oportunissimum sibi videri, ut Nobiles possessionati homines cujuslibet Comitatus congregentur, et horum quisque, quid sibi in rem videatur, expromat, collectisque singulorum suffragiis, tandem e tota Communitate Nobilium divitum pauperumque, neque e potentioribus et ditioribus tantum, eligantur certi Nobiles et idonei viri, qui sic de intentione ceterorum informati, ad Praelatos et Barones regni pro facienda in omnibus conclusione accedant. Atque his ille literis syllabum quoque Praelatorum, Baronum et Nobilium adnectendum ratus est, quorum alios ad mare, ad fluvium Uj alios delegare, alios ad Usuram et versus Tömösköz partesque

Transylvanas ac custodiam castri Posoniensis contra Hussitas excubare vellet.

§ 29.

Quo facto, Constitutiones horum militares in distinctum de a. 1435 redegit Decretum,

Vicariorum Regis factum opera, ut res tractatu difficilis ad ejus prorogaretur reditum; praesertim cum deliberatio in eam ineunda supremae in re militari auctoritatis rationes attingeret. Quorum consilio huic detulit. Iis enim, quae anno hoc Posonium indixit Comitiis, non solum de auctoritate Judicum ordinariorum regni eorumque juramento; de variis praeterea taxarum pro literis pendendarum, birsagiorumque speciebus; de moderanda tributorum pensione, et quae alia Decretum ejus majus continet; sed de modo etiam, uti nos loquimur, exercituandi egit. De hoc tamen conventa quae sunt, a ceteris horum Comitiorum Constitutionibus, diverso edicto complexus est, tam imperatorie concepto, ut nisi art. II. verba: „conclusum est insuper et statutum per nostram Majestatem cum Praelatis et Baronibus ac Regnicolis nostris" indicio essent de rogata per Comitia lege sermonem esse; pro mero illud Regis mandato et dispositione accipi posset, cujus tam frequens in textu fit mentio.

§ 30.

quod aequitate sua

Decreto hoc facturum se Sigismundus recepit, ut castra in confiniis et metis regni sita sumptibus regiis muniantur conserventurque; si vero ea inimicus copiarum vi ingrueret, cui retundendae gentes Regis pares non essent, tum vi Edicti hujus Praelati cum banderiis et militibus, secundum dispositionem de his in omnem necessi-

tatis casum factam; Comites item singulorum Comitatuum pro defensione earum regni partium deputati, sub banderio regali, cum Baronibus, Proceribus et Nobilibus eorundem Comitatuum, et eorum gentibus per modum generalis expeditionis exercitualis, ad repellendos insultus hostiles succurrere debebant.

§ 31.

commendatur.

Ad casum vero generaliter proclamandi universalis exercitus, quantum quidem ad Barones, Proceres et Nobiles possessionatos, quorum, non item Praelatorum bona per divisiones, alienationesque mutationi obnoxia forent, ita lege ea provisum, ut horum singuli a colonis tribus et triginta, unum; a centum, equites tres arcu minimum pharetraque et gladio clavaque instructos statuerent; qui vero his pauciores colonos haberent, ceteris ita adnumerarentur, ut a centum tres milites provenirent. Nobiles, qui Colonis carerent, viritim suisque sumptibus, ductu Comitis parochialis facerent militiam; iis solum exceptis, qui per aetatem aut secus apti bello non essent. Constitutum denique, ut ad diem locumque expeditioni generali designatum tempestive, qui non adessent, vel post commissum jam proelium venirent, aut bello nondum confecto absque data per Regem vel Capitaneum licentia recederent, bona amittant. Gramen nondum falcatum lignaque miles gratuito accipiat; aliarum rerum ad victum necessariarum limitandum per Communitatem cujusque Comitatus pretium actutum dependat.

§ 32.

Fessleri, de numero militiae hungaricae aetate Sigismundi, judicium

Fesslerus Regesto legibusque Sigismundi nixus, ordinarium militiae hungaricae robur nonagies et ter mille,

quadringentis et quinque supra nonaginta viris constitisse affirmat [1]) probabili sane calculo; idem de Transylvanis nihil speciatim: constat autem fide auctorum magni nominis, **40** mille viros isthic in quodvis accinctos discrimen saluti patriae intendisse [2]).

---

[1]) Die Geschichte der Ungarn, T. IV. p. 928.

[2]) In censu Statuum Europae, quem Marino Sanudo Venetus et genere et doctrina nobilis, hac aetate ad memoriam consignavit, Hungaria, reditus aerarii si spectes (600,000 aurei fuisse perhibentur) septimum, si copias militares, quarum 80,000 domi, 40,000 foris excubasse scriptor ille tradit, primum tenuit locum. Caesarem cum omnibus Germaniae Principibus duos aureorum milliones pro reditibus; milites simul non ultra 90 millia; Regem Gallorum 45, atque item Regem Anglorum milites totidem, reditus 700 millia aureorum, Polonos, quibus annue 800 millia aureorum provenerant, 75 millia armatorum habuisse ejusdem auctoris fide tenemus. Hanc cetera integram, quod tamen ad 80,000 armatos Hungariae velut rem impossibilem a veritate laborare autumat celeberrimus Hallamius c. o. I. p. 441. Quo magis laudanda Fessleri opera est, qui vires bellicas Hungariae, Hallamii opinione multo superiores, calculo optime posito, ex ipsis enim legibus eruit.

§ 33.

Decreto Sigismundi de a. 1435 coaevum est Pactum unionis trium in Transylvania nationum, quod hodieque manet.

Decretum vulgo Regestum Sigismundi pro norma faciendae militiae apud Hungaros diu viguit. Apud Transylvanos supra militares, de quibus commodum diximus, vires, securitati publicae novum aetate Sigismundi comparatum est praesidium; hoc vero viget hodieque. Tres, quae instituto usuque veteri jus ibi civitatis habent, gentes, crebris Turcarum populationibus et jam rusticorum quoque contra avaritiam Episcopi herorumque asperita-

tem querulantium seditione[1]) adflictae in Comitiis Kápolnae a. 1437 habitis fraternam iniverunt unionem, dictoque sacramento voverunt invicem: unde unde hostilitas aliqua immineret; parte una aliam in subsidium vocante, hanc, secunda mox die, laboranti adfuturam[2]) Pactum hoc anno sequente in conventu Thordensi per Nobiles Saxonesque confirmatum[3]), anno 1456 in Comitiis ad Oppidum Megyes, praeside Joanne Lábotlan, qua delegato per Regem nuncio habitis, ad jura quoque et privilegia gentis cujusque unitis viribus defendenda extensum, basim politicae unionis constituit, quae deinde Transylvania a regno Hungariae avulsa, in Comitiis Thordensibus a. 1545 in omne stabilita aevum, formula juramenti, conditionibusque Approb. Const. Part. III. tit. 1. art. unico defixis continetur, et ad modum, uti inter Divam M. Theresiam et Ordines Transylvaniae a. 1744 art. 6 conventum est, in praesentia quoque instar legis fundamentalis obtinet.

---

[1]) Bonf. Decr. III. l. 3. Eder in observ. ad Felmer p. 70 et seqq. recitat conditiones induciarum, in quibus inter legatos Nobilium et Ant. Magnum de Buda ac ceteros Universitatis rusticorum nuncios convenit ,,Nobiles, itemque rustici legatos ad Regem mittant; usque dum responsum allatum fuerit, jobbagiones et tria munera solemnium festorum tempore, Dominis terrestribus debita, et pro ratione fundi, pecorumque unum florenum vel dimidium solvant; diem unum quotannis pro dominorum lubitu serviant, molendinorumque structuram procurent; domicilium mutaturi veniam a Dominis obtineant, terragio debitisque persolutis. Nobilis, qui has leges violaret, a Vajvoda perjurii poena afficiatur; jobbagio ausus ejusmodi reus a Domino suo bonis omnibus mulctetur.''

[2]) Pacti hujus Tabulas Schlőzer in suis Critische Sammlungen p. 46 ex his Kosa in dissert. de publ. part. transylv. admin. sub Vajv. p. 98.

[3]) Literas hanc in rem editas vulgavit Eder in Notis historico-criticis ad supplicem libellum Valachorum Transylv. p. 23 — 25.

§ 34.

Sigismundus ad provehendum regni cultum plurima adgressus, quaedam etiam exequutus est.

De ordine Draconis, quem Sigismundus ad addendam nuptiis cum Barbara Cillejensi initis celebritatem suo et novae conjugis nomine ad similitudinem militiae s. Georgii Caroli Roberti instituit, Prayus et alii plures disseruerunt; hi nomina quoque primorum Draconitarum [1]) indicarunt; nihil itaque mihi necesse est de his scribere. Jure praeterea ejus in literas munificentia laudata [2]). Regiam Budae molitus est amplam [3]) nimirum, et splendidam, sed quam non penitus consummavit; marmoreo ad Budam jungere Danubium ponte, aliaque hujusmodi suscipere paravit, sed res, uti erat propositi minime tenax, et in sola constans varietate animi, plurimas adgressus, quasdam inchoatas, nonnullas ad medium eductas, plurimas infectas reliquit.

---

[1]) Membra ordinis „societatis Draconicae seu Draconitarum collegae" vocabantur. Katona Hist. Cr. T. XII. p. 300.

[2]) Ut qui anno 1389 Scientiarum Universitatem Budae instituit, munere Cancellarii ejusdem Praeposito Ecl. SS. Petri et Pauli credito. Post Belium, Prayum, Péterfium, Szvorényi o. c. Fasc. 8. p. 135, 141.

[3]) Ambrosius Camaldulensis in serie Epistolar. Aeneae Sylvii 358. Palatium hoc „pulcherrimum et magnificentissimum, quod usquam viderit, spectaculum; structurae molem vastissimam, cujus partes secum de pulchritudine et magnificentia certent; peripatum spatiosissimum, prospectum mirabilem, plenumque voluptatis" dicit.

XXXI. REX ALBERTUS

ab anno 1438 — 1439.

§ 35.

Rex electus, simulque cum consorte, sed haec domestico, ille sacro ad complementum Majestatis regiae, diademate

Nondum justa Sigismundo persoluta sunt, quum Hungariae Ordines frequentissimi die 18. Decembris a. 1437 Albertum Posonii regem elegerunt, Albae deinde Calendis Januarii coronatum [1]). Die eadem consors quoque Elisabetha, filia quae fuerat unica Sigismundi, inaugurata; inaugurata inquam: ne nihil in ritu discrepasse

---

[1]) In literis, quas ad Fridericum seniorem Austriae ducem de 9. Januarii 1438 dedit, ita ipse: „Als wir Deiner Lieb am nachsten haben verschriben wie wir und die Irleucht Fürstinn Frau Elisabeth unser liebe Gemahel wärn zu Kunig und Kuniginn zu Ungarn erwelet worden. Verkünden wir Deiner Lieb zu sundern Frewden, daz wir und die egenannt unser liebe Gemahel am nachst an dem Eben weichtag in Gegenwärtikeit von vil Prelaten, Lantherren, und Inwonern des Kunigreichs zu Ungarn zu Veissemburg von Gab und Verhengnuz unsers Herrn Jesu Christi gekrönet worden sein on all intrag und widerwertigkeit, des wir Gott den allmächtigen innichlich loben, und seiner gottlichen Gnaden pillreich danken.“ Ex arch. secr. Dom. Aug. Ad calcem Ritus coronationis ejus (apud Pecz in Cod. Dipl. hist. T. III. p. 232.) Mart. de Senging Melicensis coaevus haec notavit: „Anno Domini 1437 proxima feria quarta ante festum b. Thomae Ap. illustris Princeps Dominus Albertus Austriae Dux etc. electus est in Regem Hungariae in oppido Posoniensi per Episcopos et Barones, aliosque incolas regni Hungariae, qui pro majori parte ibidem fuerunt, etc. — orabant una voce dicentes: Domine te hodie in Regem et Dominum nostrum suscipimus: Et simili modo conthoralem vestram in Reginam et Dominam no-

existimes; marito enim, ut Regi, sacram Pontifex Strigoniensis; conjugi domesticam Episcopus Veszprimiensis coronam [2]) imposuit. De pacto electionis Alberti unum hoc sed verissime, et ex juramento enim inter solemnia coronationis per eum nuncupato, et aliis locupletissimis testibus constat: ad eximendam animis Hungarorum sollicitudinem, ne si Caesarem se renunciari admitteret, mala redeant, quae Sigismundo Rege eodemque Imperatore, Hungariam invaserunt, Albertum de dignitate hac, si offeretur, recusanda sacramenti religione spopondisse [3]).

---

stram. Postea anno Domini 1438 in die circumcisionis Domini praefatus electus et ejus conthoralis coronati sunt in Eclesia collegiata Albae Regalis B. V. praesentibus Episcopis, Baronibus, Nobilibus et Comitatibus."

[2]) Literae Georgii Archiep. Strigon. apud Pray Hierarch. P. I. p. 286. Katona H. C. T. II. p. 324.

[3]) Aen. Sylvii Europa C. I. „Romanum Imperium — Alberto suscipere non licebat, nisi Primores Hungariae indulgerent, quibus haud ex usu videbatur, suum Regem Teutonibus imperare, atque ob eam causam jurejurando Albertum obligaverunt, ne suo injussu Imperium acceptaret. Vide et Dlugoss. l. XII. et Vindeck apud Pray in Hist. Reg. H. ad Alb.

§ 36.

incinctus

Tenuitque fidem; nec enim delatum sibi, per Electores Francofurti congregatos, die 18. Martii anni ejusdem, Imperium accepit prius, quam per Optimates Hungariae Patrum Concilii Basileensis precibus et auctoritate victos juramento illo solveretur. Quo facto et hi et populus universus ad comparandum aliud securitatis autonomiae regni praesidium, legesque rogandas animum adjecerunt, quibus et regia et Ordinum regni jura sarta, tecta servarentur. Rex, quia aequum erat, quod petebatur, annuit,

alternaeque earum confectae sunt tabulae eodem exemplo, nisi quod Ordines regni, literis, quas Regi dederant nihil se praeterea quidquam ab hoc sollicitaturos promiserunt.

§ 37.

Decretum edidit unum

Ita conditum est Decretum longe celeberrimum, forma ab aliis, quae usque adhuc edita per Reges sunt, diversum, non illud quidem inaugurale, ut quidam volunt, sed ex quo deinde inauguralia Diplomata duxerunt originem.

§ 38.

ad omnes reipublicae hungaricae rationes exactum;

Praecipua illius capita: Antiquae ut leges, juraque Regnicolarum, cujuslibet status, integra; possessiones speciatim Nobilium et Eclesiarum a violenta exactione victualium, procuratione hospitalitatis, curruum et sarcinarum vectura immunes sint; morarique causa agendorum aut disponendorum negotiorum in domibus, vicisque Praelatorum et aliorum quorumque ne Rex quidem ipse iis invitis posset [1]).

---

[1]) Art. 18. 1439.

§ 39.

et

Eclesiae et eclesiasticae personae a taxis haud pridem per abusum inductis, liberae serventur; servitia tamen exercitualia more alias consueto faciant [1]).

---

[1]) Art. 19. 1439.

§ 40.

elaboratissimum.

Rex in tuendo regno locisque finitimis eam ineat rationem, ne armigeri ejus stipendio defecti ad praedas prolabantur. Exercitus generalis, usque dum stipendiatus miles hosti resistendo est, non proclametur; tunc vero Nobiles regni, ultra metas et confinia, inviti more exercituantium non ducantur [1]). Bello capti et manubiae **Hungaris** militibus cedant, exceptis notabilibus personis vel Capitaneis exercituum inimicorum; hos namque Rex ab ipsis **Hungaris** captivantibus, pro donis condignis recipere valeat [2]).

---

1) Art. 3. 1439.

2) Art. 13. ibidem.

§ 41.

quo cetera inter, salvo ei honores et officia alia, quibus velit, incolis regni conferendi potestate 1)

Rex honores et officia, pro arbitratu suo, quibus velit, conferre possit; modo ne haec, aut agrum aliis, quam incolis regni conferat [2]), a juribus vero regalibus et coronae ad tempus vel in perpetuum alienandis abstineat [3]).

---

1) Recollige, quae ad art. 9. 1291 suo loco attulimus.

2) Art. 5. 15. 26. item 16. 1439.

3) Art. 6. ibidem.

§ 42.

Palatinus per Regem et Ordines regni eligendus decernitur;

Palatinum tamen regni, eo, quod ex parte Ordinum regni Regi, ex parte hujus illis jus reddat [1]), ex Consilio

---

1) In eandem sententiam Mathias I. Epist. Corv. P. III. n. 41 Regnum nostrum Hungariae, sicut et alia omnia suas habet con-

Praelatorum, Baronum, et regni nobilium pari voluntate eligat, antiqua consuetudine regni hoc ipsum exposcente [2]. Quod, an dici fide integra potuerit, nuper quaesivit non nemo, reperisseque se putabat, quod in lege hac per omnes esset reprehendendum. Nos attamen nihil ista viri moretur solertia, regia solum Hungariae tempora computantis, et de antiqua Communitatis Hungarorum Judicem suum eligendi consuetudine parum solliciti. Aliud est, ad quod hoc loco advertere animum convenit, aevi cujusque mores rite pernoscendi studiosum. Priscum populi hungarici ingenium, cui licere in medium consulere nunquam non satis fuit, laudavimus olim [3]; hic non notare non possumus: ex hujus maxime legis historia cognosci, quanta ingenii illius apud nepotes quoque constantia fuerit? tanta nimirum, ut instaurato avito hoc gentis jure contenti, si a Ladislao de Gara, orba Rege Hungaria, iis ipsis fere, quibus gubernatio hujus Joanni de Hunyad commissa est, suffragiis electo Palatino discesseris, fructum legis hujus omnem posteris dimisisse videantur.

---

suetudines et jura, secundum quae unum quemque etiam extraneum contra regnicolas nostros agere oportet. Si quis autem nosmet ipsos convenire vult, et nostram personam, ut scitis, suum habet Judicem, videlicet: Palatinum, qui Universitatem regni repraesentat."

[2]) Art. 2. 1439.

[3]) Supra l. II. § 39.

§ 43.

legibusque antiquis

Lucrum Camerae in Hungaria, Quinquagesimam in Transylvania et Marturinas in Slavonia Rex ad modum tempore Ludovici Regis observatum, exigat [1]); in cudenda

---

[1]) Art. 7. 1439.

moneta id, quod ex antiqua consuetudine obtinet, conservet etiam in posterum [2]).

[2]) Art. 10. 11. 1439.

§ 44.

novae:

Quae adhuc attulimus Decreti Albertini capita, veteribus pactis, legibusque jam ante conditis insistunt, neque commentatione opus habent; quae deinceps sequuntur, nova sunt, justa futurorum sollicitudine, partim ex decoris aequitatisque ratione constituta.

§ 45.

de Regis in Hungaria habitatione;

In his primo loco memorandum est, quod se Albertus facturum Ordinibus regni hoc idem impensissime petentibus recepit, ut habitationem suam in Hungaria figat et continuet [1]). Qua illorum providentia, quid est, quod vel cogitari providentius possit?

[1]) Art. 22. 1439.

§ 46.

de filiabus Regis non sine consilio regni maritandis;

Lex altera est ejusmodi: de maritatione filiarum nostrarum agemus cum consilio Praelatorum et Baronum ac Nobilium regni nostri Hungariae, nec non Cognatorum et proximorum; atque Subditorum regnorum ac Ducatuum nostrorum [1]).

[1]) Art. 20. 1439.

§ 47.

de dote reginae;

Multum decoris, gratiae, dignitatis, nec minus judicii legi de dote Reginae inest. Hanc constituere ex vetustissimo instituto ad Comitia pertinebat. Neque jure hoc, licet de dote Reginae ageretur, Rege Hungariae genitae decedendum, sed in re ipsa ita eo hac vice utendum rati sunt Ordines regni, ut satis haberent lege declarare: licere, se auctoribus, bona titulo hoc Reginae, ea, qua ipsa maxime velit, regni parte deputari; hac tenenda conditione, ut honores et Magistratus Aulae suae non alienigenis, sed incolis regni hujus, quibus voluerit, conferat [1]).

[1]) Art. 12. 1439.

§ 48.

et de decimis constituta sunt.

Decimarum in Hungaria vices describere, quaeve per stadia ad legem hanc de decimis per Nobiles, seu habeant colonos, seu non, haud praestandis ventum sit, docere anceps itidem labor est; non ab inopia literarum, his enim Codex Diplomaticus Regni Hungariae superfluit, sed quod primordia decimarum nemo adhuc attigerat, quin idem aut livoris, aut popularis suspicione assentationis adflaretur. Quorum utrumque a me abesse, nisi praesentis operis decursu probetur, verbis assequi non postulo. Jam enim in Prologo me dicere memini: leges, quibus in praesens vivitur, probo cuique civi venerandas, nec quidquam cavendum esse magis, quam ne has ad privatum revocet arbitrium, aut quidquam, quod per potestatem legum ferendarum figendum aut refigendum est, arroganter praejudicet. Hac itaque nixus animi conscientia, mihi me sic sentienti constanter adhuc morem gessisse, tutus hanc quoque laboris exequi partem adgredior.

§ 49.

Hae ex lege d. Stephani

Quam Carolus M. Saxonibus, eandem, ut vidimus, d. Stephanus de decimis legem Hungaris dedit, non hanc quidem divinam, sed quae ex christiana, uti recte eruditissimus Roszhirtius observat [1]) charitate orta, Capitularibus Imperatoris illius bona fide alita [2]), confirmata canonibus, Eclesiae latinae usu, in religionem adolevit. Cui subnata deinde axiomata: Deum decimas in signum universalis dominii sibi servasse; ingentia praeterea nomina: juris divini, patrimonii Christi cet., ut ea erant tempora, haud mediocriter suffragabantur [3]).

---

[1]) Geschichte des Rechts im Mittelalter. I. Th. Canon. Recht, p. 274.

[2]) Capitularis de a. 801 Episcoporum cap. VII.: ,,Ut et ipsi sacerdotes populi suscipiant decimas, et nomina eorum, quicunque dederint, scripta habeant, et secundum auctoritatem canonicam coram testibus dividant. Et ad ornamentum Ecclesiae primam eligant partem; secundam autem ad usum pauperum vel peregrinorum per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent; tertiam vero partem semetipsis (sic) soli sacerdotes reservent.'' Capitularis II. a. 805, cap. XXIII.: ,,Ut Decimae populi dividantur in quatuor partes, id est: una pars Episcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiae in fabricis applicetur, sicut in Decreto Gelasii Papae continetur.'' Cap. XXIX. vide etiam Gratian XII. qu. 2. cap. 17:,, Quatuor autem'' cet.

[3]) Confer saepe citatas b. Petri Quinque-Eccl. et quas Calanus Episc. Quinque-Eccl. qua Gubernator Croat., Dalm. et Pontifices AM. ediderunt de decumis literas.

§ 50.

[P]er Christianos omnes ritus latini praestandae erant,

Uti vis doctrinae hujus, ita officium quoque praestandi decumas ad Christianos omnes, ritu Eclesiae lati-

nae qui utebantur, ex lege d. Stephani pertinebat [1]). Non igitur Rex, non Barones regni, non Ordines alii ab his immunes et solis modo servis, qui de familia domestica essent, exceptis, per ipsos adeo Canonicos sive Eclesiasticos, vita victuque communi fruentes et denique moniales de laboribus, quos non suis aut sumptibus aut manibus excolerent, aliquamdiu pendendae erant [2]).

---

1) Et a primo quidem ex rebus omnibus. Vide s. Lad. l. 1. caput 40 literas item Ecl. Quinqueecl. et Calani superius citatas.

2) Vide literas Innocentii PP. de a. 1140. Bonifacii II. Cod. Dipl. II. p. 116. VI. v. 2. p. 53.

§ 51.

eoque, et s. Ladislao ac Colomanno Regibus praestitas fuisse dubitari nequit;

Et post patratum quidem contra Koppanum et socios, legi huic acerrime refragantes bellum, decumas in usum deductas, et seditione Vataina oppressa, legem eam restauratam iterum fuisse ambigi nequit. Quod tamen d. Ladislaus de vicesima decimarum constituit [1]), docet

---

1) Libri I. cap. 40. § 1. per Colomannum Diplomate, quod Clero Dalmatiae dedit, in eam explicito Sententiam: ,,Decimas per Pristaldum Regis cum Pristaldis Episcoporum desummendas. Ex Decimis Episcopi, Pristaldis his decimam; atque ex hac decima, dimidiam partem Regi obvenire, id vero est: vicesimam Decimarum Episcopi.“ Vicesimam hanc Decimarum Reges Hungariae vel pro suo servabant usu vel Eclesiis, uti Capitulo Albensi (VII. v. 1. pag. 345) Simeghiensem; Eclesiae s. Margarethae Vicesimam Decimae Episcopatus Vaciensis (II. 109) Abbati et FF. de monte s. Mariae (V. 1. pag. 277) Decimam Comitatus Soproniensis conferebant, vel ad alios publicos usus, exemplo Ladisl. IV., Vicesimam decimarum frugum, quam de decimis Episcopi Jaurin. in Comitatu Soproniensi

liquido: exactionem illarum aegre admodum processisse. Meliore loco hae Colomanno Rege fuerant, qui utramque et Stephani et Ladislai legem domi integre servatam, ad Dalmatiam quoque extendit.

percipiendam habuit, Civibus Sopronionsibus ad reparanda urbis moenia cedentis, converterunt, vel denique privatis, uti Andr. III. Comiti Herberto de genere Osl (VII. v. 2.) contulerunt, licet non dubitem complures exstitisse Lodomerios, qui Reges, ne de Vicesima quidem Decimarum (licet haec art. 29. 1231 diserte Regiis adscribatur juribus) disponere posse, judicium enim manducere et summere quosque obtenderent, qui ausu sacrilego, extra sacrum Ordinem hanc sibi vendicare praesummerent.

§ 52.

Ceteris Regibus non idem constitit animus; geri itaque negotium pactis, et nobiles, quibus certus Colonorum erat numerus officio hoc solvi placuit.

Ceteris Regibus aut non idem contra invitos robur erat, aut post renatum Jus Justinianeum, mentemque hujus de decumis c. 39 § 1. C. de Episc. et Clericis l. 3. explicitam diversus a Majoribus sensus. Et Andreas quidem II., cum plurima a se de decimis Eclesiae praestandis desiderari pateretur, animum ad decimas, ultra vicesimam, pro aerario suo quoque exigendas adjecit [1]). Reprobatum hoc est lege Regni; quod vero Bela IV. constituit, ut a terris novalibus nihil decimarum titulo Eclesiis praestetur [2]), in consuetudinem abiit, gerique jam negotium deci-

[1]) Teste art. 29. 1231. De setigeris, qui in Communibus Castrorum Sylvis pascebantur, decima Palatino Regni et Comiti Castri obvenit C. D. V. p. 105 de Sylva Rába V. vol. 3. pag. 406.

[2]) More per Saxones adducto. Bela IV. (Cod. Dipl. IV. vol. 2.) pro totali fructu Decimarum de villis praedictis provenientium et non plurium, si processu temporis in novalibus nostris po-

marum non tam legibus sanctorum Regum, quam solis fere vicariorum Christi monitionibus et doctrinis, nec non eclesiasticis coërcitionibus caepit [3]). Harum vis initio fluxa, post ubi in plures detonandum erat, nulla; omnisque res decimarum majoribus retro ire gradibus perrexit, praesertim postquam instaurato in Congregatione regni (a. **1271**) Eclesiae Agriensis privilegio palam factum esset: huic ex instituto s. Regum Nobiles de horreo unum modo fertonem decimae titulo debere [4]). Mutari itaque consilium et consuetudini praescriptionique dari locum, et demum Nobiles omnes, quibus certus colonorum erat numerus, officio praestandae a Curiis suis decumae exsolvi satius visum, quam legum Mosaicarum severitati insistendo committi, ut hic vectigalium eclesiae latinae ramus exaresceret.

---

puli se fundarent. Idem IV. vol. 3. p. 11. „plebanus eorumdem de 50 mansionibus de culta terra absque novalibus unam marcam fini argenti dare tenetur." Idem decimas Comitatus Tornensis ad Castrum Zarth applicat IV. 3. p. 128 per Carolum Robertum tandem redditas (VIII. v. 4.) quem ecquidem a vicesima quoque decimarum recessisse puto, aliis utique compensata exactionibus.

3) Negabat et piissima Regina Agnes VI. v. 2. p. 20. De aliis vide querelas Ep. Zagr. VII. v. 3. p. 218.

4) Katona H. C. T. VII.

§ 53.

Res exemplis illustratur.

Quae Nobilium aliorum conditio fuerit? tute ex literis intelligas, quae ex generali Ordinum Slavoniae Congregatione a. **1353** editae sunt [1]). His erga querelam Episcopi Tinniniensis Comites de Frangepanibus suo et

---

1) Cod. Dipl. IX. vol. 2. p. 273.

omnium Nobilium nomine testantur „decimas, juxta consuetudinem vigentem, eo modo praestandas esse, ut nobiles et possessionati homines, qui decem et plures Jobbagiones haberent, ipsi et unus eorum jobbagio mediocrium facultatum decimam dare non teneatur; qui vero quinque solum jobbagiones haberet, solus ipse duntaxat ab onere hoc immunis esset; ceteri vero nobiles et possessionati homines praestatione illa sine discrimine tenerentur. Plures hujus generis literas vide in Codice superius laudato [2]), ex quibus satis intelligitur totam jam legis, per d. Stephanum in omnes conditae vim in solos nobiles „qui Jobbagiones non haberent" et reliquam populi partem recidisse. Atque idcirco Joannes quoque Nitriensis Praesul per Mathaeum Trenchin a. 1318 (VII. vol. 2. 144) sede sua exactus, non hunc ipsum decimas a Curiis suis negare, sed vero id queritur, quod de Curiis nobilium jobbagionum castri, de quibus unum fertonem de aratro habere deberet, aut dicare eos, prout habent in horreo, dare et solvere non permittit, ac de villis noviter congregatis, quas ipse lehotas vocat, non dat decimas, nec permittit decimare.

---

[2]) Ex Tractatu occasione Gener. Congr. Nobilium et Comitum Transylvaniae a. 1358 inito (IX. v. 2. p. 726) apparet, eundem in modum inter hos et Episcopum Transylv. convenisse, hoc enim verba „tollet decimas suas — Episcopus — et Capitulum, sicut iidem nobiles et alii Comites hactenus juxta eorum voluntatem dederunt et persolverunt" significant.

§ 54.

In quo ejus situ

Quantum igitur de lucro Camerae aetate Caroli Roberti, tantum de decumis pendendis jam antea inter possessionatos impossessionatosque nobiles intererat; dum tandem aequalitati conditionis horum, extero, unde minime exspectes, impulsu consultum est.

§ 55.

Literae Joannis XXIII. commodum redditae; harum enim ex sensu lex deinde super Decimis rogata est.

Joannes XXIII. PP. seu quod aequitatem rei suopte ingenio perspexerit, seu ut Praelatis Hungariae in Concilio Constanciensi adversae parti enixe faventibus aegre faceret, datis ad Ordines Hungariae literis quartam decimarum deinceps Parocho solvendam; dolum, testamentorum et alias causas per laicos judicandas; et Nobiles non eos tantum, qui de consuetudine praescripta, velut rusticos habentes de facto non solverent decimas de propriis Curiis; verum alios etiam, qui rusticos habere non possent, nec decimas in toto, sed in parte (ex bladis, fertonem ut diximus) solverent, ab hac etiam parte solvenda immunes haberi jussit [1]). Atque posterius hoc, ingratiis Sigismundi Regis, aequitate Alberti, et ipsa etiam Hierarchia Hungarica ejus temporis consentiente, Legis firmatum est praesidio. Et ab hac aetate officium decimae praestandae naturam fundi sequitur. Curiae Nobilium exemtae; Nobiles si ad fundum civilem vel rusticum commigrent, obnoxii sunt.

---

[1]) Kerchelich Hist. Ecl. Zagrab. p. 157. Katona Hist. Crit. T. 12. p. 215.

§ 56.

Non multo post conditum Decretum hoc Albertus maximo sui desiderio relicto ad Superos abiit.

Haec de Decreto Alberti, factaque per eum spe justi, pii, gloriosique imperii. Hunc enim tantum monstrare voluisse fata videntur, die 27. Octobris anni ejusdem ereptum. Proximus morti, cum Consors Elisabetha uterum gereret, condito testamento voluit, ut si filius ei nascere-

tur, huic bini ex Hungaris, totidem ex Bohemis, Austriisque et Moravis tutores essent.

XXXII. REX VLADISLAUS I.

ab anno 1440 — 1444.

§ 57.

De edito per hunc Capitulationis, ut vocant, Diplomate.

Elisabetha orba marito, quum Bohemiam novis misceri turbis; rebus Austriacis Fridericum se ingerere; Hungariae demum praesens a Turcis iminere discrimen videt, Comitia Budam indicit, ad quae Praelati, Principes, Barones, Comites, Nobiles et Civitatum locorumque Communitates frequentissimo numero confluxerunt. In his fuere sane, qui cum Regina muliebribus nixa conjecturis filiam se parituram persuasum haberet, exspectandum usque dum ea partu levetur; alii tamen, seu quod voluntatem Reginae exploratam habuerant, seu illo ejus praesagio ad prohibenda, quibus regimen Elisabethae alterius olim Hungariam involvit, mala uti voluerant, plurimi, ne securitatis externae rationes non satis pensi habuisse viderentur, Vladislaum Poloniae Regem aequis pactis ad solium evocandum rati sunt. Atque his Regina quoque assensit [1]). De expressa igitur mente et voluntate ejus missi legati sunt, qui Vladislaum simul, atque conditionibus communi Reginae, Ordinumque regni consilio sancitis subscripserit, Regem Hungariae salutarent [2]). Conditiones

---

[1]) Thur. P. IV. c. 28.

[2]) Nomina horum vide sis apud Dlugossum l. XII. ad a. 1440. In Conspectu item Chronol. Opellae: Aus den Denkwürdigk. der Helene Kottanerin subjuncto p. 59. In his erant Civitatum quoqne Cassoviensis, Bartfensis, Leutsoviensis, et aliarum Consules et seniores.

in quibus inter hunc et legatos reipsa conventum est, Capitulationis, quod aimus, Diploma per Vladislaum editum recenset. Praecipuae harum sunt [3]): Vladislaum tempore coronationis jura, immunitates et aprobatas regni consuetudines juramento literisque confirmaturum; donationes, quas Sigismundus, Albertusque et vidua regina fecissent, ratas habiturum; Polonos Hungarosque contra omnes hostes mutuo sibi fore auxilio; Russia et Podolia porro etiam, usque dum inter Praelatos et Barones Regni utriusque conventus pro declaratione juris alterutrius celebrari potuerit, in possessione Polonorum; Moldavia pari cum cautione tantillum in statu quo permaneat; nam quidquid de ditionibus Coronae Hungariae decessisset, in eo recuperando nihil non agere se velle, Vladislaus Diplomate hoc spopondit, et, ut suae hujusce voluntatis certius exhibeat pignus, Lubloviam et cetera Scepusii Oppida, post coronationem e vestigio Hungariae se redditurum vovit.

---

[3]) Katona H. C. T. 13. p. 22.

§ 58.

Ladislaus infans a. 1440 15. Maii Albae-Regiae, sacra,

Interea dum Legati Cracoviae abessent, vidua Regina Comaromii 22. Februarii filium, cui deinde Ladislao nomen, enixa mutavit mentem et quod serum de illis revocandis consilium nihil profecerit, omni muliebris animi impetu, dolori se et iracundiae dedit, non literis Vladislai, qui ei matrimonium obtulit, non pacta fide, ut si nullae ex matrimonio hoc proles nascerentur, Ladislaus posthumus in Hungaria succedat, placatae [1]). Ex legatis ita-

---

[1]) Bonfin. Decad. III. lib. 4.

que reducibus Matthiam Thallócz et Emericum Marczaly in carceres conjici jussit, et sigilla tabulis pactorum cum Vladislao initorum apposita discerpsit, et quoad ejus fieri potuit, cuncta ad festinandam Albae regiae, quae tum per Nicolaum Ujlakium tenebatur, Ladislai coronationem comparavit. Munere hoc Dyonisius Pontifex Strigoniensis praesentibus Jaurinensi et Veszpremiensi Episcopis in festo Pentecostes defunctus est: corona imposita Ladislao vixdum trimestri in sinu Matris postquam pro eo avunculus Ulricus Cilejensis jusjurandum de regno rite recteque administrando nuncupasset [2]). Quibus peractis Nicolaus Ujlakius Vajvoda Transylvanus, ne quid esset prisci moris, (l. III. § 159) quod inter solemnia haec non observaretur, militiam ei contulit [3]).

---

[2]) Denkwürdigk. der H. Kattanerin. — Hormayr Oesterreich. Plutarch, II. p. 97: Am 14., rectius 15. Mai dieses Jahres wurde das Kind Ladislaus durch den Kardinal Erzbischof gekrönt, und von seinem Grossoheim eine Capitulations- oder Inaugurations-Acte beschworen.

[3]) Aeneas Sylvius Ep. 81: Ladislaus apud Albam regalem ex Dionysii Strigoniensis Archi-Episcopi manibus Coronam inunctus recepit; Nicolaus autem Vajvoda Transylvanus militiam illi contulit, eumque gladio cinxit.

§ 59.

non multo post

Sed Laurentius de Hedervára Palatinus regni, acri vir ingenio [1]) et in tuendo liberae Regum electionis jure prope nimius [2]) non quod ab Elisabetha, aut filio hujus, de quo nato matri paullo ante gratulatus est, alieno esset

---

[1]) Aen. Sylv. Epist. 81.

[2]) Idem Epist, 63.

animo, sed quod officiis in hos, pietatem in patriam periclitantem anteponendam duceret, hocque ipsum sentiens Archiepiscopus Colocensis et ceteri praeter eos, quos commodum nominavimus, Praelati omnes, longeque maxima Procerum pars, atque in his Joannes Hunyadyus, insigni ad Belgradum de a. 1437 victoria clarissimus, ordo item equestris fere universus Vladislao favebant. Ad quem post paullum Nicolaus quoque Ujlakius Reginae antea secutus partes, cum has decrescere videret [3]), post vulgatas autem salvi conductus de 15. Junii literas, plures accesserunt; praecipue, ubi de sublata per Reginam astu Corona, eoque percrebuit, tantundem juris illam pro filio suo ad regnum, quantum filium quemque ad haeredium patris consequendum vendicare.

---

[3]) Thur. Chron. IV. c. 30. De mutata fide hac ei a. 1445 Giscra apud Aeneam Sylv. Ep. 81 exprobrat.

§ 60.

ibidem maxima populi consensione Vladislaus, quod sacram Coronam Elisabetha abstulerat,

Indictis itaque Budam ad diem 29. Junii 1440 Comitiis, in maximo Praelatorum, Principum, Baronum, Comitum, Militum, Procerum Civiumque concursu, probatis electionis conditionibus, Vladislaus in Dominum et Regem regni Hungariae receptus [1]), et inauguratione Ladislai,

---

[1]) ,,Stephanus Despotus Rasciae notabiles nuncios transmisit, absentiam suam excusans propter Turcorum in Rasciam ingressum; adventui Regio congaudens et omnem fidem obedientiam et subjectionem repromittens. Idem fecit Rex Bosniae" Dlugoss. l, XII. ad a. 1440.

tamquam quae praeter et contra voluntatem eorum facta esset, rescissa, solemnia coronationis Vladislai Albae die 17. Julii anni ejus peracta sunt corona, quae cranium s. Stephani ornabat, communi Comitiorum Decreto in usum eum adhibita.

§ 61.

alia, quae usque adhuc cranium s. Stephani ornabat, corona Decreto Comitiorum in parem elevata vim et auctoritatem redimitus.

Ordines regni in literis, quas de coronatione, connexisque cum hac juribus ediderunt „coronationem Regum semper a Regnicolarum dependere voluntate, virtutemque et efficaciam coronae in eorum approbatione consistere“ statuunt, et omni prioris coronae vi et efficacia in eam, qua Vladislaus redimitus esset, Coronam transfusa „neo coronato Regi plenissimam facultatem, et potestatis plenitudinem tribuunt in faciendis gratiis et donationibus et confirmationibus perpetuis et ad tempus collationibus et locationibus bonorum et officiolatuum, atque inmunitatum Officialibus et Baronibus regni. Item in disponendis Praelaturis ac beneficiis eclesiasticis tam majoribus, quam minoribus ac recompensandis meritis fidelium. Quibuslibet quoque infidelibus ac delinquentibus secundum unius cujusque demerita puniendis: nec non in faciendis, emendandis et exercendis judiciis; ad agendum porro, dirigendum et concludendum in omnibus iis, quae ad Reges Hungariae suos praedecessores et eorum facultatem quomodolibet, consuetudine videlicet aut jure pertinuerant, ac si idem priori nunc sublata corona fuisset, ut moris exstitit, coronatus.“

§ 62.

Decretum inaugurale

Haec praemittenda erant, ut in summa libertate hac plenius moderationis sentias admirabilitatem, per quam factum, ut cum ceteras Bullae aureae Andreae II. leges omnes confirmari vellent, illa de resistendi facultate, quae una omnium semper maxime popularis habebatur, ipso populo auctore exmittenda, ne dicam, obliteranda [1]) censeretur. Neque enim de vocabulo multum laboro; modo hoc ex eo appareat clare: gentem universam carere, quam frui tam dubia ad salutem publicam facultate expedientius duxisse, et de vera libertate ita existimasse: tam hanc, quam mentem sanam, divinum esse hominis bonum, neque libertatem sine hac, neutram vero sine moderatione, ex qua ordo existit et disciplina, conservari posse.

---

[1]) Ad hanc enim, ac speciatim partem Bullae aureae.,, Quod si vero nos" cet. §. 2. art. 31 deductam pertinent verba Praef. Decreti hujus de a. 1440 § 1 ,,obtulerunt libellum per eos diligenter mascicatum" etc. ex quo facultas ea exmissa est.

§ 63.

edidit.

Decreto eodem Vladislaus Legibus Andreae III. de a. 1298, et Ludovici M. de a. 1351 confirmatis, Constitutioni quoque de imunitate nobilium a decimis soliditatem addidit, et quod de bonis, quae pignoris titulo tenerentur, per notam infidelitatis non amittendis; rusticis per Clericos ad sedem spiritualem non secus, quam si Domini eorum pro impendendo jure frustra interpellati fuissent, evocandis, bullis pontificiis sine placeto regio nullum habentibus vigorem; provocatione tamen ad Curiam romanam a foris sacris admittenda rogabatur, concessit.

§ 64.

Hinc praelia, populationes, maleficia per annos amplius duos continuata, usque dum opera Juliani Cardinalis per colloquium, quod Vladislaus cum Regina habuit, de induciis convenit.

Vladislaus adolescens erat animo nobili et ad omnes partes bene audiendi sic penitus intento, ut Polonis an Hungaris fuerit charior, haud facile dixeris. Dissimilis Elisabethae fortuna. Haec namque dum, auxiliariis e Bohemia accersitis, Georgium et Joannem Giskram castro Zoliensi montanisque urbibus, Aximithum et Telephum Scepusiensi ac Abaujvariensi provinciis praeficeret, rem nimirum fecit cunctis, qui Vladislao paruerant, permolestam. Sed ea sub idem tempus et coronam Friderico Regi Romanorum pignori dedit, et Sopronium ei inscripsit. Quo pervulgato suorum etiam invidiam adiit. Filio autem Ladislao Friderici tradito tutelae, ipsa sibi obfuit, quin per Oratores Strigoniensis Archiepiscopi, Giskrae item, et Ladislai Gara exorata: faceret, ut filius suus Ladislaus ad contermina regni deduceretur, efficere hoc ipsum apud Fridericum potuerit. Hanc deinde Julianus Cardinalis Eugenii IV. P. M. Legatus Vladislao conciliare satagebat, feruntque concordiam Strigonii anno 1442 sequentibus initam esse conditionibus: Vladislaus Annam majorem natu filiam reginae, conjugem acciperet; procuratio regni, usque dum Ladislaus adoleverit, penes eum esset; a titulo itaque Regis Hungariae abstineret; Scepusium Polonis perpetuum daretur; ac juri quoque in Podoliam et Valachiam Hungaria cederet. Sed his fidem omnem Thuroczius Chron. sui P. IV. c. 19. et Aeneas Sylvius de Europa c. 1. abrogant. Quorum primus: Julianus, dum pro pace laborat, Regis Ladislai et Reginae Elisabeth cordibus non parum ad concordiam inclinatis, pace ipsa nondum composita, Reginam diem obiisse; alter Julianum, quamvis inducias belli inter Vladis-

laum et [1]) Elisabeth ad certum tempus composuerit, pacem tamen efficere non valuisse perhibet.

[1]) Errorem Prayi, qui insuper habitis, quas Katona contra Kollari opinionem hujusmodi adfert, gravissimis rationum momentis, Elisabetham in numero Regum Hungariae habet, egregie refellit C. Joann. Majláth dissertatione Archivo für Geschichte, Statistik etc. B. Hormayri de a. 1823 ad num. 129, 130 et 134 inserta.

§ 65.

Bello Turcico in novam Martis hungarici laudem perpetrato;

A fatis hujus Giscra et Bohemi, qui superiorem Hungariam obtinebant, ad Fridericum Caesarem, tamquam Ladislai tutorem defecerunt. Turcae vero his incommodis nostris in rem suam uti volentes, Belgradum tradi sibi postularunt vel tributum pendi annuum. Generalis itaque regni Congregatio Budam pro festo Pentecostes a. 1443 indicta; et bellum in Turcas omnibus universorum regni Ordinum suffragiis, tamquam maxime necessarium et salutare decretum, actumque deinde cum Friderico socia Juliani Cardinalis opera „ut et contra Turcas auxilia mitteret, et de pace cum Vladislao conveniret" ut sic Hungaria nullo a tergo hoste, agere partes suas et jam contra Amuratem Thessalonica diruta, Epiroque et Aetolia regno suo adjectis, Illyriorum agros vastantem, et se ipsam et reliquum christianum tueri securius orbem possit. Sed Caesari cautum videbatur „id bellum juvare, in quo Vladislaus principatum teneret, qui post triumphum, sicut insolentes homines victoria facit, adversus Austriam signa verteret" [1]). Rebus igitur tum infectis, tandem Vladislaus conditionibus, quibus Fridericus vo-

[1]) Ita Fridericus tam necessario illo tempore apud Aeneam Sylvium Ep. 81.

luit, inducias ab eo ad biennium pactus est [2]). **Hac igitur** solutus cura Bellum adivit contra consuetudinem ejus aetatis longum, nec inapposite per Thuroczium pro bellis sex computatum[3]), quod medio Augusti a. 1443 auspiciis Vladislai caeptum et Marte Joannis Hunyadii praecipuaque Hungarorum virtute usque finem anni illius gestum, amplissimam victoriarum tulit messem.

2) Aen. Sylv. Ep. 63. „Inducias biennales habemus, quas quomodo simus venati, paucis adverte docebo". Rem gestam deinde narrat et concludit „Tandem venit in publicum Rex et (ad Oratores Caesaris) in hunc modum Ungarica lingua locutus est: Revertimini Oratores ad Caesarem salutemque sibi meo nomine dicite. Post referte: nos pacem per eum missam, quamvis non indigeamus illa — in omnibus articulis, sicuti jacent, esse complexos" cet.

3) Chron. sui P. IV. c. 40.

§ 66.

Comitia a. 1444 in frequentissimo populi concursu celebrata;

Ovantibus itaque animis Ordines regni ad Comitia per Vladislaum ex bello, mense Februario a. 1444 reducem, in medium Aprilis Budam praefixa convolarunt „multitudine tam magna, qua major vix unquam in simili Congregatione visa fuit". Quod ego non meis, sed legum in communi gratulatione hac rogatarum [1]) dico verbis, ut jam hinc cognoscas, quidquid id est devotissimae in Vladislaum voluntatis, quod legum earum tabulae continent, hoc non a quibusdam solum nominis hungarici luminibus, sed omnibus omnino bonis, et quasi bonis processisse. Continent autem plurimum. Et fidem enim Vladislao arctissimo vinculo obstringunt[2]), et honores ac Officia,

1) Decretum anni hujus vide sis in Syll. Decret. Comit. Hung. Nic. Kovachichii p. 74 seq.

2) Art. 1.

quibus velit, Regnicolis conferendi potestatem ei porro asserunt [3]); et de lucro Camerae in Hungaria, Proventibus Marturinarum in Slavonia, Quinquagesimalibus in Transylvania ita juribus Coronae consulunt, ut hos omnes reditus ad sustentationem Curiae Regiae et defensionem regni pertinere, et de omnium regnicolarum bonis integre pendendos [4]); Cameras vero salinarum, fodinas, proventus montanos Urburarum, tricesimales et Civitatum, ac Cumanorum Philisteorumque et Judaeorum census, quorum nihil quidquam nec ad tempus, nec in perpetuum a Corona alienari ullatenus posse statuunt, Regi resignandos decernant [5]). Leges eaedem Jus feriundae monetae Regis proprium esse perhibent, modo ne valor ejus sine voluntate et scitu Regnicolarum immutetur [6]). Mandatis Regiis, licitis tamen et justis qui non paruerint et moniti se non excusaverint, hos e vestigio in poena facti potentialis convincendos sanciunt [7]); nihil denique non agunt, ex quo Regem jam in principio gratum plurimis, nemini Hungarorum non charissimum esse et praesenti et posterorum aetati approbent.

---

[3]) Art. 2. et Conclus. § 3. 4.
[4]) Art. 3.
[5]) Art. 2. 4.
[6]) Art. 7.
[7]) Art. 33.

§ 67.

Induciae cum Amurathe ad decennium pactae. Quas ruptas lugubris ad Varnam clades secuta est.

Tertio a Comitiis his mense Vladislaus Proceres regni Szegedinum convocavit. Eugenius enim IV. Pontifex Maximus accepta victoriarum Vladislai fama, quod nunc tandem tempus Turcas Europa depellendi adesse existimaret, hunc, quo gloriam armorum prosequeretur, ceteros vero christianos Principes omnes ad communio-

nem belli iis commovendi incitavit. Vladislaus et de Pontificis consilio hoc et de ineundis, quas Amurathes tanti hujus apparatus Christianorum Principum rumore perculsus majorem in modum solicitaverat, induciis facere judicium Proceres regni jussit. Qui comperto: Amurathem praeter Bulgariam, quidquid aliud, quod occupasset, restituere Hungaris velle, has ad annos decem ineundas censuerunt. Probavit commune consilium Vladislaus et ex hac Praelatorum Baronumque mente confectas tabulas, uti legati petierant, Juramento firmavit. Inexspectatum Pontifici nihil tam erat, quam pactum hoc, quo bellum, cujus gloriam jam animo praeceperat, differretur; memor igitur quam dextere Julianus Cardinalis in negotio Elisabetham cum Vladislao conciliandi versatus fuerit; hujus et Francisci Cardinalis Veneti opera, eundem ad rumpendum foedus illud persuasit [1]) belloque suis concitato

---

[1]) De hoc legati Apostolici facto questus deinde est Cancellarius Poloniae, ad quem Aeneas Sylvius (dein Pius II. PP.) in literis suis (Hormayr o. c. ad a. 1828 in specie p. 652) ita habet „non enim ille (Vladislaus) propter hoc famam neglexit, quia contra Teucros arma movit, cum quibus erant foedera; nec enim foedera tenentur cum infidelibus percussa, nisi Consensus Apostolicae Sedis interveniat, qui hic non fuit. Sed legatus Apostolicus ea omnia scindi mandavit. Utinam non plus sibi nocuisset, jus Ladislai (posthumi) Regis Hungariae violatum, quam rupta cum Teucris foedera. Tu tamen ista multo melius siluisses, quam attigisti". Miraberis, et licet, mireris, haec Aeneam Sylvium praecepisse, eundem ipsum, cujus haec de Eugenio IV. verba sunt cap. V. de Europa: „Scripsit Cardinali, nullum valere foedus, quod se inconsulto, cum hostibus religionis percussum esset. Vladislao Regi Poloniae, qui eo tempore Hungariam occupabat, uti Conventa dissolveret, imperavit: Juramenta remisit. Novum instaurari bellum tum precibus, tum minis extorsit." Quanto aliter Katonaius meus, etiam dum falsi usura gaudii fruitur: Julianum foedus illud non rescidisse. Ita enim hic Epitomes Chron. rerum hungar. P. II. ad a. 1444 „Nec est credibile Julianum vel sibi vel Hungaris

auspiciis, Cardinales hos ac maritimis quidem copiis Franciscum, terrestribus Julianum Duces praefecit, eo, ne in re tristi prolixiores simus, eventu, ut rebus mari ignavissime gestis, tota Turcarum vis terrestribus copiis tam parva, quam prope nulla Principum exterorum ope adjutis irrueret, nec Julianus tantum, sed Rex quoque Praelio occumberet, atque ita suas et Hungari ad Varnam, Bulgariae oppidum, Cannas haberent, hoc uno nomine minus funestas, quod Amurates tanta suorum caede se vincere deinceps nolle confessus est [2]).

---

persuadere seu potuisse seu voluisse, quod Thuroczius refert, promissam fidem infidelibus minime servari debere. Sapientissimus enim ille Cardinalis, qui Praeses Concilii Basileensis per XXX Sessiones fuit, ignorare non potuit, quod ipsum lumen Naturae dictat.“

[2]) Fuit praeterea Amurathes post hanc talem victoriam suam testis praeclarissimi facinoris, non per unum aliquem singulari virtute juvenem hungarum, sed Coronam juvenum pulcherrimorum patrati, qui bello capti, Venerique ejus destinati cum fuissent, alternis mori manibus, quam delibari pudicitiam suam maluerunt. Quod non hungarus vulgavit scriptor, sed operae celebrant horarum subcisivarum, seu meditat. hist. Philippi Camerario J. F. Juriscon. auct. Francofurti a. 1658 Centuria III. c. 49. p. 175.

XXXIII. REX LADISLAUS POSTHUMUS

ab anno 1445 — 1457.

§ 68.

In Concilio Procerum pridie Non. Febr. celebrato, de regno in septem dividundo Capitaneatus,

Etsi Procerum pars magna ab altero bello hoc abesset, tamen per tempus, quo Joannem Hunyadium re-

vertentem Vajvoda Transalpinus, violato hospitii jure, captivum detinuit, ad deliberanda salutis publicae media, aut ineundas de procuratione regni rationes nemo animum adjecit. Post ipsum adeo reditum ejus, frequentem omnino Conventum Optimatum, pridie nonas Februarii 1445 Albae celebratum, Partes regni trans Tibiscum sitas illi tamquam Capitaneo commissas novimus [1]); qui tamen reliqua, et inter quos distributa principales viros Hungaria fuerit? nondum exploratum habemus; prout neque hoc, an ad capiendum Consilium hujusmodi, quod in sequentibus deinde Comitiis peractum est, propagata nefors ab Romanis ad homines nostros, numeri septenarii veneratio [2]), aut domesticum priscorum septem Ducum exemplum, aut utrumque invitamento fuerit? comperimus. Ab Laurentio Hedervary hoc processisse; Nicolao Ujlakio, ut erat in aequos et pares fastidiosissimus, displicuisse dicerem, nisi certa solum pro certis scribere, nec conjecturas, etiam veri simillimae quae sunt, pro sententiis venditare, institutum esset.

---

[1]) Ivanicsius apud Schwandtner T. II. p. 27.

[2]) Gellius Noct. Attic. l. III. c. 10. Macrob. in Somnio Scip. l. I. c. 6.

§ 69.

In proximis deinde Comitiis de Ladislao posthumo in Regem assumendo et deligendis Capitaneis, ac Oratoribus, qui a Friderico Regem electum repeterent, mittendis convenit.

Haec ad Octavas Paschatis a. 1445 indicta ex illo Procerum Concilio fuerunt, tuleruntque plura commemorabilia [1]). In primis decretum communibus suffragiis fuit, ut si

---

[1]) Sylloge Decretorum Comitialium ad a. 1445 pag. 95.

Vladislaus, qui esse in vivis ferebatur, usque Octavam diem s. Trinitatis non redierit, nec de vita ejus per Nuncium ea causa in Poloniam missum [2]), certi quidpiam allatum fuerit, Ordines regni omnes Ladislaum, filium Alberti, modo eundem Rex Romanorum cum sacra corona reapse restituat, in verum Regem Hungariae assumant, et pro Rege habeant vita ejus comite. Quod si vero restitutio ejus recusaretur, nulla ei obligatione teneantur. Auctorem Consilii Nicolaum Ujlakium fuisse, cum aliunde [3]) tum vero ex his Ladislai posthumi in laudem ejus verbis patet: „Ex quibus omnibus secutum est, ut regno nostro Hungariae non solum de externis malis erepto, sed et interna pace consopito, tota Natio et Respubl. Hungariae, sublatis, submotisque Civilibus bellis et internis turbinibus, qui paullo ante et voluntates et mentes ejus gentis a se se distraxerant, unione invicem jurata, nos Dominum suum naturalem, Genitoris et avi, Regum suorum Successorem et haeredem, Regem declaraverunt, suscepit, et

---

[2]) Fuit is Rupertus de Tar reginalis Majestatis marescalcus, medio cujus redditum per Polonos dubium responsum Aeneas Sylvius, pro suo in Ladislaum Posthumum studio, et propensiori in Hungaros, quam Polonos animo, datis ad Cancellarium Poloniae literis (Hormayr o. c. ad a. 1828 p. 633 et seqq.) non sine acerbitate carpit.

[3]) De re gesta ita nuntii urbis Posoniensis, qui ad Comitia haec aderant, in literis de 16. Maii a. 1445 ad senatum Poson. datis et praeclara Czechii industria erutis: „wist das am phinstag die herschaff ser ain ander ist gewesen da hat Her Niclos der Vayda gehabt das sprechen, von den Hern, und hat gefragt, ob man aintrechtigleich wolde aufnemen ainen hern wan die Lanthern (Nobiles) mayten nicht langer leyden das verderben des landes sye wolten haben ainen hern. Darauf sprach d' Geb'el (nomen Ablegati) von kassau wen wolt ihr haben das lat uns wissen er antwortet und sprach nyemals dan unszs hern k. albrechts son. Itz man wird schicken zu dem römischen Kőnig zu fordern den hern und die kron“ cet. Civitates igitur, quod eas Fridericus anno eodem 1445

recognovit[4]), Capitanei deinde constituti: ex ista parte Titiae et trans Danubium Nicolaus de Ujlak; ex alia Joannes de Hunyad; versus Cassoviam Georgius de Rozgon Joannes Giskra, Emericus de Pelsöcz. In terra autem Mathiae Michaël Orszag et Pangratius[5]). Plura praeterea usque tempus coronationis Regis, atque inter haec decretum simul est, ut Sigillum regni sculpatur in usum supremi per regnum tribunalis.

(Katona Epitome chron. rer. hung. P. II. p. 317. Kovachich Supl. T. II. p. 4.) hortabatur, praestitere.

[4]) Apud Wagner in Collect. geneal. illustr. Famil. p. 134 seq. Electionem verba haec significant etiam Aenea Sylvio interprete, qui Epist. 81 ite de Comitiis his: ,,Illic Praelati, Baronesque regni convenientes unanimi voto Ladislaum Alberti filium in Regem eligunt, Vicarios regni ordinant, decreta pro communi pace faciunt, et Oratores nominant, qui ad Caesarem, petituri puerum, destinentur" cet.

[5]) Atque hi sunt, quibus a. 1445 art. 5. effectus quoque legis, de fortalitiis, quae tempore disturborum erecta sunt, demoliendis, conditae mandatur. Ex hoc interim articulo, gravissimo typothetae errore verba ,,Joannes Giskra Comes de Sáros" emanserunt, uti Kovach. Suppl. T. II. p. 19 rite transumtum articulum hunc consulenti patet. Septemviri hi in Diplomat. de Sáros Wagneri p. 232 in annal. Scepusii p. 334 Capitanei vocantur, atque hoc iis in articulo etiam 5. 1447 nomen est. Vicariorum regni axioma, quod iis Dlugossus l. XIII. Col. 4. et Aeneas Sylvius Ep. 81 semel, atque iterum tribuit, proprie ad Duumviros: Nicolaum Ujlakium et Joannem Hunyadi, ut videbimus, pertinuit.

§ 70.

Sed enim responsum Imperatoris ita erat comparatum, ut huic Ordines regni acquiescere non possent

At Vladislaus, cujus de morte Palatinus maxime dubitavit, pridem jam ad coelos rediit. Fridericus vero,

licet datis ad diversos ante Comitia haec literis, superum hominumque testatus fidem, nepotem suum legitimum Hungariae Regem esse contenderet; tamen post Comitia haec, missa splendidissima legatione [1]) exoratus, ut illum Hungariae coronandum redderet, id se non secus facturum respondit, quam si Ordines regni, de corona post inaugurationem Ladislai remittenda publicis literis fidem fecerint, Posonium praeterea, ubi Ladislaus sua deinceps etiam cura educaretur, sibi traditum fuerit.

[1]) Ladislaus literas apud Wagnerum paragrapho superiori citatas ita continuat „tandemque Congregatione habita et personali omnium Majorum ad nos accessu fidelissimam nobis obedientiam exhibuit et ostendit.“ Re vera Ujlakius, quacunque, ut Aeneas Sylv. Ep. 81 refert, diffidentia motus, anno quidem hoc, legatis ceteris cunctantius, nec nisi postquam per Consiliarios Caesaris multis ad hoc verbis, promissionibusque inductus fuisset, Viennam petiit. Caesar illi cum omni militia extra portas obviam ivit, hic, ut fastum ejus cognoscas, ne in conspectn quidem hujus equum descendit. Rebus infectis cum Hungari recederent, rogareturque Nicolaus Regem suum visere, qui suo proximus erat itineri. Nescio adhuc inquit, quem Regem sim habiturus. Nec puerum hunc venerabor nisi prius scivero meum esse Dominum.

§ 71.

Quo in Comitiis Albensibus pertractato

Prius, quam legati, quos abeuntes Caesar extra Urbem comitatus est, de rei cum hoc gestae exitu ad Comitia retulissent „Nicolaus Vajvoda (Ujlakius) convenit alterum Vajvodam Joannem (Hunyadium) Ladislaique jus tueri insimul pepigerunt, missisque clanculum ad Caesarem nunciis confirmationem suorum Officiorum obtinuerunt, ac rursus facultatem quamdam, cujus vigore ceteros Regnicolas ad obedientiam Ladislai reducentes, Officia dignitatesque possent confirmare.“ Haec Aeneas Syl

vius [1]), ut rerum Ladislai studiosissimus, ita Consiliorum Caesaris omnium vel inprimis conscius [2]). Qui cum antea legatos abeuntes suo illo voto: „faxit Deus, ut quod Pestis reliquit infectum, Alba perficiat“ prosequeretur, rebus huc adductis nihil jam Ladislao metuit. Neque se fefellit. In Comitiis enim Albensibus maxima omnium voluntate Ladislaus Rex declaratus est. Quam cum Laurentius Hedervàry Palatinus morari non posset, pactam vero inter Ujlakium et Hunyadium Concordiam omni ope dissolvere niteretur, rogationem de eligendo Gubernatore tulit, mira per omnes consensione acceptam. Neque ego dubito quasque pacti inter Ujlakium, Hunyadiumque conditiones apprime notas Palatino fuisse; quando leges, quae Comitiis his conditae sunt, data quodammodo opera, ad eam, quam Fridericus Duumviris illis clam fecisset, potestatem, Gubernatori, quem ipse sibi deligeret populus, asserendam dirigebantur omnes. Decretum namque est: ut universi Praelati, Barones et quivis alii castra, civitates et quidquid aliud vi occupassent; Capitanei vero Civitates, quas tenerent, pristino statui, et conservationi harum propriae remittant. Omnes Domini Barones, honores et Officiolatus, quos haberent, manibus et dispositioni ac distributioni aliorum Dominorum, Praelatorum, Baronum et Regnicolarum assignent. Confoederationes omnes abrumpant. Et, quia delectus ille Gubernatoris et Baronum, nisi maximo regni Comitiatu, suscipi rite non posset, hic ad festa Pentecostes in campo Rákos celebretur [3]).

---

[1]) Epist. 93.

[2]) Quid Caesar legatis Hungariae responsurus sit, hi ex Epistola jus (num. 78) cognoverunt, quibus eos hortatur, ut Ladislaum absque conditione Regem recipiant.

[3]) Vest. Comit. 252 seq.

JOANNES DE HUNYAD

Regni Gubernator

§ 72.

electus.

Die constituto, in confertissima Ordinum Regni frequentia, scita Comitiorum Albensium non tantum universis eorum suffragiis probata, sed per singulos quosque jurejurando confirmata; ipso tandem Pentecostes die vir, ut meritis in patriam cumulatissimus, ita omnium quot quot id temporis magna cum potestate fuerunt, modestissimus Joannes Hunyady Gubernator hac electus concordia est, ut vere de eo dici queat:

Quo Civem populus potuit perducere liber,
Ascendit, supraque nihil, nisi regna reliquit.

Hic inprimis auctor fuit, ut Palatino et Baronibus ceteris suum cuique munus per Comitia redderetur. Quo facto ut erat vir sagacissimi animi, civilique non minus, quam militari praeditus prudentia, exercendae, quae sibi tributa esset, potestatis modum, ne exerret, disserte definiri postulavit; fuitque ea, non sine omni jam Ujlakii et qui cum eo senserant, livore ad sequentes reducta leges: In celebratione judiciorum Praelati Eclesiastici duo, et duo Barones seculares una cum Palatino et Judice Curiae a Nobiles sex ad hoc deputandi eidem assistant. Medio tempore unus Praelatus, Baro unus ac Nobiles duo praesto sint, cum quibus et quos praeterea ipse adhibere ad consilium intraneos voluerit, querulantes audiat. Negotia quae ipse solus, contra consuetudinem regni nefors determinaret, Judices ordinarii emendare valeant [1]). D

---

[1]) Admodum Sententiae Lamperti Judicis Curiae Caroli Roberti de a. 1320 (VIII. v. 2. p. 280) „propterea, quod patente

proventibus regalibus, quibus Gubernator et ejus Consiliarii utantur, duo Praelati et Barones decernant; quod ab his expeditionumque regni sumptibus reliquum fuerit, eo Gubernator castra et possessiones regias pignori locatas redimere valeat, Regi reservandas. De possessionibus, quae per defectum seminis aut notam infidelitatis ad Coronam devolventur, nec triginta duabus sessionibus plures fuerint, facere donationes; non tamen possessiones his ampliores eidem partiri, et si cui donationem similem jam fecit, facere aliam itidem liceat. Archiepiscopatus et Abbatias majores, absque scitu et consensu Consiliariorum suorum ne faciat; nec quemquam sine scitu et consensione Regnicolarum proscribat, aut infidelibus sine assensu regni gratiam largiatur. De constituendis urbium Inspectoribus consilium jam his Comitiis agitatum, non tamen diffinitum est [2].

---

iterae Domini Regis (Caroli) contra praedictum Privilegium Ladislai Regis veluti exstinctae et viribus carentes videantur cespitare."

[2]) Nuncii urbis Poson. de 10. Junii 1446 ad Senatum: ,,under andern sachen murmeln Sy — anwalt wollen seczen In die Stet dy als obleut ains Raths sollen sein."

§ 73.

Hic nihil habebat antiquius, quam ut de reditu Ladislai in Hungariam quamprimum confieret.

Quae juberetur, omnia observaturum se Joannes Hunyady recepit [1]), et quum ad quietem salutemque publi-

---

[1]) Fideque integerrima servavit. Quod ex erutis nuper Czechii m saepius laudati Nunciorum Civitatis Poson. ad Comitia a. 1447 teris 21. Martii Senatui urbis hujus missis uberius cognoscas: Wir lassen euch wissen — ita illi — das wir am gestrigen Montag unsern hern den Gubernator hab'n geantwurt dy wird und da bey

cam sententia ejus plurimum in hoc situm esset, ut regno Ladislaus quam primum redderetur: dedit operam, ut necessarii ad eum tutelae Friderici eximendum, et si res tulerit, indicendum ea causa bellum, sumtus Comitiis his decernerentur. Re deliberata conclusum, non tamen etiam in legem relatum est: de singulis quatuor portis, per singulos item quatuor Nobiles Colonis carentes florenus unus ut pendatur, et post Comitia haec, nova Caesar legatione ob eam rem interpelletur. Interea Hunyadius Vlada Valachiae Vajvoda, cujus auxilio Turcae ex Transylvania plura captivorum millia abegerant, provincia hac exacto, Danum subrogavit, exemploque hoc effecit, ut Vajvoda quoque Moldaviae ad priscam rediret fidem; postea vero, quam legati illi, nullo itidem facta operae pretio reversi sunt, contra Fridericum movit, sed bellum hoc tunc industria Juliani Cardinalis s. Angeli, conciliatis in biennium induciis sopitum; Jaurinum tamen continuo redditum per Caesarem est.

---

euer willig dienst ergeben. — wir hab'n an sein Genad pracht ettwenl unser anlikemde notdurft. — auf das alles was sein Gnad'n antwurt. Er wolt uns als heut furbringen (praesentare) für die Laundtherrn allsammt (Dominos et Nobiles simul cengregatos) daselbs solt'n wir alle artikl (materias gravaminum) so wir vor ihm gemelt haben laut nach notdürften ergebn, und dem Michel Orsag und auge sagn, was er uns schadns getan hat, wan er hat sich varfangn vor den hern wer auf ihn erweisen mog; das er syder der sassung zu Pest geschehn, yemands hab schadn getan, so wil er C. die für aynen wird gebn. Das wolln wir auf hent also anbringn.

§ 74.

Motum itaque eapropter contra Fridericum bellum Quod, non secus, atque initas cum eo inducias Comitia a. 1447 probant.

Conditiones induciarum ad Comitia a. 1447 relatae his quoque probabantur. Quum tamen non abs re suspi

carentur nonnulli, Fridericum tutelae regis eam maxime ob causam insistere, quod sibi successionem in provincias ad hunc adtinentes, in casum obitus, spe praesumat; sanctum est lege, ut si Regem quocunque tempore decedere contingat, Praelati et Barones in electione novi Regis inter se ne dissentiant, verum de singulis Comitatibus certos Nobiles convocari curent, et cum eis electionem suscipiant [1]). Qui alterius, quam electi jam Ladislai Posthumi Principis secutus partes fuerit, perduellionis crimine teneatur, cui non Regis, non Gubernatoris gratia, praeter voluntatem Communitatis regni suffragari possit [2]). De Comitiis: placuit, ut singulis annis ad festum Pentecostes omnes Praelati, Barones, Magnates et Nobiles regni, demptis Nobilibus nullum Jobbagionem aut minus, quam viginti Jobbagiones habentibus, conveniant [3]). Quod art. 47 decernitur, ut Nobiles tam Jobbagiones habentes, quam non habentes, decimam et lucrum Camerae solvere non teneantur, altera hac parte sua, ad ordinationem Comitiorum respicit, anno superiori, Pestini celebratorum, ex qua ad aemulos regni excludendos de singulis quinque portis unus florenus, a singulis quatuor Nobilibus, Jobbagionem non habentibus, aeque unus florenus pendendus fuit [4]). Quod dum adnoto, haud modicum vereor, ne ad rem peccem constanti Majorum nostrorum opinione valde magnam. Qui Subsidium quidem, quoties necessitas imperaret, offerendum, sed semper summa ope tacendum duxerunt [5]).

---

1) Sylloge Decr. Comit. ad annum hunc art. 30.

2) Art. 35 ibidem.

3) Art. 31 ibidem, cujus ex sensu Gubernator ipse officium Gubernatoris, ceterique Barones et Consiliarii honorem et officia sua quotannis deponere debuerant; ceterum Comitia hac aetate anni versaria fuisse literae testantur Ordinum regni ad Pontificem anno 1450 exaratae.

4) Kovachich Vestig. Comit. p. 261. Ordinationis hujus nulla in decreto Pestiensi memoria.

5) Recollige quae l. III. § 187 diximus.

§ 75.

Biennio post causa Ladislai restituendi Ordines Regni Nicolaum P. M., ad commodandam vicem suam interpellant.

Ex art. 14 superiorum Comitiorum videas Capitaneos muneri huic, cui Gubernatore electo cedere debuissent, porro inhaesisse. Interea vim vi cumulatam; cum regere cuncti, juberi nemo fere quisquam vellet. Horum igitur Comitiorum constitutiones pleraeque ad vim eam coercendam pertinent; neque eo minus tanto illa postmodum quoque grassabatur opere, ut invictum animi Gubernatoris contra hostes exteros robur, nervosque, et omnem, a qua laudatur, justi diligentiam [1]) domestica Oligarcharum licentia hebetaret. Boni itaque omnes in conventu Pestano a. 1450 „arcem regni orbam capite, Majestatem ordinis penitus prostratam, legitima denique jura praesidio nudata" questi; publicisque Pontifex Maximus exoratus est literis, ut apud Fridericum pro Ladislao libertati restituendo vicem interponeret [2]). Actum eam in rem est cum Oratoribus Caesaris sub autumnum anni illius Posonii [3]).

---

[1]) Quae in eo tanta fuit, ut teste Bonfin. Decr. III. l. 7. „Sedens, secus incedens, equitansque rogatus jus diceret."

[2]) Vide literas has apud Schwandtner T. II. p. 89.

[3]) Haselbachius apud Pecz T. II. coll. p. 368 „habita est diaeta cum Hungaris Posonii, ibique cum Hungari petivissent sibi tradi regem Ladislaum" cet.

§ 76.

Nihil tamen neque hac profectum via. Confoederationis inter Hungaros, Austrios, Moravos, Bohaemosque fructus ille fuit, ut Fridericus Ladislaum dimitteret.

Sed Fridericus obstinaverat animo, non cedere. Haec itaque duritia ejus Hungaris, avaritia vero Austriis

Moravisque, et Bohemis initi III. Nonas Mai 1452 ad liberandum Ladislaum foederis[1]) ansa, hujus vero ille tandem fructus erat, ut Fridericus pupillum curae Ulrici Comitis Cileyensis creditum dimitteret.

---

[1]) Tabulas hujus Prayus Ann. Reg. Hung. III. p. 89 edidit. Huic nomine Ordinum regni Hungariae, praeter Joannem Hunyadium Gubernatorem, et Dionysium Archiepiscopum Strigoniensem, e numero Praelatorum, Baronum ac Procerum sane quam frequentes, Civitatum item Budensis, Albensis, Posoniensis, Cassoviensis, Leutsoviensis, Bartfensis, Pestiensis Nuncii navabant operam, qui se Nobiles, Cives et Nuncios Universitatis Nobilium, Civitatum et Incolarum regni Hungariae ipsum totum regnum Hungariae repraesentantes profitentur. Caput foederis hujus praecipuum ita habet: Demum, de communi voto omnium nostrum ad hanc finalem devenimus Ordinationem, quod cum Rex libertati restitutus fuerit, idem juxta limitationem et Ordinationem testamentariam annotati quondam Regis Alberti, genitoris sui videlicet, in Posonio teneri debeat; excepto tamen praefato Domino Romanorum rege, qui semet ipsum, quantum ad interesse, superintendentiam, seu executionem testamentariam, plurimis ex legitimis causis, palam cernitur exclusisse.

§ 77.

Ladislaus libertati restitutus Joannem de Hunyad perpetuum Comitem Bistricensem renunciat.

Ladislaus recuperatae libertatis suae initium ab dendo grati erga Joannem Hunyadium animi testimonio fecit. Erecto namque in foro Viennensi suggestu, plurimis Ducibus, Marchionibus, ac regnorum suorum Praelatis et Baronibus coram, e solio regio eundem Comitem perpetuum Bistricensem renunciavit. Diplomate hanc in rem deinde edito ingenue professus „regnum Hungariae confinibus suis dudum amissis recuperatis,

magis auctum, Majestati suae vel sola, vel maxima ejus industria, sollicitudine et bellicis artibus servatum esse,

§ 78.

Ordines autem regni, cum recuperare Coronam a Friderico aequis pactis non possent, sponsioni per Regem de juribus suis integre servandis factae acquiescunt.

Actum deinde in Conventu Viennensi per Fridericum ad diem 11. Novembris indicto de restituenda Corona Hungariae. Quum tamen Nuncii regni et eam et urbes, quas Caesar in Hungaria tenebat, sibi gratuito reddi flagitarent; hic vero id se facturum negaret, quin imo pro sumtibus in educationem pupilli impensis satis dari sibi urgeret, ex Conventu illo, re infecta discessum. — Atque hoc Ordinibus quoque regni probatum fuit. Qui peractae Ladislai in cunis coronationi postliminio annuere maluerunt, quam quoquo modo agnoscere: Coronam venalem et quaestui Rempublicam haberi posse. Solemni itaque legatione fidem fidelitatemque suam testati, Ladislaum Posonium ad Comitia invitant, non aliud ab eo postulantes, quam ut sponderet juramento: se jura libertatemque gentis ad modum avi, patrisque servaturum; regnum non alienaturum, sed ut alienatae etiam partes recuperentur, curaturum [1]. Quo per eum praestito, Ordines etiam fidelitatis ei sacramentum dixerunt, facileque passi sunt, ut eosdem regni, quos nativitatis, paulo post hanc enim coronatus est, annos numeraret.

---

[1]) Classicus formulae juramenti, quod Reges nuncupabant, locus. Hunc (art. 1. 1453) Fridericus in Tractatu, quem deinde a. 1463 cum Mathia inivit, totidem verbis recapitulat eo addito, quod Mathias lege non obstante concordiam et inscriptiones per se et regnum Hungariae ei factas excipere et post Coronationem renovare debeat.

§ 79.

Obtrectatores Joannis de Hunyad Regis ab eo animum avertunt, ad commendandam fidem suam in Comitiis anni 1454 exercitum offerentes viribus populi, multo superiorem; cujus nullo penitus usu facto,

Tertio post auspicatum per Ladislaum regimen mense (29. Mai 1453) Constantinopolis in Turcarum potestatem venit. Everso sic Graecorum imperio proximum Hungariae periculum. Cui occursurus Ladislaus, aut potius magnus Comes, magni Regis Gubernator (ita enim Cileyensem Aen. Sylv. Ep. 253 vocat) Hungariae non viros, quorum copia semper floruit, sed pecuniam, cujus semper eguit, causa comparandi militis mercenarii imperavit. Hac igitur via cum nihil admodum proficeret[1]); exoratus tandem consensit, ut de mediis avertendi discriminis publicis Comitiis constitueretur. Concita haec sunt in medium mensis Januarii 1454 Budam, celebrataque Joanne Hunyadio absente, qui usque adhuc Gubernator Regni Hungariae, articulo I. conditarum Comitiis his Legum, Capitaneus Generalis, ad unius spatium anni renunciatur. Ex confidente igitur diffidentem factum esse Ladislaum, non abs re Skerleczius arguit; articulum vero II., qui inquiri jubet, an reditus Camerae legitimis sumtibus erogentur, ex livore aemulorum Hunyadii repetit[2]). Quem quidem non tantum non redarguo, sed plane cum eodem certum habeo: conditores Decreti hujus, quum ultra con-

---

[1]) Vide literas Ladislai in Perchoterdorf festo assumpt. B. M. V. 1453 editas Suppl. ad Vest. Comit. T. II. p. 118 et sequent.

[2]) Jam Aen. Sylv. Ep. 162: ,,Quidam vero — in caput Joannis cudendam fabam existimabant, qui parum Regi paret, nec amplius, quam viginti quatuor millia florenorum, ut ajunt, in annos singulos regali aerario contribuit; quod superat, sibi retinet, regnumque pro suo arbitratu (?) gubernat; — ut imperium apud eum, regni titulus apud Ladislaum esse videatur. Judicabant igitur aliqui Comitem Ciliae locum ejus appetere" etc.

stitutionem Sigismundi, ratione novem et nonaginta por tarum tres bene armatos in campum educi praecipientis pro portis centum equites pharetrarios quatuor, pedite praeterea duos clypeo et pharetra et cuspidibus instructo statuendos obtulerunt, non tam virium populi [3]), quam Re gis sibi hoc pacto demerendi habuisse rationem. Qui plura? verba hi Ladislao dederunt: rei ad Krusoliczium gestae gloriam, nomini hungarico Hunyadius adjecit.

---

[3]) Perhorruisse ipsi molem oblationis suae videntur art. 14 cujus haec sunt verba: „Ideo nos et ipsi Praelati, Barones ceteriqu Proceres et Nobiles — spondemus — et fide nostra christiana — promittimus et pollicemur, quod — a modo et deinceps, nullo un quam tempore talem inconsuetam exercituationem promulgabimu et faciemus; neque ipsi facient et promulgabunt."

§ 80.

Joannes Hunyadius injuriis sibi illatis pietati in Patria condonatis; hanc sua unus fortitudine ex praesenti periculo eripit.

Interea nempe, dum obtrectatores ejus ad similitud nem ingratae in Scipionem Africanum Romae [1]), de exci bitoribus agunt Hunyadio adjungendis, qui viderent, nu quod Camera, Civitatesque belli causa solverent, ad hu finem ex asse convertatur; hujus curae, vigiliae, cogitati nesque omnes, ad solum tantum officium servandae, cont Mahometem II. scientia usuque belli Antecessoribus long superiorem, patriae laborabant. Legum paullo ante co

---

[1]) De Scipione Africano, qui rationem pecuniae praedatiti poscebatur, vide Liv. XXXVIII. 55. et Gellii l. IV. cap. 18. Joanne Hunyadio art. 2. 1454 § 1 et 2.

ditarum, quod militiae faciendae munus per has quoque expresse ad solas tantum Hungariae metas alligatum fuit [2]), non Rex, non Regnum, sed Mahometes usum fecit. Hungariam enim ingredi minatus, ad Serviam deflexit, juris quae fuit hungarici, sed ultra metas Hungariae sita. Ejecto inde Georgio Despota, captaque Szenderovia urbe, ipsam jam obsederat arcem, qua in potestatem accepta, pronum in Hungariam habiturus iter fuit. In hac tamen nihildum ad exolvendam Legum illarum fidem actum, et licet discrimen in momenta cresceret, nemo, qui eas exequeretur, exstitit. Hunyadius solus, ut erat sui semper similis, nulla contumeliae Edicti nuperni adhibita memoria, periclitanti saluti publicae cum solis propriis et confiniariis copiis succurrit, arceque obsidione liberata, inito ad locum eum in Bulgaria praelio, fudit Turcas, regnumque sua unus fortitudine, bellicaque virtute conservavit.

---

2) Art. 4. § 1.

§ 81.

'raestat idem a. 1456 contra ingentem Mahometis ·xercitum, ex parte regni vix quinque millibus militum et incondita Joannis Capistrani turba adjutus.

Egit deinde cum Friderico Imperatore per literas; ıic cum Ordinibus Germaniae medio legatorum, de feren'is contra Turcas suppetiis. Sed, quod ea ipsa dissidiis cissa fuerat, Conventus Ratisbonae, Francofurti et Neo·tadii, causa deliberandae opis coacti, disceptationibus b hac longe diversis agebantur. Neque secus res se in Iungaria habuit. In qua per subsequum biennium Budae, aurini, Budae iterum, Varadini Petri, et demum Pestini onsilia de defensione regni suscepta, abruptaque, et rur·us resumpta sunt, pendebatque deliberatio etiam primis ıensis Aprilis a. 1456 diebus, quum allatum ad Regem st: adesse Turcas; obsidere Nándor-Albam et alia ca·tra, quae claves regni essent. Nostra nimirum mala

Mahometes suam occasionem putans, cum centum e quinquaginta millibus ad Belgradum ex continente, et class Danubio subvecta adfuerat. Conclamatum de Hungaria et acceptum tardius a Solimanno exitium, jam a Mahomete, acceptura haec fuerat, nisi Hunyadius vix quinque militum per regnum statutorum millibus adjutus, propria decem millium cohorte, inconditaque cruciferorum quos Joannes Capistranus adduxit, turba, sua igitur ips seu fortuna, seu fortitudine, seu prodigio eam salvam praestitisset [1]). Atque hunc Heroem Engelius Loudonio comparat; magno nempe viro et in arte bellandi excellenti sed qui et a milite et ab armis et a commeatibus providentia Augusti Josephi paratissimus semper fuit, Ducen assimulat, qui cum horum omnium tantum non plane nihi a paucis amicis haberet, tum in conducendo milite, tun in hoc stipendiis providendo, tum denique cumulatissim hac et Optimi Civis et Herois Maximi gloria, immortal nomini suo asserenda, suis fere solum viribus nitebatur [2]) Quod dum animo recordor, invito subit id Cornelii d Epaminonda: unum hominem pluris, quam totan Civitatem fuisse.

[1]) Aen. Sylv. Epist. 266: „Percussit de coelo Deus hoc ann Turcos; neque enim humana victoria fuit, quae apud Albam (graecam: Belgradum) parta est."

[2]) Thuroczius certe, dum Chron. sui P. IV. c. XXX. haec d eo promit „Hunc hominem, ut dici praesummitur, futura regni pr tutela, rebus per ipsum gestantibus, fata ab alto elegerunt," i Senecae Troad. 124 de Hectore. „Columen patriae, mora fatorum' dicere voluisse apparet.

§ 82.

Nihil tamen neque his placati Obtrectatores, a mort Hunyadii, Regis animum paribus adversum filios eju suspicionibus implent.

Hunc deinde pestis 6. Aug. 1456 eripuit bonis omnibus jure deploratum, nam mali mortuum, quam vivun

pejus fere oderant. Postea igitur, quam filius ejus Ladislaus, optimae perinde juvenis spei, exorta inter se et Ulricum Cileyensem „cujus caput erat a Rege secundum, et qui jam solus tamquam Regis avunculus leges Hungaris praescribebat" [1]) contentione, hunc gladio peremisset[2]), Regem persuadent, ut contra datam per se fidem[3]) hunc supplicio adfici curaret, literasque ederet, quibus cuncta, quae solemnibus Diplomatibus suis in laudes Joannis Hunyadii contulit, retractaret. His de 12. Aprilis vulgatis, partes Szilagyii, qui caedem nepotis ulturus armis se accinxit, tantum incrementi acceperunt, ut regnum totum in duas: Hunyadianam et Garaianam discessisse factiones videretur. Rexque ipse, abducto secum Mathia, Viennam se amovere, quam manere in Hungaria satius existimaret.

---

[1]) Aen. Sylv. Europa c. 1.

[2]) Idem ibi: „Offensus ea re mirum in modum regius animus dolorem tamen supressit, nec dubitavit avunculum jure caesum fateri".

[3]) „Ladislaum et Mathiam sub juramento super sacratissimo Corpore Christi praestito in fratres adoptavit, eodemque sub juramento nunquam futuris temporibus aliquam talionem — ab eisdem ratione praevia se exigere velle spopondit." Thur. IV. c. 59.

§ 83.

Literae Ladislai posthumi de hospitiis diaetalibus ad Posonienses datae a. 1457.

Hic ante aliquanto, quam dies habendis a. 1457 Posonii Comitiis indicta advenisset, datis ad Senatum urbis literis Archiepiscopo Colocensi, tribus praeterea Episcopis et Vice-Cancellario suo certas domus, causa hospitiorum, assignari jussit. Paruit ille Regi haec ita praecipienti, ut delectus domorum penes eum esset, cum pie, tum vero non illubenter; quod ex Ordinum ad Comitia concurrentium frequentia Urbanis non plane nihil commodi adflueret. Di-

verticula hujusmodi reliquis etiam, qui de ordine Dominorum ad Comitia convenerant, necessariis item Regum Aulicisque circa tempus hoc gratuito praestita; serius, quum ab usu tentoriorum cessatum est, singuli, qui specialibus Regum literis ad Comitia evocabantur, et tandem Nuncii quoque Comitatuum et Civitatum deposcebant, quin, re licet omnibus vestigiis indagata, Civitates ad recentissima usque tempora questas esse appareat; quod Comitia passim in vernum vel autumnale indicta tempus intra quindenam concluderentur. At vero sequior aetas non tam esse, quam videri magis negotiosa voluit; lex igitur a. 1723 de Comitiis intra bimestre temporis spatium terminandis lata; ad nostram tamen memoriam ea jam in biennium et ultra producta sunt, sicque praestandi hospitii obligatio in damnatae per veteres leges descensionis versa est speciem. Qua quidem prope erat, ut Posonienses opprimerentur; ni malo huic remedium nuper allatum esset.

§ 84.

A morte Ladislai posthumi causa eligendi Regis Comitia a. 1458 Pesthinum indicta.

Ad Comitia, quae Ladislao subitanea exstincto morte, per Praelatos et Barones Pesthinum ad Kalendas Januarias 1458 indicta sunt, Szilagyius cum 20,000 armatorum manu [1]), domusque Hunyadianae amicis comparuit. Atque

---

[1]) Aen. Sylv. de Europa c. I. Qui ita continuat ,,Michael vero Conventum adiens non se idcirco armatos adduxisse ait, ut vim congregatis inferat, sed ut eos deterreat, si qui sint, qui libertatem principum ac popularium in assumendo Rege perturbare conentur. Posse Barones memoriam Joannis extollere, Mathiam ex captivitate redimere, atque in ejus regni fastigio collocare, quod Pater sua virtute servasset; neque ferendum, ut ad exteros ea potestas deferatur; — regni salutem se ante oculos ponere; si quem provincia utiliorem arbitrentur, nihil obstare, quo minus melior eliga-

hi quidem in Campo Rákos, adversae vero factionis Proceres: Ladislaus Gara Palatinus, Nicolaus Ujlakius, Paulus de Lindua etc. Budae consederunt, de vi Szilagyii opressaque Comitiorum libertate plura questi. Posteaquam tamen eam Szilagyius edicto suo confirmasset, hi quoque ad Campum illum descenderunt; sed rogati dicere sententiam, etsi pars ipsum Szilagyium optandum regem esse in medium adferret, illo tamen hoc, Mathiae nepotis sui gratia, obnixe recusante, alii plurimi a promendis suffragiis abstinuerunt. Neque id ullam apud populum offensionem habuit; vicit enim veteris apud hunc instituti ratio, ut de futuro Rege, communique salute haud citra Procerum concordiam, secretioraque colloquia transigeretur.

---

tur.“ Haec ille de Szilagyio vere; ad Mahometem II. quem ad Christi convertere fidem laborabat, Epist. 396 sequentia ex conjectura: „Quippe, ut arbitramur, si Christianus fuisses, mortuo Ladislao Ungariae et Bohemiae rege, nemo praeter te sua regna fuisset adeptus. Sperassent Ungari post diuturna bellorum mala, sub tuo regimine pacem, et illos Bohemi secuti fuissent. Sed cum esses nostrae religionis hostis, elegerunt Ungari, viri fortes et fidelissimi, religionem potius cum bello retinere, quam ea perdita pacem consequi.“

§ 85.

Quorum hic fuit exitus, ut Mathias Joannis de Hunyad filius Rex proclamaretur;

Quibus habitis, hac tali Szilagyii suppariqe Joannis Vitéz Episcopi Magno-Varadiensis in disponendis suffragiis opera, Mathias 24. Jan. 1458 Rex renunciatus est, postquam Szilagyius Ladislao Gara Palatino, Nicolao Ujlaky Vajvodae et sociis, de nece nepotis sui Ladislai non vindicanda, fidem dedisset, hacque accepta hi etiam electioni Mathiae assensisissent, aut saltim refragari desiissent.

§ 86.

ejusque nomine Michael Szilagyius Gubernator regni constitueretur, qui conventum de electione Regis pactum, redactumque in Decreti formam

Quae per Michaelem Szilagyium, iisdem Comitiis nomine Mathiae electi Regis Gubernatorem regni constitutum[1]), sancitae sunt leges, Diplomatis Capitulationis vicem subeunt. Quarum plures per populum rogatae, in ejus certe gratiam constitutae sunt. In exemplo: ut ne in ullo quamcumque arduae necessitatis casu, taxam a Colonis Regnicolarum, aut Nobilibus exigere valeat[2]), uti hoc anno 1444 factum suo loco diximus. Sed vero legis, qua statuitur, ut universi Regnicolae et homines possessionati quotannis ad diem Pentecostes Pesthinum conveniant; qui non adfuerint, nisi justam absentiae reddant causam, bonis priventur[3]); auctores non tam ex facili designaveris. Etsi enim lubens Prayo concedam, a re Szilagyii fuisse, ut Nobiles viritim conveniant; poenam tamen adeo gravem ab iis profectam vero simile est, qui uti sibi pars prima legis hujus invisa erat, ita eandem parte altera populo molestam esse voluerunt. Sed de conjectura hac utcunque existimes; de sententia quidem mea allata superius, dum de marcalibus Congregationibus Comitatuum agerem, hoc loco statues exploratissime. Quod praeter haec Comitiis illis instauratum est, ut Rex de suis proventibus regnum defendat, et si hoc praestare non valeret, Praelati et Barones, caeterique viri eclesiastici Banderia

---

[1]) Vide Praef. Decreti ejus, et art. 5. 6. 11. 13. et 14. in quibus hoc ejus munus obiter attingitur, conditiones muneris aliae e. g. de facultate donationem faciendi, ne obiter quidem.

[2]) Art. 5.

[3]) Art. 13.

seu gentes suas juxta normam per divos Reges factam levare; si autem neque hae propulsando hosti pares essent, tum demum universi Nobiles et alterius cujusvis status possessionati homines insurgere teneantur [4]) aequitatis ratione nititur; uti et id, ne cognati Regis hoc titulo, prae aliis meliori conditione sint, aut plus sibi licere existiment [5]).

---

[4]) Art. 2.
[5]) Art. 11.

§ 87.

c o n f i r m a v i t.

Haec de Decreto, quod Szilagyianum inscribitur. Epitomen omnium hujus Constitutionum Kelemenius [1]) meus dedit, vir sane quam eruditus. Quo magis hunc miror famosum simul (de honore nominis hujus dixi alibi) Professorem, legem, quae ita habet: „quod nullus omnino hominum de Sacerdotibus, Scholaribus, Nobilibus, neque telonia, neque decimas, prout vetus regni requirit consuetudo, exigere debeat" ad haec reduxisse verba: „Eclesiastici a teloniis et decimis immunes sunt [2])." Quid in verbis his desideratur maxime? propria illa itidem domesticaque Hungarorum in quosque litteris operam navantes liberalitatis gemma, quae consuetudinis adhuc obtecta caligine, ex hujus demum legis sinu effulget. Eadem in literaria historia nostra articuli etiam I. Decr. 4. Uladislai II. conditio est, qui Prorogationis beneficium, ad quosque, Gymnasiis qui nomen dant, et studio literalis scientiae occupantur, extendit. Cave igitur ve-

---

[1]) Hist. Juris hung. pr. p. 206.
[2]) Art. 10.

reri, ne res nostras exaggeremus Hungari; ipsas adeo, quae sine injuria taceri non possunt, laudes Majorum negligimus [3]).

---

[3]) Hallamius o. c. T. II. p. 706 liberum Scholarium apud Scotos et Gallos ad ludum literarium commeatum dignum censuit, quem ex Collectaneis Rymeri P. VI. p. 292 enotaret. Quanto majus hoc est, quod Hungari facere potius, quam dicere adsueti, scholis dederunt.

LIBER QUARTUSDECIMUS.

HUNGARIA

REGE

MATHIA CORVINO.

Mox enim illo (Mathia) rebus humanis exempto — recuperata domi privata libertate, quae prorsus singulorum in generosum Principem erat translata, omnes studiorum conatus eo intenderant, ne in posterum tanta ullius Regis dominatione subigerentur.

Ant. Verant. de Mathia in Script. min. rer. hung. T. II. p. 34.

XXXIV. REX MATHIAS

ab anno 1458 — 1490.

§ 1.

A puero, ut ipse ait, ad regiam evectus dignitatem,

Mathias ab obitu Ladislai, nescio quo jure, Podiebrado mancipatus, redemtusque per matrem Elisabetham Szilágyiam, circa medium Februarii 1458 Budae adfuit, deditque, quinto decimo hoc aetatis anno[1]), ad amussin Decreti inauguralis [2]) et accepit vicissim fidem, qua Rex et populus sanctissimo invicem nexu adtinentur; solemnia enim coronationis, usque dum sacra Corona e manibus Friderici recuperaretur, dilata sunt.

---

[1]) „Erat enim annorum XIV. cum in Regem electus est" ait, Galeot. Mart. de dictis et factis Math. R. cap. IV.; iteratque idem cap. XII.

[2]) Vide sis illud in Syll. Decr. Com.

§ 2.

militarem quodammodo literaturam arripuit [1]) remotoque Szilágyio clavum regni capessivit ipse.

Medio tempore ad instaurandam rempublicam, auctoritatemque suam legibus firmandam naviter incubuit;

---

[1]) Verba Mathiae apud Galeot. Mart. cap. XXX.

quaedam, plane ex voto insidiantium saluti suae, ausus ejusmodi, quae solium quoque jam firmatum, solidisque septum praesidiis, in gravissimum adducere discrimen poterant. Michaelem quidem Szilágyium, quod ejus praecipere nomine, quam praecipienti dicto audientem praebere se vellet, in carcerem misit; Ladislao de Gara Palatino et Nicolao Ujlakio apud Transylvanos Vajvodae exauctoratis, illi Michaelem Ország, huic Joannem Pongrácz subrogavit. Ac Szilágyius quidem libertati restitutus, licet apud Siculos omnia posset, horum tamen in se voluntate ad ultionem abuti noluit. Non eadem Garaio et Ujlakio patriae charitas. Maximo enim opere dabant clam operam, ut ne Coronam Fridericus restitueret; detecto vero scelere, quatuor et viginti Optimatibus, qui adhuc a Mathia steterant, ad partem suam pellectis, Caesarem ut Coronam eam susciperet ipse, permoverunt. Erat tamen Regi adolescenti intrepidus animus, et in Joanne Vitézio Nestor alter, cujus consilio opeque fretus, res seditiosorum ad Körmendinum adflixit; Ujlakio deinde tituli Regis Bosniae; Garaio recuperandae dignitatis Palatini spe facta, tempestatem hanc ex facili depulit; neque tamen per haec res etiam Coronae redhibendae meliori adhuc loco fuit. Jam Joannem quoque Giskra in superioribus Hungariae partibus late dominantem, Rex a fide Caesaris abstraxit, percussoque cum Alberto Austriae Duce, cujus cum Friderico simultates ad apertum bellum spectabant, foedere, hunc ei hostem concivit; frustra tamen et studia haec et labor fuit, quem alii quoque per Europam Principes [2]) in negotio hoc restituendae coronae consumpserunt.

---

[2]) In his fuit etiam Podiebradus per Fridericum et Mathiam delectus mutuarum querelarum arbiter. Ad hunc binae Imperatoris illius exstant literae; ambae de 5. Aug. 1459, quarum primis, si ope Podiebradi in Hungaria coronatus et regni adeptus possessionem fuerit, ei partem dimidiam redituum Hungariae omnium per triennium paciscitur, pactumque hoc peracta coronatione se confirmatarum spondet; aliis evoluto triennio, omne lucrum, quod ex

sale provenit, seu vicem hujus 60 millia florenorum usque dies vitae illius pendenda promittit. Haec Fridericus: Podiebradus, quod honesti animi fuit, egit, et, cum aliud non posset, inducias ad Olomucensem usque Conventum conciliavit die 12. Aug. 1459.

§ 3.

Decreto ad redimendam Coronam publicis a. 1462 Comitiis subsidio;

Praelatos igitur, Barones Nobilesque omnes Budam Rex a. 1462 convocavit, et deliberatione „diebus viginti producta" impetravit tandem, ut pro recuperatione Coronae sexaginta aureorum millia decernerentur. De his nullum in tabulis legum ejus temporis vestigium. Nihil namque Majores, uti jam diximus alibi, curabant magis, quam ne publicis legum tabulis publica subsidii hujusmodi exstaret memoria.

§ 4.

eaque, uti pacto inter Regem et Fridericum convenerat, recuperata, ille ad Jajczam victor,

Pacto igitur inter Fridericum et Mathiam a. 1463 convenit: Fridericus et haeredes ab eo per lineam rectam descendentes finitima castra et oppida Forchenstein et Kobesdorf, omni ut imperio, possideant; summa tamen quadraginta mille florenorum soluta, Regi Regnoque Hungariae, si voluerit, post obitum Caesaris recipere liceat; Caesar uti hactenus, ita deinceps titulo Regis Hungariae utatur; et Mathiam pro filio habeat; hic illum patris instar honoret. Corona regni Mathiae cum urbe Sopronensi extemplo remittatur. Si Mathias absque filiis seu nepotibus legitimis decesserit, Caesar, et dein, quem deputaverit, aut, quem post fata reliquerit, filius, sin vero plures remanerent, quem regnum ipsum elegerit, Hungariae plena cum administratione praeficiatur, et coronetur. Tanti fuit Coronam recuperari; at vero recuperata haec est pro

Rege, qui suscipere eam prius noluit, quam Hungaria fratribus Bohaemis [1]) quinquies instaurato acri praelio purgata, bellum, quod deinde cum Turcis erat, perpetrasset, Jaiczamque, urbem principem Bosniae, ac alia septem et viginti oppida recepisset.

[1]) Relatio Nuncii Apost. Kovachich Script. min. T. II. p. 26 „Isti Bohemi sunt Duces, milites et praedones, qui pecuniis carentes simul conjungebantur, — quique adeo erant fortes, ut nullus Rex quinquaginta abhinc annis eos superare potuerit, — et hi Bohemi majorem, quam Turcae perniciem inferebant.“

§ 5.

a. 1464 ritu solemni incinctus, grati sui in Joannem Vitéz Pontificem Varadiensem, cujus opera in recuperanda Corona usus est, animi edit monimentum.

Mathias Albae Regiae a. 1464 solemni coronatus ritu, bullam auream Andreae II. confirmavit, eo grati sui in Joannem Vitéz Episcopum Magno-Varadinensem animi monimento, inter solemnia Coronationis edito, ut hunc et qui post eum futuri essent Praesules Varadinenses perpetuos Comitatus de Bihar Comites renunciaret [1]). Privilegium hoc ex solio, corona sceptroque conspicuus recitarat. Leges praeterea octo et viginti Comitiis his condidit. In quibus hae ad Instituti praesentis rationem pertinent: ut Decreta Regum Hungariae per Mathiam

[1]) Idem postea Emerico Zápolya et Joanni Ernst, ac illi quidem Comitatum Scepusiensem, huic Thurocziensem jure perpetuo contulit; nam Stephanum de Várda Archiepiscopum Colocensem ejusque in hac dignitate successores, jam a. 1463 provinciae Bacsiensi praefecit. Confer Wagner Petri de Várda Epist. subnexum monitum, et quae Prayus in Spec. Hierarch. hung. p. 43, 45 notavit.

jam confirmata serventur; Regno Slavoniae et partibus Transylvaniae jura sua salva sint; Rex ad simplicem querelam bona ne occupet; causas proprias ordine juris prosequatur; iis, quorum literae periissent, bona, quae vigore earum quiete semet possedisse comprobarint, titulo novae donationis conferat; curet denique, ne, per milites, Eclesiis aut domibus nobilium vel sacerdotum damna importentur.

§ 6.

Comitia eo Rege frequentissima;

Mathias semel atque iterum professus palam: ea, quae ad publicam pertinent utilitatem, merito communi omnium discutienda esse consilio [1]); Comitia plurima et fere quotannis habuit, ac ad ea quidem, quae anno **1458** Pestini, anno vero **1462** Budae celebrata sunt, **Nobiles universos**; ad alia, ipsaque pro coronatione a. **1464** indicta, quatuor libero Comitatuum arbitratu deligendos legatos evocavit. Injuriam legis interpretantur hoc scriptores nonnulli, quum jus ad Comitia adeundi lege Pestini rogata Nobilibus singulis addictum fuerit. Sed hi sunt fere, qui de arte regendi Mathiae, ex vulgi opinione judicant, nec advertunt: populum, cui Mathias praefuit, nihil ejusmodi quidquam, quin potius frequentissimorum Comitiorum sumptus, quibus ad bona pignori locanda, pluresque ad amplectendam colonorum conditionem propellerentur, questum esse. Pleraque igitur Comitia non cum populo, sed Nunciis ejus acta; tamen a. **1472** lege cautum fuit, ut ne vel talis Congregatio regni, per subsequum biennium haberetur.

---

[1]) In literis ad Gömörienses datis, quibus Comitia a. 1462 dicit: „quia ea, quae ad publicam pertinent utilitatem, merito communi omnium consilio discutienda sunt et decidenda". Vestig. Comit. p. 362. In literis a. 1487 ad eosdem (Suppl. Tom. II.

p. 267) „verum quia commune hujusmodi negotium communi etiam omnium vestrum consilio transigendum videbatur."

§ 7.

celebrata, eo etiam absente.

Comitia plus vice simplici, absente quoque Rege non tamen injussu ejus habita. Ad Vaciensia a. 1485 [1] Oratores suos (Commissarios nunc dicimus) misit. Horum nulla in legibus a. 1474 conditis memoria; sed enim ex Diplomate, quo has confirmarat [2]), patet, Praelatos et Barones de voluntate ejus informatos, Oratorum ad Comitia haec egisse vicem. Erat is, quod nuper vulgatae ejus literae indicant, ad Comitia quoque in festum s Georgii a. 1490 Budam indicta, Oratores missurus, nis ante haec supremum obiisset.

[1]) Vest. Comit. p. 401.
[2]) Sylloge Decr. Comit. p. 219. §. 5.

§ 8.

Et Comitiis quidem a. 1463 praeter Vajvodam Transylvaniae, et Banum Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae Oratores quoque Partium harum aderant.

Jam de Comitiis a. 1463 specialiter dicendum es Habet Decretum ex his editum mox primo adspectu, i prae ceteris singulare, quod Comitia haec Rex cum Praelatis, Baronibus et Nobilibus regni Hungariae et partium eidem adnexarum se egisse dicit; Ordines autem se Praelatos, Barones et Nobiles Regni Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae et partium Transylvanarum nominant. Quae eum facere sensum videntu quasi vero singuli Sclavoniae et Transylvaniae Nobil

Comitiis his coram adfuissent; nihil tamen est, quod minus velim existimes. Dabo itaque literas per Mathiam Regem ad Transylvanos eodem exaratas anno [1]), quae ita habent: „Intelligetis cum ex Nunciis vestris ad vos redeuntibus, tum praecipue ex Magnifico Joanne Gróf Vajvoda Nostro earum rerum ordinem quae modo in hac generali Praelatorum, Baronum, et Nobilium Nostrorum Congregatione disposita sint. Quae quidem res quoniam non ad aliquam diminutionem libertatis communis, sed potius ad conservationem ejus tendunt, Fidelitates vestras attentissime requirimus, et eisdem nihilominus firmissimo nostro Regio jubemus sub edicto, quatenus et Vos praefatam dispositionem libenter amplecti et eidem per omnia obtemperare nullatenus recusetis. Nam quum membrum hujus Regni sitis, et legibus ejus vivatis, conveniens est, ut quascumque capitis vestri Ordinationes praesertim tales obedienter acceptetis, nec soli grave putetis id, quod omnes ceteros subire non piguit. Secus prout benevolentiam erga Vos nostram et protectionem diligitis, et prout unum corpus cum hoc Regno esse vultis, nunquam facere praesumatis". Proinde Nuncii, neque ii per singulos, sed omnes universe Comitatus Transylvaniae delecti ad Comitia haec concurrerunt. Summa Decreti anni hujus ad levandum generalem regni exercitum spectat, quem ut detrectare Transylvani nequiverint; tamen de accidentibus rei salvum eorum erat consilium [2]). Quod de subsidiis quoque pecuniae publicae, regulae instar ob-

---

[1]) Epist. Mathiae Corvini LXIV. edit Tyrn. a. 1743.

[2]) Et constitutiones quidem exercituales de a. 1463 dignas sane, quas Mathias approbaret, vide sis inter script. min. rer. hung. T. II. p. 384 et seqq. Confer cum his Nuncii apost. qui hoc temporis in Hungaria versabatur (Script. rer. hung. min. T. II. p. 17) testimonium sequens: „Hanc Transylvaniam incolit gens virilis, quia continuo certant cum Turcis, et educuntur ex illa pro regni defensione circiter 40 mille hominum electorum, tali negotio aptorum." Cetera Ant. Verant. ibidem de situ Transylv. p. 103 et seqq.

servabatur. Jam Joannes Vitézius Episcopus Varadiensis ad familiarem suum in Transylvania anno 1462 scripsit: Ladislaum de Busla Magistrum Curiae reginalis per Regem et Praelatos, Barones, ac universos Regni Hungariae Proceres missum, qui negotium decernendae taxae ibidem procuraret; eum itaque interpellavit majorem in modum, ut ne ipse ceterique se ab aliis Dominis Hungariae sejungerent, quorum quilibet de sua facultate, contributionem et auxilium facere promisit pro sacra Corona et expulsione hostium externorum [3]).

[3]) Epistola in Corvinianis XXXVIII.

§ 9.

De reliquo peragendi apud Transylvanos,

In Transylvania, qui gestum per Oratores negotium subsidiorum fuerit? Paulus Bornemisza Episcopus Veszprimiensis et Georgius Vernherus describunt, missi per Ferdinandum I., ut in ceteris crediti sibi muneris partibus, eam item quaestionem dissolvant, an Nationes Transylvanicae solutione dicarum, quae de consensu aliorum regni Hungariae Ordinum imposita fuerit, teneantur? vel an eas Nationes singulariter pro talibus requirere necesse sit? Ita vero illi: „Constat Transylvanos trium Nationum: Hungaros videlicet et Siculos et Saxones, non tamen solutione eorum subsidiorum, quae aliorum regni Hungariae Statuum consensu a Regibus imponi solent, teneri, sed vetus est mos ad haec usque tempora observatus, ut ejusmodi subsidia ab illis specialiter peterentur. Fuit autem temporibus priorum Regum, ut dicitur, modus iste: ut nobilibus Hungariae, qui primas inter istas Nationes habent, indiceretur Conventus ad oppidum Thorda, eoque Nuncii vel Commissarii a Rege mitterentur, qui subsidii petitionem proponerent etc. Eodem modo indictus fuit Saxonibus conventus ad Cibinium, in quo cum ipsis per

homines Regios de conferendo subsidio tractaretur et decerneretur. Siculis subsidiorum causa indicere conventum non fuit necesse; cum ab omnibus contributionibus exemti haberentur, dempta boum signatura, ad quam tenebantur, quoties Rex coronaretur, aut nuptias celebraret, aut prole aliqua augeretur; tunc enim singuli singulos boves dare sunt obligati. Quoties tamen aliquis Conventus pro re aliqua publica, et ad tres Nationes communiter pertinente, ex mandato Regis habendus fuit, is ad oppidum Vasárhely, quod est in solo Siculorum, indici consuevit, et ad hunc, qui inter Siculos sunt potiores, quos vulgo Nobiles lofő Székelyek vocant, viritim solebant convenire."

§ 10.

et per ceteras territorii s. Coronae partes

Similem gerendorum hujusmodi negotiorum modum tenuit Mathias in ceteris territorii Coronae partibus. Et Ragusanis quidem: „Sacrae regni coronae recuperandae et componendarum discordiarum negotium non minus, quam aliorum fidelium suorum, hujus etiam reipublicae spectare ad salutem; non itaque se dubitare significavit: eandem quoque sicut communi commodo frui, ita commune onus libenter subire velle." [1])

---

[1]) In Epist. P. I. XLVII. De Ragusanae Civitatis erga Reges Hungariae fide praeclarissima Ep. P. II. XI.

§ 11.

negotii subsidiorum modo.

De Slavonia sensu quoque literarum Hermanni Ciliensis Comitis et regni Slavoniae Bani de a. 1404 [1]), per-

---

[1]) Cod. Dipl. T. X. vol. 4. p. 812.

inde ac per **Petrum Ranzanum** [2]) aliosque testes classicos[3]) pro Comitatibus: **Zagrabiensi, Crisiensi**, et **Varasdinensi** accepta, meminisse juvat, quae de universalibus, generalibusque regni **Hungariae** Comitiis, diversoque significatus, utriusque vocis illius, ambitu diximus [4]). Generalia **Hungariae** Comitia **Mathia Rege** ferme annua; universalia de negotiis solum arduis, quae, ut Regis hujus ponam verba, merito ampliori Praelatorum, Baronum et Nobilium consilio, ac praesentia indigerent [5]), habebantur. Atque ad haec tres quoque Comitatus illi **Slavoniae** distinctis singulatim evocati literis Regalibus [6]); nam aliis passim per Oratores, Nunciosque suos

---

[2]) Indice I. apud Schwandtner. ,,Quidquid agrorum est inter Dravum et Savum, cognominari ab incolis Sclavoniam; — quidquid autem est agrorum trans Savum, Croatiam nominant; qua in regione est Modrusium" cet.

[3]) Ranzani fidem probant, praeter plurima alia, literae Mathiae, in quibus, editis a. 1481, Jura Stephani de Frangepan privilegio confirmata suo enumerat. Sunt autem: Castrum Tersacz, et Civitas Modrusa, ac Castella: Bythum, Plazi et Klipzeh; item Castra Hrajlin cum portu Buccarizza et Grobnik, nec non Castella Vinodol, et Drivenik in regno Croatiae; ac similiter Castra Ozail et Ribnich, nec non Castella Tubavaz et Zvetsaj in Comitatu Zagrabiensi existentia. Wagner Collect. geneal. illustr. fam. Decr. II. p. 33. et 34.

[4]) Supra L. III. § 115. n. 7. L. X. §. 16. 17.

[5]) Verba Regalium Mathiae de a. 1468, ad Comitatum Crisiensem, quibus ad diem festi B. M. V., in quam Comitia indixit, duos ex parte ejusdem Comitatus Nobiles adesse jubet.

[6]) Alias item Regis illius ad eundem Comitatum, causa Comitiorum in octavam Decemb. 1473 indictorum literas, vide sis in Illustr. Crit. situs et ambitus Slavoniae eruditissimi Gyurikovicsii mei P. III. p. 133. Et hujus et Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatuum Nuncios Comitiis quoque a. 1447, 1457 adfuisse reperies ibidem.

adfuerunt [7]). Quod si abfuissent, res, quae eorum quoque attingebant rationes, in Slavonia etiam per Oratores Regios [8]) gerebantur.

---

[7]) Ad modum Constitutionis art. 42. 1525.
[8]) Vide sis art. 41. 1521.

§ 12.

Sed Slavonia, hostico vicina, specialibus eapropter exculta per Regem hunc

At vero medio tempore, dum Mathias omnes nervos in bellum bohemicum intenderet, provincia haec per Turcas gravissime afflicta, variis per Regem eum excoli privilegiis meruit. Datam itaque eidem per Nicolaum Gara olim Slavoniae Banum potestatem eligendi Notarium, a. **1465** solenni privilegio instaurat; literis aliis concedit, ut medietatem solum taxarum judiciariarum, quae constitutae essent, dependat, estque veri simillimum: id, quod deinde consuetudinis nomine in art. **12. 1472** relatum est, ab eo profectum esse auctore, ut Slavonia nomine taxarum, censuum, et aliorum pensorum hujusmodi, solam tantum medietatem ejus solvat, quod regnum Hungariae solveret aut solvere consuevisset [1]).

---

[1]) Confirmatur art. 2. 1492, quem a serie praecedentium legum, inepta solum editoris abjunctum solertia esse, pridem observavimus. Exceptiones a legibus his factas vide sis art. 41. 1521 et 26. 1523.

§ 13.

est privilegiis,

Mathias circa a. **1477** Joannem de Thúz et Ladislaum de Egervára Dalmatiae Croatiae et Slavoniae Banos

praefecit, facta iis potestate, ut ad ineunda contra Turcarum impetum consilia Congregationem indicant. Is Rex literis aliis tribuit privilegium Nobilibus regni Slavoniae, penes Banum specialem unum eligendi Capitaneum, qui ipsos ad insurgendum compellat; simul ad quadriennium regno huic taxarum immunitatem fecit [1]).

---

[1]) Vest. Comit. p. 397.

§ 14.

Consuetudo publicis Comitiis deligendi viros „qui et in rebus regiis agendis, Consilio pro arbitrio regni, adhaereant“ [1]) et jus dicant, perstitit quidem, sed provinciam horum Mathias ad solas causas reduxit.

Curam deligendi Senatus, ex cujus consilio Rex tam politica negotia obiret, quam jus redderet, per Ordines regni jam Andrea III. susceptam, et Joanne de Hunyad Gubernatore electo resumptam, animis eorum constanter haesisse art. 32 et 33 Comitiorum a. 1458 probant. Quorum primo sex prudentes et Nobiles viros ex Proceribus munere illo impertiunt; altero, ut Rex his de stipendio provideat, constituunt. Horum opera ecquidem Mathiam ante susceptam Coronam, ut par erat, usum fuisse haud nihil ambigo; postmodum tamen institutum hoc apud eum parvi fuisse, non est quod multis contendam; quando munus Consiliariorum, qui art. 12. 1478 lecti ex Praelatis et Baronibus sunt, diserte jam ad solas tantum causas contentiosas, dicendumque jus per eum revocantur.

---

[1]) Bonfin. IV. l. 3. „formidolosus Optimatibus et violentus esse caeperat; et tacito quodam nutu, se solum imperare, parere ceteros velle indicabat.“

§ 15.

De auctoritate Palatini.

Atque hunc Mossocyus Principem, Articulorum pronunciatorum de Officio Palatinatus, rectius: Commentarii de Juribus, obligationibusque primi hujus regni Magistratus [1]), auctorem facit. Quam ob rem habet ille plures de meliore nota scriptores, vel maxime vero Franciscum Madarassyum in Dissertationibus historico criticis, super quibusdam vetustiorum rerum hungaricarum capitibus [2]) refragantem sibi. Argumenta per hunc allata repetere non est otium, neque necesse; cum cognoscere ex rationibus aliis liceat, non articulorum illorum laborare fidem, sed annum iis 1485 inscriptum esse nimis quam propere. Prisca Judicis Communitatis auctoritate per Leges Andreae II., Andreae III. et Alberti in primum regni Magistratum hunc collata, ad eam dignitas hujus amplitudinem efloruit, ut maxime populares quique Principes observandam illam, non etiam largioribus cumulandam Juribus ducerent. His difficilior Mathias; auctoritatis suae tenacissimus certe fuit. Vix igitur solium adivit, Ladislaum Gara Palatinum suo ipse arbitratu loco movit, eique Michaelem Országh de Guth suffecit; paulo post rursus Országhio amoto, Garaium Magistratui illi restituit. Quid? quod licet Ordines regni nihil prius, nihil antiquius Albertinis Constitutionibus habuerint, electo itaque Mathia,

---

[1]) Verba initio posita „Quoniam praesens Diaeta, sive Congregatio Regnicolarum, pro eligendo et sufficiendo novo Palatino instituta est; ob eam rem, qualis eligi debeat, et quae ad ejus officium, ex antiqua ordinatione pertineant, — ante omnia diligenter consideranda et annotanda sunt. § 1. Ut his cognitis, saniori maturiorique consilio electio ipsa tractari, et talis eligi possit" etc. Commentarium, si quid video, significant.

[2]) Dissimulato nomine Posonii typis Belnayanis a. 1832 editis p. 134 seq.

omnium primum iis fuerit, has (art. 1. 1458) pro principali regendi norma ei praescribere[3]); nulla tamen harum, sed Ludovici, Sigismundique tantum Constitutionum in Decreto ejus coronationali (de a. 1464) memoria injecta[4]), lexque de Palatino publicis eligendo Comitiis silentio supressa, nemoque repertus sit, qui hanc Garaii, aut Országhii, seu potius Juris regni de electione Palatini vicem quereretur. Ab hoc igitur seu imperio seu servitute eam, qua literae hae exuberant, liberalitatem repetere vix possis. Quod si interim in die et Consule errorem cubare concesseris, et quidquid iis continetur, ad Uladislaum II. transferre; tantum abest, ut de fide earum dubitem, ut potius medio usque ad a. 1521 tempore literas has concinnatas prope exploratum habeam. Quorsum enim Articulus 36. 1521, qui diserte „certum esse, ait, Regiam Majestatem solum esse Principem, Regem, Ducem Rectoremque et Capitaneum nostrum, ejus igitur auctoritate, unum vel duos Capitaneos generales constituendos“. Quorsum illa art. 44. 1523 „et quod Capitanei ipsi non aliorum, nisi suae Majestatis proprii sint famuli atque servitores“ nisi sententia literarum, de quibus sermo nobis est: „Palatinum ex suscepto officio generalem et supremum esse Capitaneum Regni et Regnicolarum“ jam antea legis instar pervulgata fuisset? Mitto cetera: hoc sine veri injuria praeterire non possum: errare virum illum alioquin eruditissimum, quando „omnem articulorum horum vigorem in eo consistere, ait, quod Corpori Juris inserti et usu tali quali interpretativo acceptati videantur“. Quae ejus verba clare indicant: non eum art. 1. 1681 recorda-

---

3) Art. 1. 1458 „Conclusum est: ut Decretum quondam Serenissimi Alberti Regis, quoad omnes articulos, praeter articulum duntaxat, prosecutionem causarum plurimarum enormium, et trinam forensem proclamationem exprimentem, in suo vigore debeat remanere.

4) Art. 1. 1464 et Conclusio Decreti hujus.

tum esse [5]), per quem, quid quid hoc est seu Commentarii, seu, uti apud Romanos, responsi Prudentum, seu Legum, firmissimo in omnia tempora munitum est praesidio.

---

[5]) Art. 1. 1681 Sua Majestas eundem Dominum Palatinum in pristina Jurisdictione et auctoritate Palatinali juxta Conditionem 7. b. Diplomatis Regii et in eodem citatas leges, prout et art. 30. 1659, Mathiae Regis Decr. V. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. de Palatinatu subnexos etc. b. sit conservatura. Vide etiam § 4. art. 5. 1715.

§ 16.

Numerum Baronum Regni Magistro Curiae Regiae auxit.

Magnum Seneschalcum, more ceterorum per Europam Principum, significatu **Magistri Curiae Regiae**, numero Baronum regni Mathias inseruit; quo enim claritudine generis minor, eo majorem in magnificentia et splendore adhibendam sibi ratus est diligentiam. Idonei rerum hujusmodi testes adfirmant: ex Regibus quidem aevi hujus neminem unum fuisse, qui copia pretiosissimae supellectilis, magnitudineque gazae Regiae contendere cum Mathia potuerit. Quod ejus studium ostentandae potentiae, non ad solam modo Aulam Regiam referebatur; legati ipsi, ut, quoad ejus fieri posset, maximum apud exteros luxum explicarent, mandatum sibi habuere. Sed ad nomen Seneschalci redeamus. Occurrit hoc jam in veteribus Regum quorundam Diplomatibus [1]); usu aetate Regum Andegavensium innotuit maxime. Leustachius, filius Rolandi de Rátolt, qui allata ad Ludovicum Barlati agentem magna et militum et aeris copia, a fide et assiduitate laudatur, **Seneschalci** nomen, munusque in Cu-

---

[1]) Cod. Dipl. III. v. 1. p. 236 et 324.

ria magni Regis illius gessit [2]). Leges vero Mathiae (art. 37. 39. 1459, item 6. 1463) testantur, jam Dominis quoque privatis in Hungaria Seneschalcos fuisse suos, in serie ministerialium habitos, quibus causa provisionis Curiae Dominorum abesse ab exercitu licuit. Hi apud Transylvanos jam tum Magistri Curiae vocabantur [3]); neque apud eos tantum, verum in Hungaria quoque Buslaium Magistrum Curiae Reginae appellatum, superius diximus, et Moyzem Buzlaium in literis publicis de a. 1506 per Vladislaum supremum Magistrum Curiae suae (magnum Seneschalcum) appellari satis constat. Assentior itaque Carolo Belio de Archiofficiis Regum Hungariae ita existimanti: Seneschalcum, quidquid domi et in peregrinatione, ad magnificentiam Regiam pertinebat, curasse: dignationem autem muneris Magistri Curiae eam, qua hodieque pollet, Mathiae auctori attribuo [4]).

---

[2]) Fuit simul Comes Simeghiensis. De utroque hoc ejus munere vide Chron. Dubnicz. in Chronico Budensi Podhradszkyi pag. 301, 319.

[3]) Vide leges Transylv. de a. 1463 inter scriptores min. rer. hung. Kovachich p. 385 et seq.

[4]) Latuerunt nempe Belium articuli Rákosienses anni 1525, quorum secundus „universa, ait, officia tam Regiae, quam Reginalis Majestatum, videlicet: Magistratus Curiae, Cubiculariatus, Tavernicatus, Pincernatus, Dapiferatus, Agazonatus et Portarii Majestatum suarum cet. hungarae nationis duntaxat hominibus conferantur."

§ 17.

Idem ad augendum solii regalis splendorem Praefectos partibus regni, et castris finitimis Principes appellavit.

Mathias testimonio literarum suarum de a. 1487, praeter Barones exofficio, Principes quoque, et in horum numero Banum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Des-

potum Serviae, Banum Bosniae [1]), Vajvodam Valachiae [2]), Vajvodam Austriae, Banum Machoviensem [3]), Banum

---

[1]) Idem, qui Banus Jajczensis, quem hac Bosniae parte Mathias constituit; a cura, ne Stephanus Bosniae Dux, qui simulata cum Sede Romana unione, Regiam dignitatem a Pio II. sibi conferri petiit, voti sui damnetur, virilique, dum res cum solo adhuc Stephano erat, in vindicando Jure Regum Hungariae constantia, in Epist. 26, 27, 28 conspicua, merito laudandus; quod enim postmodum causa Bohemiae acquirendae justissimam Coronae Hungariae de reliqua Bosnia per Mahometem II. subjugata Causam penitus deseruerit, vix erit quisquam, qui probet.

[2]) Valachia trans Alutam et Moldavia veteribus Cumania generatim vocabatur. Cujus Episcopo Andreas II. partem redituum, quos a Cumanis perceperat, in victum cultumque cessisse in lit. Gregorii PP., de XIV. Kal. Decemb. 1234 apud Katona H. Cr. T. V. pag. 707 perhibetur. Caroli Roberti in Valachiam adversus Bazaradum expeditionem suo loco attigimus. De oblatis per Stephanum Moldaviae Vajvodam Fisco Regio Sigismundi in recognitionem Dominii naturalis, solitis donis Katona itidem H. Cr. T. XI. p. 192. Mathias de Moldavia haec a. 1468, Epistolarum suarum P. IV. 28. ad Polonos: „Terram illam nostri juris esse, antiquissimus et continuatissimus Praedecessorum nostrorum Regum Hungariae titulus declarat, non quidem inanis, sed possessione nunquam interrupta munitns. Nam ut vetustiora nunc omittamus, post memoriam hominum Vajvodae Moldavienses semper Regibus Pannonicis serviverunt, et provincia illa nullum habuit Praesidem, nisi hinc approbatum vel immissum, usque eo, ut genitor noster, qui tantum Gubernator erat, plures illic successive, ad libitum et sine contradictione praefecerit Vajvodas. Quae omnia variis Inscriptionibus, si quae fortasse in contrarium proferri possent, validiora et efficaciora esse dignoscuntur". Haec ad literas Capitulat. Vlad. I. superius citatas. Reliqua vide sis apud Madarassy Dissert. super quibusdam rer. ung. cap. p. 90 et seq.

[3]) Occurrit etiam art. XI. Decr. IV. Mathiae Regis „ut Judicia Octavalia in Sede Banorum Macsoviensium a modo in posterum non celebrentur". Item art. 33. Ulad. II. Decr. I.

Nándor Albensem[4]), Banum Zevrinensem[5]), Comitem Temesiensem et Posoniensem habuit. Iisdem literis[6]) Barones ei naturales in Hungaria: Dux Laurentius de Ujlak, Comites de Frangepanibus, Comes Scepusiensis, Comites de s. Georgio et de Bazin, Comites de Corbavia, Comites de Zrinio, Domini de Losoncz, de Perin, de Rozgon, de Bátor, de Gara, de Hedervára, de Megyes allya, Dominus Ország de Guth, Domini de Ellerbach, Domini de Pamkirchen, D. Joannes Ernust, Domini de Lindva, Domini de Bakos censentur[7]).

---

[4]) Ita Hungari Belgradum in Servia vocamus; Episcopus quoque loci hujus in Diplomatibus Caroli I. se Episcopum Albensem de Nándor vocat.

[5]) Comitatus olim, dein in Banatum elevatus, Severinensis, veteribus Zevriniensis Hungaris Szőreny, prope rudera pontis Trajani; hodie Banatu Temesiensi continetur.

[6]) Vide Schwartner Introd. in rem dipl. Budae 1802 et literas Ulad. II. de a. 1506 in auctario Kollari ad Ursinum Velium.

[7]) Huc faciunt sequentia ex Relatione de statu et proventibus regni Hungariae, tempore Regis Mathiae, per Nuncium Apost. conscripta apud Kovachich. Script. min. T. II. p. 30 ,,Ex Dominis secularibus Ország Mihály magnus Comes. Hic est magnus et baro naturalis et thesaurarius, Joannes de Rossengo (Rozgony) Rinoldus ejus frater, barones naturales, Secundar Simon cum suo fratre et Pauluzzo, Simon Seculo, Thomas Prior Veranae, (sic) aliique barones naturales.“

§ 18.

De re militari

In laudibus Mathiae peritia rei militaris prima est Incubuit ille in hanc singulari penitus industria, planeque sic, ut exterorum etiam judicio, inter Belliduces sui temporis, sine controversia, princeps censeatur. Huic jam altero regiminis anno amplior, quam pro constituta pe

Sigismundum norma, numerus militis oblatus [1]), tempusque faciendae militiae ad tres menses productum [2]).

[1]) Vide Matthiae Regis Decr. Szegedinense de a. 1459, speciatim art. 10. ex quo universa Nobilitas possessionata tam banderiata, quam non, a singulis 20 Jobbagionibus unum equitem bene armatum educere tenebatur.

[2]) Art. 16. 1459.

§ 19.

plurimae hoc Rege

Lege deinde Comitiorum a. **1463** (art. **12.**) armorum descriptae species. Et Nobiles quidem, quibus centum erant coloni, loricam cum collario, cassidem, pectorale, clypeum, lanceam; familiaresque duos, simili praeter pectorale armatura; nobiles alii, quorum fundi ejusmodi, quinquagesimum numerum attingebant, loricam, collarium, cassidem, pectorale ac lanceam habere jubebantur. Quod mansit deinceps etiam, sed anno **1471** numerus statuendi militis ad legem Sigismundi reductus [1]); in Comitiis denique a. **1474** decreto in aere subsidio, diserte cautum, ne facere militiam Regnicolae, nisi contra Turcas teneantur [2]).

[1]) Art. 7. 1471 ut a 33 sessionibus miles unus praestetur.

[2]) Art. 7. 8. 1474.

§ 20.

conditae sunt leges.

Additum hoc legi vinculum fuit, ut Rex a bello avocaretur, quod post depulsos Bosnia Turcas, hortatu Pauli II. P. M. factaque per Caesarem, Bohemiae sibi in feudum conferendae spe, Podiebrado commovit, et postea,

quam Olomuczii potiorum Bohemiae, Lusatiae et Silesiae Optimatum suffragiis Rex Bohemiae salutatus fuisset, contra Vladislaum Polonum, oppositum sibi maxima gentium harum voluntate Regem, continuare perrexit [1]). Bellum id jam in principio non Praelatis solum, qui Pontificis indulgentia in partem sumtuum vocabantur, sed quod nulla satis justa ejus causa suppeteret, aliis quoque plurimis Hungaris invisum; medio vero tempore tantum detrimenti provinciis juris hungarici, ex utraque Danubi parte, allatum per Turcas est, quantum commodi ex ea in Bohemos expeditione, etiam prospere si cederet, exspectar non quibat. Cupido tamen potiundi regni illius tam alte animo Regis insedit, ut ipsa salutis Hungariae ratione videretur potior. Divertit ille quidem semel atque iterum ad confinia; nihilo tamen egit plus, quam quod ad retinendam Pontificum Romanorum in se liberalitatem et, ne sollicitandi ab Ordinibus regni quotannis subsidii praetextus deesset, pro sagacitate ingenii sui non agere non potuit re enim ipsa curam expeditionis in Turcas, ad tempus seposuit, quum Bohemia in potestatem redacta, castigataque varietate voluntatis Friderici, gloriae suae fecerit satis Itaque „bellum Turcicum nunquam defuit“ [2]).

[1]) Bonf. IV. l. 3. Uladislao Rege per Bohemos proclamato, „Cum veluti res gesta fuerat, Mathiae continuo retulissent, Rex spe sua frustratus in Bohemos excanduit, et, quamvis saevum de Turco nuncium dudum accepisset, in Savo nova moliente, nihil tamen de ira et ultione remisit“.

[2]) Bonf. D. IV. l. 3.

§ 21.

Artes bellicas, disciplinamque rei militaris Romanam

Institutum militiae stabilis, seu laudandus auctor, seu reprehendendus videatur (gratia enim rei ambigua est

per Carolum VII. Galliarum Regem tenui caeptum [1]) initio, Mathias Romanorum imitatus mores excoluit. Haec in equites et pedites qua gravis, qua levis armaturae divisa, bello Austriaco in triplicem partita exercitum [2]) fuit; Hungarorum primum, Bohemorum alterum, in quo legio nigra praecipue laudatur, et tertium Rascianorum, atque hunc quidem totum in velites digestum. Pars peditum quinta pixidariis constabat, quorum necessitatem paulo ante inductus pulveris nitrati usus imposuerat [3]).

[1]) Daniel Histoire de la milice Française.

[2]) Bonfin. Decr. IV. l. 5.

[3]) Idem Decr. IV. l. 7. Vide etiam Epist. Math. apud Timon Epit. 634 et de laudibus militar. Matth. Tud. Gyűjt. a. 1823. T. II. vulgatum etiam lingua germ. in Archiv für Geschichte cet. 1824.

§ 22.

Hungaricamque

In exercitu, qui Neapoli Austriae (Neostadio) deditione capta, ad occupandas Noricorum fauces contendebat, arros circiter novem mille Bonfinius vidit. Hisque Hunaros pro fossa, valloque munire castra ad memoriam rodidit. Quo nihil animis ad accuratam intelligentiam rum hungaricarum comparatis adferre gratius poterat; ios sic ad vetustissimi revocat moris Hunnorum Hunrorumque recordationem [1]). Hoc Bonfinius praeter alia Castris: plura de moribus, disciplina, castitate militis, njuge procul liberisque, hanc viventis vitam, ut tam ne morata alibi contubernia, ne legendo quidem se mperisse fateatur. Neque minus amoenum est, quod decades ejus Lisztius Pontifex Veszprimiensis adnovit: in instruenda acie hanc porro quoque obtinuisse

[1]) Bonf. Decr. IV. l. 8. Nos supra l. I. § 12.

consuetudinem, ut praesente Rege, cornu dextrum Banu Croatiae, sinistrum Vajvoda Transylvaniae teneret [2] Coaevum ad haec originibus institutum cogita de retinendi per homines nostros, quos quis bello fecerit, captivi etiam aetate Mathiae integrum [3]); satisque, ni fallor, ha bes, ut in exercitu versari te sentias, Atilae Arpadiqu informato legibus.

[2]) Apud Kovachich Script. min. T. I. p. 337.

[3]) Supra l. I. § 3.; l. III. § 175.

§ 23.

conjunxit.

Sed nimirum his gentes, tribusque ita singulati divisae, ut pars domi rem facerent, pars armis darer operam [1]); ex Romanis Octaviano Caesari miles mercen rius placuit. Et Romanos itaque et Latinos ac Italos n cessitate militiae exolvit [2]). Idem Mathiae propositur Stipendium hic mercenario militi, qui de legionibus er socero suo Ferdinando Siciliae Regi in subsidium missis [3] ac equitibus quidem gravioris armaturae annuos aure sexaginta, aliis, **Huszaris** vulgo, quadraginta; peditibu gravioris armaturae sexaginta quatuor, levioris trigin duos admensus est. Domi Huszaris ad trimestre dece peditibus floreni tres pendebantur [4]). Numerum militi hujusmodi, detractis clitellariis, veredariis et aliis operi sine quibus negotia belli geri nequeunt, quatuor et t

[1]) L. II. ad § 5.

[2]) Herodian. Hist. II. 11.

[3]) Ex Epist. Math. ad Card. Arag. de a. 1481.

[4]) Barones, qui vi muneris stataria intertenere banderia d bebant, ex pacto cum nonnullis eorum jam a. 1459 inito, pro l ad quodque trimestre 4000 fl. auri habebant.

ginta armatorum millia fuisse existimat Fesslerus [5]. Neque ego ei obnitor; tantum addo: praeter mercenariam militiam, alias quoque fuisse copias, in quas stipendia erogabantur et speciatim: equitibus banderialibus, qui ad castra finitima excubabant, annue octo florenos [6]; ad sumtus conservationis arcium Bistricii, Görgény, Déva, Hunyad et Turris rubrae quotannis ducentos florenos [7]) Baronibus et Nobilibus, ultra fines regni, in singulos menses, pro equis singulis tres, et nonnullis quatuor aureos depensos [8]; generali Siculorum in Transylvania collustratione instituta, confectisque equitum, quos vetustissimo vernaculo nomine Lófő székelyek dictos, latine Primipilos vocari jussit, et peditum gyalog székelyek tabulis [9], Ordini utrique pro eo, quod ultra prisci munus officii sui praestarent, de stipendio provisum esse. Ex quibus cum facile quisque colligat, quanti Mathiae in militiam sumtus fuerint; jam quos ad sumtuum horum molem sustinendam modos iniverit, videamus.

---

5) Op. cit. v. 5. p. 479.

6) Vide form. Styli Cancell. Math. Regis p. 509 num. 87.

7) Ederi Observ. ad Hist. Transylv. Excur. II. p. 200.

8) Nuncius Apostolicus jam alias per nos laudatus de Hungaria, ac nominatim Baronibus et Nobilibus universe dicit: „quod si velit Rex praefatos educere extra fines regni, iis tenetur stipendium 3, sin 4 ducatorum dare in mense pro uno quoque equo.“

9) Benkő imago inclytae in Transylvania nationis Siculicae p. 50 et seqq. Conf. etiam Kovachich Script. min. T. II. p. 387. Engel Gesch. des ungr. Reichs, III. Theil, p. 40.

§ 24.

Idem nominibus lucri Camerae ac Tricesimarum cum alio tributi Fisci ac vectigalis coronae commutatis quae per Reges a lucro Camerae et Tricesima concessa quibusdam immunitas fuit, cum consensu Ordinum regni antiquavit.

Jam primum in re tributaria magna per eum facta commutatio est. Comitiis a. 1458 art. 10 lucrum Camerae in Hungaria, quinquagesimas in Transylvania marturinas in regno Slavoniae ad modum, qui tempore Ludovici regis obtinuit, exigendum pollicitus, quod ante aetatem suam invaluit, ut „cum lucrum Camerae, a quo Cleri et potentiorum quorumque Dynastarum populi immunes erant, aerario parum redderet, taxae nomine in gravioribus reipublicae necessitatibus jam integer, jam medius florenus auri ostiatim imponeretur" id per se committendum non esse, juramento spondere Mathias debuit [1]). Ordinarii itaque redditus aerarii ejus, initio non ultra ducentena millia ducatorum fuerunt [2]), exiles sane

---

[1]) „Item, quod prout Dominus Rex praestitit juramentum quod nullo unquam tempore super Regnicolas, et Jobagiones regnicolarum taxae unius floreni vel medii floreni aut aliae exactiones indebitae, ex quacunque ardua ratione per Dominum Regem, aut ad eum pertinentem petantur, vel imponantur praeter lucrum Camerae ex antiqua consuetudine exigi solitum."

[2]) Ita Legatus Apostolicus in Script. rer. hung. min. T. II. p. 30; meminisse tamen oportet, Mathiam, dum haec ille scriberet, nondum incinctum Corona fuisse. „Quodsi — continuat idem — pro regni bono opus sit aliqua pecuniae summa ob gravia negotia, oportet ut generale Concilium indicat et congregari curet omnes Barones eclesiasticos et seculares, nec non Nobiles et provincias regni et in dictis Congregationibus facultatem obtineat imponendi nova onera dicto regno et prout in dicta Convocatione definitur, sic decernit Rex et nihil ultra."

pro magnitudine sumtuum, quos sibi imposuit. Egit igitur, effecitque Comitiis a. 1467, ut nominibus lucri Camerae et tricesimarum, alia tributi fisci regii; et vectigalis Coronae appellatione commutatis [3]), quae privilegiis Regum, tricesimae lucrique Camerae nomine, tributariis data, in locis autem quibusdam ad Dominorum derivata peculium est, immunitas, hac nominis commutatione ita antiquaretur, ut novis quidem titulis his non plus, quam antea, sed per plures, omnes nempe, solis modo Nobilibus regni exceptis, penderetur, essetque haec tributi fiscalis debitio perpetua. Quo sic generatim edicto, cum non deessent, qui novae constitutionis hujus officium ad praediales etiam Eclesiarum Nobiles recidere arbitrarentur, Mathias dubium, ex ratione analogae horum Nobiliumque regni praerogativae, Diplomatibus suis resolvit.

---

[3]) Vide Mandat. ejus de Vectigali Coronae ad Civitatem Eperjesiensem in Vest. Comit. p. 373 et seqq. — aliud item de tributo Fisci ad Comitat. Posoniens. ibid. pag. 375 utrumque de a. 1467. Item fragmentum Decr. Math. Reg. de anno hoc in Syllog. Decr. Com. p. 190.

§ 25.

Subsidia (hoc enim jam deinceps Collectis, lucro Camerae, taxisque veterum nomen)

Primum ab adito per Mathiam regno subsidium a. 1462 Coronae redimendae causa oblatum. Quod ne in morem abeat, quomodo Majores consuluerint sibi, novimus. Comitiis a. 1468 Mathias, quae hucusque in Moravia et Bohemia gessisset, propriis impendiis, ad perdomandos religionis eosdemque regni hujus hostes (ita Hussi sectatores vocabat), gesta esse bella; his perdomitis, facile alium quemque potissimum licet inimicum regni confundi posse prolocutus, nervos belli, pecuniam postulavit; eaque

impetrata, literis testatus, nolle se ut similium taxarum receptio in usum veniat, vades habuit Praelatos, et Barones regni. Praefationem Decreti ejus de a. **1470** si audias, opem similem ob imminentes Turcas, regnum ei ultro obtulit. Et hic jam in Proëmio Rex; Barones et Proceres ad calcem promittunt regno, de taxa extraordinaria aut subsidio ad quascumque necessitates, contra voluntatem eorum, nunquam imponendo; paulo itaque aliter, quam verba concepta art. 58. **1458** (vel peti taxas ejusmodi vetantes) loquantur; quod deinde Ordinum regni consensione a. **1471** art. **11** aliisque inveteravit.

§ 26.

semper obtentu movendi, quod unum Ordines regni maxime optabant, in Turcas belli sollicitavit;

Subsidium per Regem a. **1474** flagitatum duplici jam alligatum conditione fuit: primum ut decreta pecunia non alio, quam in belli Turcis inferendi sumtus convertatur; deinde ut singulis portis tantundem de sale obveniat, quantum rata subsidii hujus pars effecerit. Atque hoc illud est subsidium per connumerationem salium, quod legibus iisdem et decretum, et, deinceps decerni vetitum est.

§ 27.

etiam quae in bellum bohemicum et austriacum impendit.

Regalibus literis, quibus Comitia a. **1475** concivit, bello bohemico „non suo, uti obtendit, sed eorum, quos tunc ad latus praesto habebat, consilio, Caesarisque et Pontificis M. causa suscepto, longioribus nuper induciis sopito, juxta regni desiderium et suam magnam, quam semper habuisse simulabat, affectionem contra naturales suos regnique hostes Turcas movere se velle“ denunciat, impetratoque itidem subsidio, ne verba tantum fecisse videretur, levi in Serviam procursione facta, Sza-

bacsum obsidione cepit, erectisque trinis ad oppugnandam Senderoviam castellis ad nuptias rediit, ut laetas Budae, sic militi isthic relicto et omni late viciniae, cui Turcae quadraginta hominum millibus in captivitatem abstractis ferro et igne vastatae foedam solitudinem induxerant, funestissimas [1]). Hos deinde a. **1476** Steph. Bathorius Moldavia depulit; et triennio post rursum celeberrimo in Kenyérmező praelio vicit; Rex enim comperto, Caesarem feudum Bohemiae Vladislao contulisse, illi pridie Idus Junii a. **1476** bellum indixit, gestum prospere, sed quod pace Corneuburgensi et investitura regni Bohemiae et Electoratu Mathiae pari, atque Vladislao forma collato, non tam terminatum, quam sopitum est.

---

[1]) Bonf. D. IV. l. 4. De frequentandis locis his in solitudinem redactis, quod Mathiae fuerit consilium, quisve populi de hoc sensus, ex hac ejus ad Cardinalem Arragonium Epistola cognoscas: ,,Sunt non nullae regiones et provinciae sub Corona nostra adeo per continuas Turcarum incursiones et rapinas desolatae, ut poene in solitudinem versae sint, in quibus rarissima vel nulla tuguria et inhabitatores perpauci visuntur. Quas provincias cum nos per adductionem hominum de terris hostilibus populosas efficere volumus; nonnulli militum nostrorum conscientiam offendere veriti, praedas hominum jussu nostro ab exteris terris et regionibus in hoc regnum nostrum adducere recusarunt. Ut igitur talium personarum scrupulosis cogitationibus succurratur, — rogamus, velit, obsecrare — Sanctissimum Dominum nostrum, ut Sua Sanctitas de benignitate et clementia apostolica nobis et nostris indulgeat, homines quoscunque ex terra hostili arripere — absque aliquo conscientiae scrupulo asportare et in regnum nostrum, regionesque vastas collocare, et aliter, prout in servitutem personas quascunque in terra hostili captas redigere.“ Haec ad Mathiam interioribus notis illustrandum, novoque argumento demonstrandum sobrium, humanum, nec humanum modo, sed plane civilem ineruditorum Majorum nostrorum sensum; qui nisi a literis augescat, quid refert esse eruditum?

§ 28.

Atque huic mori suo, post discussa bella civilia, majorem etiam in modum inhaesit;

Pacis hujus meminit Mathias in literis, quas Korneuburgo sub finem a. 1477 de Comitiis in Hungaria celebrandis vulgavit, simultatum item, quae inter Bohemos enatae eum quoque distinerent. Per oratores tamen, aerarii, Fiscique sui questus exilitatem, ab Ordinibus regni florenum unum a singulis portis „ut et necessitati suae providere et defensioni regni, contra insultus Turcarum magis intendere possit" in quinquennium obtinuit, neque jam est quisquam in rebus nostris tam peregrinus, qui nesciat, subsidia haec, nullo respirandi spatio concesso, usque dum is in vivis fuit, continuanter pensitata fuisse. Uti enim bellum bohemicum, austriacumque, non perinde etiam fama militaris virtutis hungarorum bellis his aucta indifferens multis fuit; nam alios ne dissentirent, partim calliditate, proprioque sibi colligendae benevolentiae artificio, partim terrore Princeps impulit, qui in Transylvanos ob tributorum magnitudinem, abrupta fide, Regem eligentes sibi, perquam acerbe animadvertit [1]); Joannem Vitézium Archiepiscopum Strigoniensem, quod ad resananda non solum Eclesiae suae, sed Regni universi juribus imposita vulnera, et Rem publicam, cui neglectos per Mathiam Turcas perniciem olim daturos praesaga veluti mente providit, hac maxime parte curandam, evocandi Casimiri auctor erat, simulata reconciliatione ad se evocatum in custodiam posuit; Petrum Colocensem Antistitem sibi ante omnes alios charum, quia de perpetuo hoc tributorum onere anno 1484 vulgo et apud Proceres reprobavit, in ergastulum conjici jussit, quoad ipse viveret, inde neutiquam dimittendum. Haec hactenus,

---

[1]) Thur. P. IV. c. 66. Bonf. IV. l. 1. Tum Homagium (hostimentum) Nobilium in Transylvania ad sex et sexaginta florenos reductum. Verbőczy op. trip. III. tit. 3.

ut sensim percipias, eoque cognoscas verius: in illo Legum rerumque per Mathiam cum exteris gestarum splendore, quam parum beatitatis civilis fuerit domi.

§ 29.

neque enim jam in Comitiis, sed in Congregationibus Districtuum, et tandem per literas ad Comitatus datas de pendendo subsidio actum.

Tremefacta libertate vocis publicae Mathias, quod nitebatur, assecutus est, ut res Comitiorum apud populum penitus refrigesceret, subsidiumque per Praelatos et Barones in Diaeta Budensi a. 1487 oblatum, per reliquos Ordines jam in provincialibus Districtuum Congregationibus decerneretur; tandemque bello Austriaco defunctus, praetexta rursum ducendae adversus Turcas expeditionis causa, ex sola jam Praelatorum Baronumque ordinatione, datis ad singulos Comitatus literis, subsidium medii aurei de bonis quorumque conferendum tuto imperaret. Comiti, Vice-Comiti, et Judicibus Nobilium mandata provincia, ut in reluctantes dictatis etiam pecuniariis mulctis animadvertant [1]).

[1]) Vide literas hujusmodi, inter formulas (!) Styli Cancellariae Mathiae Regis num. 73, pag. 197, 198.

§ 30.

De alio non nomine, non exemplo antea cognito,

Haec de subsidiis taxarum nomine nec antea ignotis; sequuntur jam, de quibus ingratus in Mathiam, gloriae nominis hungarici amplificatorem videar, si dicam; et vicissim in leges historiae peccem vehementissime, si taceam. Kovachichius Bonfinium gravatur asseverantem: arbitrariis Mathiam exactionibus Ordines regni

omnes adflixisse. Ego vero scriptorem hunc viri functum esse officium judico ingenui, testeque ipso itidem Kovachichio utor [1]), qui postquam animum paulo melius ad cogitandum instituisset, scribere pergit: „Studium Regis hujus corradendae unde unde pecuniae [2]) alias etiam apparere: in more positum ei fuisse: convictis in facto potentiae gratiam ea largiri conditione, ut totus deinde Comitatus certam taxam dependat."

---

[1]) Supplem. ad Vest. Com. T. II. p. 235.

[2]) Nec gratiorem ei prae Laurentio Roverella seu Roborella Episcopo Ferrariensi Pauli II. ad a. 1470 apud nos Nuncio, alium quemquam Roma virum advenisse puto, velut, qui auctor ei fuit, ut Episcopos, Abbates, Praepositos, Capitula, Coenobiaque certam redditum partem aerario quotannis inferre juberet. Bonfin, Decr. IV. l. 3. Szvorenyius o. c. T. IV. p. 69, 116.

§ 31.

tributi genere.

Et generalia quidem in fures et latrones Judicia, nisi erga depensionem taxae hujusmodi, celebrari non admisit. Haec illi onus Judicii generalis, seu Palatinalis dicta, Birsagium significabat, quod pro facultate malis Comitatum hominibus purgandi, Regio inferebatur aerario. Fuit autem sumtus hic ad pecunias descensuales (pro descensu, victu solvendas) additus, ipsis poene maleficiis gravior plebi. Comitatus itaque Zaladiensis se ab Judicio hujusmodi, in quinquennium relevari jam a. 1467 petiit. Mathias vero, quod novationem hanc calamitate publica in locupletandum aerarium abutendi, unam e praecipuis fuisse causis noverat, per quas Ordinum regni a se fidem, amoremque avertisset, art. 5. 1471 „Judicium generale deinceps, nisi secundum consuetudinem regni, celebrandum non esse promisit." Magnus sane vel post eam labem Rex, si qua legem hanc facilitate sibi

imposuit, pari eandem praestare constantia perrexisset. Sed enim, vix dum conclusis Comitiis, ad morem suum rediit, seditionibusque restinctis, huic ita inhaesit, ut anno 1478 lex conderetur „ne intra quinque sequentes annos per Comitatus regni Hungariae Judicia haec celebrentur, propter inopiam regni! in Comitatibus tamen Posega, Valko, et Szirmiensi, in quibus furta, latrocinia malaque alia grassarentur, haberi citra tamen birsagia possint" [1]). Ex quo, alio item art. 14. 1481 „ne Rex intra anni spatium in corpore regni Hungariae generale celebret judicium" satis intelligas: per diuturnam avaritiae Fisci, inopiaeque plebis luctam, huc esse res adductas, ut tutelae hujus non consuli aliter posset, quam per leges, quae non retinacula licentiae, verum potius temeritatis essent invitamenta [2]). De quibus ipsum jam, si placet, Mathiam audias, cujus literae hanc in rem, ad Comitatum Posoniensem datae ita habent: „Mathias Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatiae, Croatiae etc. Fidelibus nostris universis et singulis nobilibus et alterius cujusvis status possessionatis hominibus Comitatus Posoniensis salutem et gratiam. Cum nos inter ceteros Comitatus regni nostri, etiam in Comitatu vestro Judicium generale seu palatinale in proximo celebrari debere deliberavimus. Igitur nos hunc fidelem nostrum magistrum Nicolaum de Raan Cancellariae nostrae Notarium, latorem scilicet praesentium, qer quem de intentione vestra, utrum scilicet judicium acceptare, vel vos redimere ab ejus onere vultis, experiremur in medium vestri miserimus; mandantes fidelitati vestrae, quatenus aut judicium ipsum acceptetis, aut si vos ab ejusdem onere redimere vultis, statim nulla mora protracta ita faciatis pro redemptione vestra, sicuti vicini vestri, nobiles scilicet de Comitatu Nitriensi faciunt, hoc est: praefato homini nostro praesentium ostensori, ad singu-

---

1) Art. 7. 1478.

2) Conf. art. 33. 1514.

los populos vestros singulariter, juxta modum et computum, quo ab eis his diebus tributum fisci nostri regalis exactum est, singulos septuaginta quinque denarios monetae nostrae regalis imponi, impositosque certissime exigi permittere debeatis. Nos enim sicuti dictos vicinos vestros et alios de ceteris Comitatibus, qui se redemerunt, exemimus a judicio et etiam vos exemptos habebimus; Praesentes si secus feceritis reddatis praesentanti. Datum in descensu nostro exercituali intra Moraviam prope oppidum Law, in festo inventionis s. Crucis 1468" [3]).

[3]) Harum mihi copiam Ex. D. Josephus e Comitibus Teleky M. Princip. Transylv. Gubernator fecit. De descensu exercituali ad Law vide sis in Epist. Corvin. P. III. 37.

§ 32.

Leges Mathiae Decreto VI. comprehensae:

Decretum hoc a. 1456 maximam partem in genere judiciali versatur; habet tamen multa, ad nostri etiam operis hujus thema facientia. Axioma illud propria Mathiae manu limini Decreti hujus [1]) affixum: decet Reges, Principes, qui superna dispositione in supremae dignitatis specula constituuntur, non solum armis, verum etiam legibus esse decoratos, et bonorum stabiliumque potius institutorum rigore; quam absolutae potentiae vel damnandae abusionis severitate populos subjectos et simul Imperii sui habenas moderari, quis mihi jure non succenseat, si praetermittam? Verba enim sunt maximo digna Principe, qui his semetipsum quodammodo monet, castigatque; cui igitur, quidquid ante erraverit, nemo non lubenter remittat, modo haec divina praecipienti sibi deinceps gerat morem.

[1]) Confirm. Decr. hujus § 1.

§ 33.

a) de Judicio generali, duello cet.

Et de Judicio quidem generali seu potius adnexo huic abominabili birsagio Mathiam fidem axiomatis sui exolvisse libenter crediderim. Judicium enim ipsum ita abolet, ut si per hoc maleficorum multiplicaretur numerus, Comitatus recurrere ad Regem, hic autem facultatem ei, Comitique, sentinam hanc ex provincia ejiciendi concedere debeat. Quod deinde lege Ulad. II. ita mutatum est, ut malefactores hujusmodi exterminandi, id vero est: exercendi peremtorii (statarium vulgus appellat) juris potestas iterum ad Palatinum vel Judicum Curiae revocaretur [2]). Lex alia de proclamatis Congregationibus nullam appositam sibi conditionem similem habet [3]). Duellum vero ad solas tantum causas, quae ad Curiam Regiam militarem pertinerent [4]), provido restrictum est consilio.

1) Art. 1. 1486.
2) Art. 35. 1492.
3) Art. 2. 1486.
4) Art. 18. 1486.

§ 34.

b) de ordinariorum Regni Judicum auctoritate

Primaeva Judicum ordinariorum regni notione, quae in potestate causas quasque cognoscendi sita fuit, hoc instaurata sensu, numerus quoque illorum definitus [1]). Principem in his Palatinus tenet locum; Judex Curiae Regiae alterum; tertium secretarius Cancellarius, si coram adsit; secus Locumtenens: hoc est: qui sigillum judiciale Regiae Majestatis pro tempore tenuerit. Ita

1) Art. 68. 1486.

enim jam art. 36. 1459 diserte constitutum: posse Majestatem Regiam Sigillum specialis praesentiae suae, cui ipse maxime velit, libere conferre. Quo quidem munere Thomas Drágfius ab insigni jurisperitia Bonfinio laudatus [2]) aetate conditi hujus Decreti fungebatur. Magistrum Thavernicorum, Magnum Seneschalcum, Banum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, et Vajvodam Transylvanum in numero Judicum Regni ordinariorum lex haec non habet; atque ideo ad Curiam Regiae Majestatis non vocatos intrare non debere; quum tamen Judices et officiales jurati essent, si sponte intrare voluerint, admittendos statuit.

---

[2]) Decr. IV. l. 7. „Praetor regni, maximi callidissimique ingenii vir et ad maxima quaeque negotia natus; praeterea scythica lingua nimis eloquens, qui multos in Hungaria annos jus dixerat."

§ 35.

c) exemtiones a Judicatu Comitum et Judicum Regni ordinariorum irritae, nullaeque declarantur.

Ex legibus his Comitiis rogatis et aequitatis et providentiae ratione haec inprimis commendatur, qua demtis tantum perpetuis Comitibus, qui ex vetustis divorum Regum Ordinationibus solius Regiae Majestatis Judicio subessent, aliorum omnium a jurisdictione Vajvodarum, Banorum, Comitum vel Vice-Comitum Parochialium immunitatem abolevit; gratiamque similem, per quemcumque haec deinceps impetraretur, irritam inanemque fore declaravit [1]).

---

[1]) Art. 21. 1486.

§ 36.

d) De Supremis et Vice-Comitibus

Mathias in lege anni **1471. 31. § 2.** Comites, vel Vice-Comites et Judices Nobilium communis Justitiae defensores vocat. Hi ex Comprovincialibus, re, qui ampliori essent, lecti [1]). De Supremis Comitibus Mathias praecipi sibi admisit, ut „Regia Majestas, cum consilio et voluntate Praelatorum et Baronum debeat in quolibet Comitatu aliquem Baronem vel alium notabilem et bene possessionatum hominem, qui scilicet sufficiens et idoneus videbitur, in Comitem parochialem praeficere; et ille teneatur ex illo Comitatu et non aliunde, notabilem virum aliquem, pro Vice-Comite, vel Vice-Comitibus eligere" [2]).

---

1) Art. 9. 1486.
2) Art. 60. 1486.

§ 37.

e) De sumtibus Comitatus per quosque Dominos et Nobiles pro portione ferendis.

Quod Nobiles provinciae cujusque in sumtum communem pendendum juberent, id aequo jure per omnes repraesentandum praestandumque Mathias sanxit [1]). Exstant hanc in rem literae Petri de Várda Archiepiscopi Colocensis [2]), quae perhibent: Nobiles Comitatus de Bodrog

---

1) Art. 64. 1486. Similia erga preces Nobilium Transylv. jam a. 1435 decrevit Sigismundus, Clerum tamen suae illi Constitutioni exemit. C. D. XI p. 459, Articulo 64. 1486 consentiunt art. 48. 1649. 12. 1687.

2) In Collect. harum per Wagner. editarum CXLV.

in Sede sua judiciaria decrevisse, ut iis ad Congregationem Universitatis Regnicolarum per Regem indictam ascensuris, unus quisque Nobilium et hominum possessionatorum, atque ipse etiam Archiepiscopus, hic a Jobbagionibus Eclesiae desummendos singulos 70 denarios Regales in subsidium conferri procuraret. Hic, quod sciret Nobiles eos, sine causa rationabili nihil omnino in hac parte constituisse, homines suos delegavit, qui hujusmodi subsidium de singulis Oppidis, possessionibus et villis Eclesiae in dicto Comitatu sitis connumerarent et exigerent. Quae cum sententia legis hujus plane congruunt.

§ 38.

Juris Patronatus Regum Hungariae Mathias tenacissimus,

Particulam literarum Mathiae missarum Romam, „certo scire Pontifex debet, duplicatam illam crucem, quae regni nostri est insigne, gentem hungaram libentius triplicare velle, quam in id consentire, ut beneficia et Praelaturae ad jus Coronae spectantes per sedem Apostolicam conferantur“ nemo est, qui ignoret. Ipse jure hoc ita usus est, ut calliditate ingenii ceteris qui praestarent, semper ei essent acceptissimi [1]). De decimis coram Curia Romana

---

[1]) In his praecipuus Joannes Pruisz ex humilibus parentibus, et in tenui re, ad Olomuczium (Bonfin. Decr. IV. l. 7.) Patre, uti Joannes Listius Pontifex Veszpremiensis (Kovachich. Script. min. T. I. pag. 332) adnotavit, Fabro ferrario in Oppido Muglicz, non procul ab Olomuczio natus, Ord. min. s. Francisci, subin Episcopus Magno-Varadiensis. „Qui supremus Mathiae Consiliarius erat, et maxima quaeque sui Domini mandata e sententia, prae nimia ingenii dexteritate peregit“ eapropter plurimis Basilicarum quoque Praefecturis cumulatus. Ita Bonfin. l. c. et Deca. I. l. 1. Ab obitu ejus, quantum ad evertandos victoriarum belli bohemici fructus contulerit, paullo post videbimus.

litem cuipiam intendere, severissime vetuit, recepitque eas per se se, et non per alium judicem regni deinceps cognoscendas [2]).

[2]) Art. 40. 45. a. 1486.

§ 39.

quo mortuo Justitiam periisse apud plebem in proverbii venit consuetudinem.

Leges, quibus plebis tributariae sortem, sublata, qua pars hujus ex privilegio Regum adhuc usa est, lucri Camerae immunitate aequavit. Edictum, quo Siculos selium Kezdi, Orban et Sepsi per potiores juribus suis deiectos oppressosque priscae libertati restituit; scita, denique de libera migratione Colonorum [1]) forti sustentata nanu, et denique lex in Comitiis a. 1486 condita, ut ne ı rusticis Uxores de aliis villis ducentibus, deinceps ıllum tributum (telonium) exigatur [2]), tanti vulgo habe-

[1]) Art. 39. 1486.

[2]) Art. 36. 1486. De liberali, ut haec erant tempora, Jobbaionum Michaelis de Zob, deinceps Assessoris Sedis Regiae judiciaiae, in Oppido Theke, tardius in Stephanum Verbőczium translato onditione vide sis Observ. Ederi ad Histor. Transylv. Excurs. VI. . 243. Summa est: congregare et deferre decimas ad horreum; ro reliquis laboribus, omnes simul, quotannis sexaginta florenos, inguli, qui propriam haberent domum, singulis annis unum florenum pendere; Officiali in medium eorum venienti unum prandium t unam coenam; tempore paschali duos agnellos, duas capellas, uos caseos saxonicales, et de qualibet domo duo ova; tempore atalis Domini, decem cubulos avenae, panes decem, libras duas erae et medium talenti piperis dare, et si quis in matrimonio imrolis decesserit, eidem unum bovem triennalem legare debeat, temore vindemiarum non Decimatores Domini, sed Primores loci justam

bantur, ut cum Constitutionum harum gratia, comparatione ignaviae Vladislai II., multo etiam magis inclaresceret, in proverbium abierit „mortuo Mathia et justitiam periisse". Placet itaque mihi sententia eorum, qui Mathiam cum Julio Caesare in omni re conferri posse existimant. Ac jus quidem regnandi causa violari posse non ille magis, quam Mathias persuasum habuit sibi [3]) nec in cogendis pecuniis eo erat inferior [4]). Ad observandum inaugurale Diploma suum per Ordines regni commonitus, Decreto de a. 1468, illud „sicut rationabiliter factum est, ita inviolabiliter observandum" declaravit [5]). Quo responso ejus ad fallendum instructo acquiescere cum non possent, a. 1472 omnes ut articuli Decreti illius, clausulaeque horum articulorum omnes observentur, constitutum [6]). Hoc si Rex praestitisset, nova anno 1475 opus lege non erat, ut Rex Decretum tempore coronationis editum confirmet et in suo vigore conservet, ac super his singulas singulis Comitatibus literas det [7]). Factum hoc esse, tam nullis, quam leges Mathiae plerasque; intra sola tantum stetisse verba plurimis constat literarum monimentis.

---

decimam defigant. In beneficiis eorum tres nundinae; electio Plebani cet. numerantur.

[3]) Cic. de Offic. Ita plane de Tanaquilla Dionys. Halicarn: „etenim si quis aliis in rebus injuste se gerere veretur, ei saltem regni causa quidvis est audendum".

[4]) Dionis. Cassii l. XLII. c. 49. „Pecuniarum Coactor erat Caesar, ac duas esse res praedicabat, quibus rebus et parentur et conserventur, et augeantur imperia: milites, et pecunias. Earum alteram per alteram consistere."

[5]) Art. 16.

[6]) Art. 15.

[7]) Art. 1. „Petitur a Majestate Regia, ut Decretum tempore Coronationis editum confirmare et in suo vigore conservare dignetur. Et literae Majestatis suae superinde omnibus Comitatibus tribuantur sine solutione."

§ 40.

Literarum studium

Qui armis, idem literis Mathias; cunctis nimirum, quos temporum aequales habebat, Regibus praestitit. Recte de hoc Galleottus plura, tum vero id rectissime: Musas eum toto fugatas orbe ad se revocasse, Hungariamque novum iis constituisse domicilium. Quidquid usquam virorum erat, qui aliquo scientiarum, artiumque liberalium genere eminerent, maximis ad se vocatos sumtibus, liberalissime habuit. Academiae, quae a temporibus Ludovici Quinqueeclesiis floruit, Universitatem scientiarum Istropolitanam addidit, huicque Joannem Vitézium Archiepiscopum, qua Cancellarium praefecit, qui et ipse celeberrimam Strigonii aperuit scholam. A sumtibus his reliquum quod fuit, in condendam Budae amplissimam tota Europa Bibliothecam [1]) convertit, et in hanc rarissimis praeclarorum ingeniorum operibus locupletandam, ornandamque totum se profudisse videtur; ingentium, quae **40** discentium millibus hospitio excipiendis sufficerent, infra eandem urbem (praecipuo enim hujus percolendae studio tenebatur) aedium molitioni immortuus. Laus egregie magna, additisque per Mathiam ad prisca Regum Hungariae axiomata: **Regis Bohemiae, Ducis Austriae, Silesiae et Luxemburgensis, Marchionisque Moraviae et Lusatiae** titulis ad memoriam potior. Hanc tamen omnem, ipsamque adeo, si quod sentio, dicere licet, Bibliothecam illam, quantacunque fuit, totam pro una Fastorum **Mathiae** pagella ejusmodi commutarem, qualem Chronicon Spirense de Friderici II. [2])

---

[1]) De hac vide sis dissertationem Budikii in Neues Archiv für Geschichte, Staatenkunde cet. ad a. 1830, p. 765 seqq.

[2]) Chronica der freyen Reichs Statt Speyr — durch Christophorum Lehman. Francof. ad M. 1612. Cap. CVII. de a. 1236 ... atis Annal. coaevi Gotfridi Monachi verbis his ,,Curia celeberrima

et maxime Rudolphi Habsburgici [3]) in linguam suam nativam studio ostentat. Nihil Mathias tam facere potera hujus gratia, quam quod Claudius Imp. apud Romano pro latina fecerat tam prolixe, ut Civitatis jure privare legatum, Lycium origine, quia latine interrogatus, quo quaesitum esset, haud intellexerat [4]). Sed enim cogitati tam salutaris, tam frugifera, in tantis linguarum per regnum unum varietatibus tam necessaria, quae Galeottu hominem privatum, exterumque nec semel, sed saepiu subiit, Mathiam attigisse non videtur [5]).

---

in assumpt. B. Mariae apud Moguntiam indicitur, ubi fere omnibu Principibus Regni Teutonici convenientibus pax juratur; vetera ju stabiliuntur, nova statuuntur et teutonico sermone in membra scripta omnibus publicantur."

[3]) Ibidem teste Aventino, qui l. 7. ita habet: statuit, ut pos hac ob inscitiam nobilitatis, Principum et Pontificum edicta, privil gia etc. Teutonum lingua ederentur, quae hactenus romano sermo data sunt. Crusio item, qui Annal. Suevic. l. III. P. III. c. 1.: „ hoc negotio sic lego: Rudolphum jussisse, ne amplius literas Co tractuum Notarii latine scriberent, sed germanice" cet.

[4]) Dion. Cass. Hist. LX.

[5]) Germani, et Bohemi et Poloni, ita Galeottus cap. XXVII aliquando lingua patria, plerumque latinas literas scribunt; so Hungaria, ex christianis loquor, nonnisi latine scribit. Quod ille h deinde subjicit „quoniam hungarorum lingua non facile scribi potest vereor, ne a Mathia acceperit; nam quod ipse de lingua hungari cap. XVII. promit, verissimum sane judicium, contra sententia hanc pugnat.

§ 41.

Mathiae Regis

Quod non ipse dico solus; pridem Spitlerus incuria hanc notavit [1]). De hac igitur et quae alia Mathias pra-

---

[1]) Spitlerus o. c. de Mathia: „Kein Aufklärungsversuch wi auf die volle Masse der Nation selbst, wenn nicht vielfache Verbi-

clarissimo ingenio, doctrina, industria, diligentiaque sua, addo etiam fortuna, si rectum pergat iter et, quod sibi adstruxit, falsae simulacrum gloriae, precibus, minisque Patriae remittat, comparare maxima rebus, opibusque Hungariae incrementa poterat, non faciam, ut conquerar, pluribus. Convenit alioquin inter omnes, qui res ejus gestas penitius intuentur: fuisse eum in flore adolescentiae majorem, postquam vir factus est, ut ampliori se undique splendore circumdederit, tamen minorem exstitisse; nondum vir enim, Vitézii Nestoris ope, consiliisque, soli saluti publicae; post, ubi ab hoc discessit, uni sibi immodicaeque ambitioni suae vixit; moribus, arbitrio et calliditate, ab usu belli ad negotia quoque regni interna et vitae quotidianae usum traducta labefactis, datoque Clientibus et Amicis, quibus sponsoribus in certam ingressus spem est, fore, sibi ut filius in solio succederet, non uno exemplo, cujus imitatione hi et migrare fidem possent, et sanctissimis grati animi deesse officiis. Ex quibus, quae Lari suo, Regnoque provenerint mala, libro sequenti explicabimus.

---

dung und wechselsweise Communication der Einwohner des Reichs befördert und sicher gemacht, auch das Studium der Muttersprache mächtig gehoben wird. Ein einziger recht guter magyarischer Schriftsteller würde zehnmal mehr gewirkt haben, als alle die Lateiner, denen der König so viel Gutes that.“ T. II. p. 285. Quanto his jucundiora sunt, quae Regibus, minus glorioso nomine, de linguae polonicae in rebus sacris aeque ac profanis usu Dlugossus L. X. ad a. 1390 non sine plurimis superfundentis se laetitiae signis depraedicat.

LIBER QUINTUSDECIMUS.

HUNGARICA

VLADISLAI ET FILII EJUS LUDOVICI

REGUM

STIRPIS JAGELLONICAE

TEMPORA.

Tantum quisque se in re publica posse postulat, quantum habet virium. Non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet; non judicium, non existimatio Civium, non posteritatis verecundia.

Cicero.

XXXV. REX VLADISLAUS II.

ab anno 1490 — 1516.

§ 1.

Ex pluribus Competitoribus

A fatis Mathiae ad habenda Regi creando Comitia Ordines regni, Conjux vidua, literis de 17. April. 1490 per se et, Episcopos quinque, Barones tres signatis, ad Idus Majas Pesthinum convocavit. Competitores: Dux Joannes Corvinus, Patris meritis, fiduciaque Principum, qui jurisjurandi religione Mathiae spoponderant, curaturos se, ut filius ejus regni potiatur; amicorum praeterea et clientelarum multitudine; propriis ad haec nixus praestantissimis animi dotibus. Maximilianus Friderico Imperatore natus, jure, quod patrem, dum sacram redderet coronam, ex compacto sibi posterisque comparasse obtendit; Vladislaus demum Rex Bohemiae et frater ejus Albertus, quod ambo propaginem a Sigismundo ducerent; Albertus vero per partem populi, in campo Rákos, Generalis regni Capitaneus proclamatus esset.

§ 2.

eorum maxime opera, de quorum in filium suum voluntate Mathias plurimum sibi pollicebatur,

Vladislao Regina, connubium ejus immodestius ambiens palam; Stephanus Zápolya Comes Scepusiensis urbi Viennensi praefectus, in cujus fide omnem suam filiique

spem Mathias collocavit, mercedem perfidiae Arcem Trencseniam, reluenda a Polonis Scepusii Oppida, partemque thesauri regii pactus, clam, eaque officii in Joannem Corvinum simulatione favit, nihil ut hic haberet certius, quam esse illum Causae suae studiosissimum, tantoque auctore, id saltim consecuturum se, ut si Rex Hungariae non renunciaretur, quarto post coronationem eligendi Regis die, ipse item corona regni Bosniae exornetur, Duxque simul Slavoniae, et Banus Regnorum Croatiae, et Dalmatiae constituatur; haeredia denique omnia familiae Hunyadianae, opesque omnes retineat, quas a Patre tantas accepit, ut, quae hujus erat opinio, etiam sine electione, Regem se facere posset [1]). Quare totum se Zápolyio dedit, hujusque praeprimis fiducia, et Visegradum et castra Regia, quae in possessione habebat, non diu cunctatus remisit [2]).

---

[1]) Mathiae in Instruct. ad Ducem Calabriae (in Script. min. rer. hung. T. I. p. 349) verba: „hoc autem, esset verisimile, imo quasi certum, quod is (Joannes) post mortem Regiae Majestatis etiam absque praesenti electione se Regem faceret, quia nemo ipso in regno tunc erit potentior" et seqq.

[2]) Tabulas Conventionis edidit ex Spiessii Archiw. Nebenarbeit. Kovachich Suppl. ad vest. Comit. T. II. p. 270 et 282, cujus verba „nisi cum Domino Joanne — ocius et successive in locum et solium paternum concordaremus" qua fide scripta sint, non est, quod moneam.

§ 3.

Rex electus.

Die legatis Competitorum audiendis constituto: Joannes Pruiszius Episcopus Varadiensis per Joannem Ducem interpellatus, pro hoc deligendo, verba fecit, fictis mixta lachrimis; clam enim junctis cum Zápolyio conatibus, legionem, cui ab atro amictu nigrae nomen, ex Bohemis fratribus, Bratnik vulgo, compositam, pro causa Vladislai inauctoravit [1]). Certatum aliquamdiu sententiis

---

[1]) De legione nigra pro causa Vladislai inauctorata vide Tud. Gyűjt. a. 1823 fasc. 3.

est: tandemque arbitrium proclamandi Regis, Joanne etiam Duce lubente, in Stephanum Zápolya collatum [2]). Qui persona, cujus simulationem induerat, posita, Vladislaum virum bonum, neque tamen nisi bonum duntaxat, coram Proceribus Regem declaravit, eorumque consilio Regem illum declaratum esse, ad populum Docyus Episcopus Agriensis pertulit. Mathiae quondam in paucis charus, sed qui et ipse, collata sibi per Reginam arce Revistye [3]), pars nimirum magna suffragatorum Vladislai fuit.

---

[2]) Atque hoc illud tempus est, de quo Sigismundus ab Herberstein in Commentar. rer. Moscovit. sequentia adnotavit. „Memini me audivisse e Joanne Lazky, qui Casimiri Regis Secretarius, ac postea Archiepiscopus Gnesnensis fuit, hunc Stephanum Zápolyiensem, quum Mathia Rege mortuo, apud quem summam auctoritatem obtinuerat, de creando novo Rege ageretur, filium suam Joannem adhuc infantem (anno 1487 natum eum esse, ex Istvánfio et Revaio colligas) complexum dixisse: Si tantulus esses, fili (modo corporis paulo majore ostenso) nunc Rex Hungariae esses." — Quod cum sic satis certum; id quidem ex formula Juramenti per Castellanum Visegradiensem Budae in festo Demetrii a. 1493 nuncupati (apud Schwandtner Script. Rerum hung. II. p. 459) certissimum: Stephanum Zápolya mandatam sibi Duumviri custodiendae Coronae auctoritatem, „si se aut mori, aut fortuna adversa, quod Deus avertat, oprimi contingat" puero huic, vix sextum aetatis annum egresso delegasse.

[3]) Joannes Listius Cancell. Regius l. c, pag. 337.

§ 4.

In conditiones delati sibi imperii,

Auctoribus, qui inluni aevi medii nocti, praestantis ingenii, vigiliarumque suarum lucem commodant, Bonfinium, in notitiis praeviis adnumeravi. Ignosce; jam enim dicam plus: si (quod caput rei est, apexque historiae le-

gumlationis in Hungaria) quaeras: quomodonam in Comitiis, ad quae non jam honestissimi tantum, sed honesti quique Nobiles adibant, peracta cum multitudine hac negotia rerum, et, quae cunctis placerent, qui perducta ad legem sint? nemo est, qui respondeat; omnium autem minime Istvánfius, qui Senatoribus, virisque in horum relatis ordinem delectatus, rationes populi insuper habuit. Quid igitur Bonfinius? Aureum tibi ad penetrandam caliginem hanc ramum suppeditat per verba: „multitudinem Nobilium, Judicum, Sacerdotum, quod eos jam sumtuum in tam longa pertaesum Comitia fuerit, impetrata a Patribus missione, recessisse; sexaginta Nobilibus relicta potestate, ut suis etiam suffragiis in sanciendo Decreto pollerent.“ [1]) Hujus tabulis, praeter injunctam novo Regi jura et consuetudines regni confirmandi, et quae Mathias adversum haec statuisset, antiquandi obligationem, cautum iterum: ne taxam unius floreni ulla ratione exigat; Coronam de manibus Praelatorum et Baronum ne auferat, per certos dehinc e medio eorum deligendos in castro Visegrad conservandam; item Moraviam, Silesiam, Lusatiam a Corona Hungariae ne alienet, velut ad hanc ita pertinentes, ut pecunia, quae iis inhaeret, quum repraesentata fuerit, ad manus Conservatorum Coronae Visegradi deponenda, et ex consilio Praelatorum et Baronum, ad necessitatem et utilitatem regni olim convertenda sit. Ne porro Austriam et thesauro Hungariae acquisita in Styria, Carinthia et Carniolia loca Caesari, sine consilio Praelatorum et Baronum remittat; aut iis non consciis cum eo concludat quidquam; aere, quod ille numeraturus nefors esset, aeque ad manus

---

[1]) Bonfin. Decr. IV. l. 9. Ex literis vero Baronis Burgio Nuncii Apost. in Hungaria ad Sadoletum Prayus, Engeliusque de Comitiis a. 1526 (Lud. II. postremis) „Centum ex nobilibus delectos, qui Magnatibus conjuncti negotia peragerent.“ Quod de modo habendorum cum populo universo Comitiorum nosse quam plurimum interest.

Conservatorum Coronae assignando. Constitutum praeterea, ut majorem anni partem in Hungaria resideat; quando de negotiis Hungariae aut partium huic subjectarum actum fuerit, Hungaris solum consiliariis utatur; Beneficia Eclesiastica praesertim majora Ungaris, vel qui coronae jam ab antiquo subsunt, nec sine expresso consensu Praelatorum, Baronum et Consiliariorum hungarorum conferat.

§ 5.

licet solito magis exaggeratas, incunctanter descendit.

Pacti hujus conditio una singularis, propeque est, ut credas, eam ira aut invidia adversantium adjectam. Haec est hujusmodi, ut quidquid Praelati, Barones cum ceteris incolis regni Hungariae, pari voto, pro libertate et quiete regni, medio usque ad coronationem tempore, conscripserint, hoc omne, etiamsi non assentires probare, ac observare teneatur. Et hanc tamen et ceteris Diplomatis hujus conditiones sibi per Joannem, Antistitem Varadiensem, regni nomine propositas accepit, seu ignavia, seu quod proxime ad fidem est, ingesta ei per Praesulem illum haud dubia fiducia: nihil quidquam eventurum hujusmodi: posse quin imo ipsi adeo Diplomati, qua parte de Moravia et provinciis aliis per Mathiam acquisitas agit, opportuna rerum usu imponi modum, damnaque Bohemiae commode olim reparari.

§ 6.

Decima octava Septembris a. 1490 coronatus.

Solemni ritu, si tamen ritus, qui elusa populi frequentia peragebatur [1]), dici Hungaris solemnis potest,

---

[1]) Tubero scriptor Belio jure laudatus Comment. de temp. -nis l. II. § VII „Senatum hungaricum haud satis certum de studiis

Albae Regiae 18. Septembris a. 1490, coronatus est [2]) Quod per Ludovicum Tuberonem disserte traditum, verba item Bonfinii „universam Boemiae et potiorem Ungariae Nobilitatem ibi cernere erat" [3]) non obscure indicant. Neque eo minus juvat ritui huic spectando aliquantulum temporis impendere. In extremo eorum, qui spectatissimi erant, agmine Bonfinius Budinos numerat Cives „quibus mos est: inter coronandum templi postes una cum Albinis et instructa acie tueri." Regis versus aram procedentis hic fuit Comitatus: Ladislaus Losonczius cum regali vexillo praecedebat. Hunc Mathias Gerebus cum ense vagina recondito aurea; post Paulus Kinisius cum stricto gladio; hunc Prior Auranae cum Cruce, et demum Stephanus Syrmiensis Episcopus cum aurea pace sequebatur. Ante Regem a dextra per Urbanum Agriensem, a sinistra Sigismundum Quinqueeclesiensem Episcopos comitatum, Joannes Corvinus elatis manibus sacrum Diadema praetulit, cujus latera Stephanus Báthori sceptrum regale, et Joannes s. Georgii Comes pomum aureum ferens claudebat. Cum Hippolitus Strigoniensis Pontifex, munus suum fungi non posset, Osvaldus Episcopus Zagrabiensis sacris operatus. Huic pro more percunctanti, vellent, juberentne Uladislaum in Regio collocari fastigio, continuo per praesentes omnes faustissime acclamatum cum esset, idem ei insignia imperii regalis inter easdem orationes precesque tradidit, quas ad primam regni per d. Stephanum aditi recitavimus diem. Sacris rite peractis, cum universa Rex multitudine, a

---

multitudinis in Vladislaum, minorum gentium Nobilitatem Albam Regiam consulto tunc non convocasse" adnotavit.

[2]) Regalibus per Kovachich in Vest. Comit. pag. 412, 41 productis, et literis ad Saxones Transylvanos missis apud Eder Observat. ad Hist. Transylvan. p. 163. Coronatio in festo exaltationis s. Crucis suscipienda innuebatur; dilatam eam literae probant per Pray H. R. P. II. p. 501 indicatae.

[3]) Bonfin. Decr. IV. l. 10.

divi Petri Basilicam contendit, ibique in parato solio jus dicit; multos equestris Ordinis dignitate donat. Atque haec hactenus alii etiam Reges; id in solemniis Coronationis Vladislai II. novum: „quod profectus deinde extra urbem, in edito loco paratum podium, cum instructo quorumdam Procerum Ordine conscendit, et Stephano Báthorio, universae Reipublicae nomine postulante, ut cuncta regni jura, privilegiaque a divis concessa Principibus, vel maxime ab Andrea Rege, qua legitimus jam et coronatus Rex confirmaret," de his sancte observandis, deosculata sancta Cruce, Jus jurandum palam sub dio nuncupavit. Quod usque ad nostram aetatem inter cetera Coronationis solemnia manet. Inde reversus haud procul in suburbii tumulum, accepto stricto gladio, quem Paulus Kinisius praeferebat, ad Solis exortum et occasum, item ad meridiem et septemtrionem pro defendendo regno, terno vibratu, bellum ex more interminatus est. Is Rex, hoc enim unum adhuc ad concludendam ritus Coronationis Regum Hungariae aevi medii historiam memorandum superest, ex Basilica magnae Matris egressus, qua ibat, spargi nummos, solas ferme, quae ex regno ejus ad plebem pervenerint, opes jussit [4]).

---

[4]) Idem de Matth. Corv. Deca. IV. l. 1. „Bona missilia, nummi, vectes, ac cetera tale genus, quae in ea celebritate spargi solent, profusius et magnificentius, quam unquam ante, diffusa sunt."

§ 7.

Huic Bellum cum Alberto fratre et Imperatore Maximiliano fuit, quod illi brevi reconciliatus, cum hoc per tabulas pacis de a. 1491 composuit.

Nondum mensis Octobris exiverat, cum Soproniun Caesari deditionem fecisse, Sabariamque per hunc, Cassoviam per Albertum obsideri ad Regem allatum est. Fuitque armorum Caesaris, ad quem Optimatum quidam

defecerant, fortuna tanta, ut Alba Regia sexagesimo, post peracta ibi coronationis solemnia, die in Maximiliani esset potestate. Uladislaus fratri prius occurrendum ratus, huicque VII. Kalendas Martias 1491 reconciliatus [1]), cum Caesare pacem 7. demum Novembris 1491 his legibus composuit [2]): Vladislaus ut porro Rex Hungariae maneat, Regnumque in haeredes suos masculos legitime transmittat pro belli superioris impensis Maximiliano centies mille nummum aureorum pendat; sponsiones veteres, de successione, Vladislaus et Status regni [3]) in Comitiis hoc fine quamprimum indicendis, pro se et suis haeredibus literis, et juramento coram Maximiliani Oratoribus hunc in modum corroborent: quod si Vladislaum sine legitimis liberis masculis decedere contingat, aut liberi ejus sine legitimo haerede obirent, Maximilianum, vel hoc mortuo aliquem ex filiis suis, aut his non existentibus haeredibus horum masculis linea recta propagatis, quem eligendum duxerint, pro vero et legitimo Rege acceptaturi, eique regnum capessenti tamquam Regi et Domino suo debitum obsequium praestituri sint. Cum vero aliqui quorum interest, ab his Comitiis abesse possent, Rex alium, eodem anno, ad festa Pentecostes celebret Conventum, in quo et hi jurejurando, scriptoque idem confirment. Nemoque deinceps ad Praelaturas, ad dignitatem Palatini regni, Vajvodae Transylvaniae, Bani Croatiae, Comitis Temesiensis, Bani de Jaycza, Zevrinensis et Nándor Albensis, Castellani Castri Budensis, Comitis

---

[1]) Conditiones pacis cum fratre initae vide sis apud Sommersberg Dipl. Boh. Siles. T. I. et Pray Hist. Reg. Hung. T. II. p. 503

[2]) Tabulas Concordiae inter Frid. III. Imp. et Maximilianum Romanorum ab una, et Vladislaum Hungariae Regem ab altera parte sancitae edidit Kollár in Auctario Diplomatico ad Ursinum Velium num. X.

[3]) „Praelatos, Barones, Civitates et alios Status regni potiores“ item „Qui Praelati, Barones, Civitates et, alii Status regni“ formulae loquendi sunt, quas L. III. ad § 24 num. 4. notavimus.

Posoniensis admittatur, nisi haec se pacta servaturum promittat. Conservatores quoque Coronae in aditu Officii sui jurabunt: se Coronam regni, si accidat Vladislaum Regem, ea, qua dictum est ratione, emori, nulli alteri, quam Maximiliano, aut hujus haeredibus cum Castro Vissegrad consignaturos. Si haeres ab Vladislao relictus minorennis fuerit, tutores de his observandis fidem ejus nomine facient, hocque is ipse, ubi legitimam aetatem attigerit, ejusque haeredes et horum posteri praestabunt. Si regni Hungariae haereditas ad Caesarem vel ejus sanguinem pervenerit; is, qui Rex acceptatus vel electus fuerit, ibi quantocius aderit, non tamen armis, ut hostis regnum intrabit, sed in limitibus juxta morem exspectabit, usque dum per Praelatos, Barones, et alios Ordines cum honore susceptus introducatur. Qui tum jura et consuetudines regni antiquas et approbatas servaturum se promittet; et in ipso regno saltem pro majori parte temporis habitabit. Denique ut adhuc, ita deinceps titulo Regis Hungariae uti Maximilianus possit.

§ 8.

non sine ingratiis populi,

Convenit praeterea inter paciscentes: ut Vladislaus niversa Castra, Civitates, aliaque loca, quae Mathias Rex in Austria, Styria, Carinthia, Carniolia vi armorum, ut alio, quoquomodo tenuit, Caesari restituat; et operam let, ne Dux Corvinus in Castris, quae per eum possidentur, eddendis difficilem se praebeat. Maximilianus vicissim, quae in Hungaria, Croatia, Slavonia et ceteris provinciis d Hungariam pertinentibus, in potestatem suam redegit, ona fide cedat. Quod ad Castra, intra fines Hungariae ita: videlicet ferream Civitatem, Vorchtenstein, Kobelsorf, Hornstein, Rechnicz, Gunz, Bernstein et alia loca, uae ante bellum quondam Regis Mathiae in Caesaris rant manibus: haec ex pacto inter hunc et Regem dictum hito, porro quoque penes Caesarem remaneant; ac proinde

quoniam ferrea Civitas, et Forchtenstein et Kobelsdorf in praesentiarum per Vladislaum tenerentur; hic ea Caesari ad diem 17. Martii 1492 consignare; sumtum belli, intra biennium, centum millibus florenorum auri pensare; illa vero, quae Caesar Mathiae Regi debebat, centum millia condonare teneatur [1]).

---

[1]) Has pacis per Thomam Bakács Episcopum Jaurinensem et Regium Cancellarium, Stephanum item de Báthor Judicem Curiae Regiae et Vajvodam Transylvaniae, Ladislaum Ország de Guth Agazonum et Ladislaum de Rozgon Cubiculariorum regalium Magistros, mandato Vladislai de 22. Aug. 1491 instructos, confectae tabulas jam 22. Novembris 1491 Episcopi: Zagrabiensis, Varadiensis, Csanadiensis, Vacziensis, Syrmiensis, Nitriensis, Boznensis, Praepositus Eclesiae Albensis, Joannes et Petrus, Comites de Bozin, Ladislaus de Losoncz, Bartholomaeus Drágffy, Georgius de Thurocz, Petrus de Docz, Nicolaus Pethöfy de Gerse Praelati, Barones et Proceres regni Hungariae literis suis probarunt. Kollár l. c. num. XI.

§ 9.

qui ad Comitia a. 1492 maximo numero confluxit.

Conditiones pacis hae, per Vladislaum literis de sexta Decembris 1491 firmatae [1]) in universali, ut jam alibi rationem vocis dedimus, Conventu regni, quem is in 2. Februarii 1492 indixit, legi dum coeperunt, tantus populi his non pacem, verum servitutem contineri palam objicientis, excitatus est motus, ut parum abesset, quin legatis violentae injicerentur manus. Praesentibus quidem Caesaris Oratoribus non erat ambiguum: confirmationem pacti illius optare quidem se, non tamen publici Comitiatus via hac, etiam sperare posse. Etsi itaque Comitiis his

---

[1]) Bonfin. Decad. V. l. II. Tubero Comment. apud Schwandtner l. IV. § 14.

in longius productis, medio tempore, omnis cura ad colligendas seorsum Consensus literas conversa videatur [2]); cum tamen hoc quoque consilium tantum non penitus in irritum ceciderit, legibus quidem de pace hac nihil omnino constitutum; verum in Proëmio Decreti generica concordiae cum Maximiliano initae facta est per Regem commemoratio.

---

[2]) Stephanus de Báthor Judex Curiae Regiae, simul Vajvoda Transylvaniae et Conservator Coronae distinctis, quas Budae, in praesenti omnium Regnicolarum generali Congregatione die Cinerum edidit, literis, ejusve exemplo Ladislaus Geréb Episcopus Transylvaniae de eodem die; septem porro Sedes Saxonicales, et hae quidem occasione gener. Congr. suae die Dominica post festum inventionis s. Crucis (6. Maii) 1492, „in praesenti diaeta seu Conventu generali Regnicolarum super ea re indicto" Cibinii celebratae; Civitates item Kolosvár, Bistriczium, Megyes, Brassó, Tractatum illum solemniter acceptarunt. Vide Christ. Schesei Ruinas Pannonicas, Appendicemque harum p. 205, 207, 209. Indiculum item Auctario Diplomatum ad Ursinum Velium per Kollár subnexum p. 323.

§ 10.

Fructu victoriarum belli Austriaci per Mathiam gesti, Pacis hujus Conditionibus penitus amisso;

Neque eo minus Vladislaus Fridericum Imperatorem et Maximilianum, horumque haeredes, ac Ordines Austriae ab onere dependendorum, quos ex pacto cum Mathia, in prima Concordia inito debebant, centum millium florenorum, literis de decima sexta Martii 1292 (sub ipso itaque, nisi fallor, Comitiorum cursu) exaratis absolvit [1]). Ita enim nuperi pacti Posoniensis conditio ferebat. Eratque is, si per se solum stetisset, pro hac fide sua, et stu-

---

[1]) Auctarii supra citati num. XIII.

dio quietis „cui se usque ad reprehensionem dedidit“ [2]) ipsum etiam Castrum ferreum et loca alia intra fines regni sita, ex sensu ejusdem, Friderico traditurus; verum tantae huic ejus indulgentiae locus in illa animorum offensione non fuit. Videturque Caesar ipse huic desiderio suo nuncium misisse. Maximilianus quidem, Patre decima nona Augusti exstincto, solius maxime juris successionis in regno Hungariae satagebat. De quo cum in Comitiis pro III. Kalendas Octobris Budam indictis mentio injiceretur, non tantum nihil itidem publice [3]) impetratum, sed animis, accepta etiam per Derencsenium a Turcis clade, irritatis, per Stephanum de Zápolya, 29. Martii a. 1492 jam Palatinum [4]), Ordinum jussu, Regi de ignavia palam exprobratum [5]). Huic autem, haud scio, an in praemium navatae operae hujusmodi, Duumviri quoque custodiendae Coronae munus Comitiis iisdem collatum est [6]).

---

[2]) Tubero l. c. Haec, credo, causa fuerit, cur Uladislaus jus sibi antea delatum, possessiones non forensibus, sed incolis regni juxta eorum merita et obsequia conferendi hac art. 9. 1492 restringi conditione passus sit, ut jure hujusmodi ad mensuram colonicalium fundorum centum, suo ipse motu; ampliora bona, nisi cum consilio Praelatorum et Baronum, conferre non possit.

[3]) Ladislaus enim de Kanisa Banus Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae 22. Novembris, eademque Bartholomaeus etiam Drágfy Vajvoda Transylvaniae; nam Martinus Czobor 25. Nov. 1493 literas consensus dederunt.

[4]) „In anno Domini 1492 29. Martii, hoc est: feria quinta proxima post festum annunciationis B. M. V. Dominus Stephanus de Zápolya Comes Scepusiensis creatus est Budae in Palatinum.“ MS. apud Wagnerum Parte IV. Anal. Scepusii p. 24.

[5]) Bonfin. Dec. V. l. 3. „Rex omnium prope Pontificum et ex Proceribus inprimis Stephani Palatini — gravibus vocibus et acerbioribus querelis exagitatus atque concerptus est“. Similia Istvánffyus l. 3.

[6]) Alter Coronae Custos Thomas Bakácsius Antistes Jaurinensis post conditum art. 3. 1492 electus. De Juramento eorum vide apud Ignat. C. de Batthyán LL. EE. Tom. III. pag. 610 et apud Petrum de Reva l. c.

§ 11.

quod ad provincias per Mathiam bello Bohemico pactas:

Pepigerant Mathias Hungariae et Vladislaus Bohemiae Reges (anno 1478) pace Olomuczensi, ut Mathias, quae in Bohemia, et Vladislaus, quae in Moravia, utraque Silesia et Lusatia, cum sex Civitatibus adnexis, occupassent, alter alteri remittant, et incolae novum fidelitatis juramentum suis quique dicant Regibus. Si Mathias prior obiret, integrum Vladislao sit, ejusque Successoribus dictas provincias, numeratis quadringentis aureorum millibus Bohemiae sine impedimento vindicare [1]). His deinde 21. Julii 1479 additum: Quoniam in dictis provinciis multa bona, quae jure vetusto ad Bohemiae pertinent Coronam, pignori locata, partim aliis alienata nominibus essent; haec si Mathias, aut ejus successores redimerent, ut summa pro his eroganda ad quadringenta aureorum millia adjiciatur; interea, dum Ladislaus aut ejus haeredes pretium rite exhibuerint, Mathias et Successores Reges Hungariae memoratas provincias pleno jure possideant; neque tamen his, Mathia defuncto, Regis Bohemiae titulo uti, nec ab incolis, tamquam earum provinciarum haereditarii Reges essent, Clientelae sacramentum exigere vel acceptare fas sit [2]). Atque ad haec observanda Uladislaus non se Mathiae tantum, sed vi paragraphi 5. Decreti Regni Capitulationem vulgus [3]) vocat, Ordinibus quoque Hungariae obstrinxit. Ne igitur hanc Decreti illius partem

---

[1]) Pray Hist. Reg. Hung. P. II. p. 456 ex autographo.

[2]) Ibid. p. 460.

[3]) In Corp. Juris Conditiones suscepti regiminis Uladisl. Regis § 18. ,,Quidquid Domini Praelati et Barones cum ceteris incolis regni, pro libertate, et tranquilla quiete, atque conservatione ejusdem regni, usque ad tempus Coronationis — concluserint, more ab antiquo consueto, — quod Regni Decretum appellatur" cet.

ea, quam §-us 6. de ditionibus Austriacis per Tabulas Pacis Posoniensis subivit, maneat conditio, novam art. 4. 1492 condi legem placuit priori consentaneam, qua se Uladislaus „Moraviam, nec non Silesiam, et Lusatiam utramque, infra tempus redemtionis juxta Inscriptiones, et Obligationes alias in Diaeta Olomuczensi factas ad ipsam Coronam Hungariae tenturum, provisurumque declarat; ut ne vel post mortem suam, ab hac infra tempus redemtionis avellatur; denique effecturum se spondet, ut etiam sex Civitates Paci illi inclusae se eidem Coronae obligent.“ Summa pro redemtione earum olim solvenda, quod aeque jam Decreto regni constitutum est, manibus Conservatorum Coronae consignanda.

§ 12.

Petebant Ordines regni, ut Rex juramentum fidelitatis, quod hae nuncuparunt, sibi qua Regi Hungariae praestitum declararet literis.

Vladislaus Juramentum fidelitatis ab Ordinibus Moraviae, Silesiae, Lusatiae utriusque a. 1497 accepit. Quum igitur et Hungariae et Bohemiae Rex esset, art. 24. anno 1498 interpellatus est, securos ut praestaret regni Ordines per literas: Juramentum id, se, qua Regem Hungariae a provinciis illis exegisse. Justum erat, quod postulabatur [1]; hac tamen in re Vladislaum, Vladislao inertiorem, aut potius, quoniam Joanne Pruiszio, postea etiam, atque hic se Moraviae primaevoque vitae instituto reddi-

---

[1]) Haud sane assequor, qui scribere Prayus Hist. Reg. P. II. p. 524 de his potuerit: „cum dubitaretur, utrum Hungariae, an Bohemiae Regis nomine Juramentum hoc dictum fuerit, multis rursum occasio Regi obloquendi, non tam data, quam studiose quaesita fuit.“ Sed pag. 538 se recepisse videtur.

dit [2]), constantissime usus est, calliditatis hujus, quam sanctitatis fidei toties datae diligentiorem habuimus.

---

[2]) Causae receptus hujus, ut fit vulgo, variae ferebantur. Vere has omnes Tubero o. c. lib. 1. § 11. enumerat, sed metui, ne collata per se in electionem Vladislai opera, promissumque nomine illius matrimonium noxae sibi sit, pietatis praetexit studium. Nihil disputo; postquam et ex auctore hoc, et ex Bonfinio (Decad. IV. l. 10.) eveniret virum hunc „coronato e sententia sua Rege" habitum Ordinis s. Francisci resumsisse; Vladislaus autem (Bonf. D. V. l. 5.) fateretur ipse, verba se Beatrici dedisse, factumque hoc Patrum auctoritate, eoque tueretur jure „quod ne illa quidem promissa sua ingentia praestiterit, quibus si stetisset, Austria nunquam amissa esset."

§ 13.

A quo cum nullum obtinuissent responsum, decernunt: ne deinceps alienae Rex gentis eligatur.

Erga preces eas nullo neque tunc, neque anno **1504**, quo iteratae sunt, responso per eum reddito, quum hoc per Comitia quoque universalia ad festum s. Michaelis a. **1505** convocata [1]), et in Campo Rákos celebrata frustra sollicitaretur [2]); communibus Ordinum omnium suffragiis decretum est [3]): ne in posterum ullo unquam tem-

---

[1]) Ad haec Regales L. X. § 17. ad num. 2. indicatae, aliae item (in Vest. Com. p. 447) ad Bartfenses datae pertinent. In quibus haec habentur „Una universalis Diaeta celebretur, ad quam universi Domini Praelati, et Barones, ceterique Proceres et Nobiles hujus regni et de quolibet membro, et quibuslibet partibus s. Coronae subjectis Nuncii et Oratores (L. XIV. § 8 — 12) cum plena facultate convenire debeant" cet.

[2]) Istvánffy l. IV. p. 33.

[3]) Decretum hoc integrum C. Ign. de Batthyán LL.EE. T. I. pag. 562, nomine Synodi regiae a. 1505, edidit. Quod C.

pore, si Rex Vladislaus absque haerede masculo decederet, alienae gentis et sanguinis sibi deligerent Regem.

Petrus de s. Georgio et Bazin ibid. p. 566 ad a) „literas universorum Dominorum et Regnicolarum Sanctionales et Constitutionales factum cujusdam unionis et conclusionis eorum, super electione novi Regis, post obitum — Domini nostri Regis Vladislai Domini nostri gratiosissimi, siquidem absque haeredibus masculis decedat, fienda ratificatae in se exprimentes" vocat. Ordines regni se in contextu harum Nobiles, Proceresque et Primores ejusdem Regni universos scribunt „gravemque, et prope exitiosam regni desolationem, atque indigentiam, in quibus illud hoc tempore enormiter admodum jaceret; Ramamque, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Bulgariam, Dalmatiam, et alia fortalitia, incuria alienigenarum et forensium Dominorum ab regno alienata" queruntur, et „quotiescunque ac quandocunque regnum hoc Principe, et Rege orbabitur, nullique haeredes masculini superstites remanserint, tantummodo Hungarum, et in Campo duntaxat Rákos et non alibi pro Domino et Rege assummendum, unanimiter omnes a minori ad maximum et a maximo ad minorem statuunt."

§ 14.

Factisque eapropter per Maximilianum belli minis, Uladislaum cogunt, ut hunc per Hungariam, Bohemiam, Moraviam hostem promulget. Differentias tamen has brevi intervallo

Primus ante reliquam Praelatorum, Baronum, Nobiliumque multitudinem Thomas Bakácsius jam tituli s. Martini in montibus Presbiter Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis Sanctionalibus his subscripsit; primusque is, ut fidem suam Vladislao purgaret, animum ad pangendum pro eo foedus adjecit, hujusque ad societatem Emericus quoque de Perén, et Joannes de Zápolya, et Dux Laurentius de Ujlak ac alii multi se aggregarunt. His attamen Uladislaus tam parum confidebat, ut Caesarem de illo Regni

decreto quamprimum edocendum, et, quod ad addendam rebus suis firmitatem, servandamque pacti de 7. Novembris 1491 religionem cepit consilium, iis omnibus insciis, inprudentibusque, sola Joannis Pruiszii opera exequendum ratus sit [1]). Promissum autem et conventum inter Uladislaum et Maximilianum est, ut Anna Regis filia Ferdinando hujus nepoti, aut hac decedente altera filia ex Regina, quae uterum gerebat, forte nascitura desponderetur; si autem illa filium pareret, huic Maria Ferdinandi soror in manus conveniret; Maximilianus autem, si Regem praemori contingat, filiae, et quam Conjux editura esset, prolis alterius curam et tutelam susciperet [2]). His in solennes literas missis; Caesar exercitum suum Hungariae admovit finibus. Quo non se, verum Decreti Pestiensis auctores peti, quum gnarum Vladislao esset, non sua, sed Ordinum circa initium mensis Junii 1506 Albae Regiae congregatorum fecit voluntate, ut Maximilianum per Hungariam, Bohemiam, Moraviam hostem reipublicae declararet. Quo per eum ad Caesarem delato, accepit ille quidem coactionis excusationem; cum tamen simul de Stephano quoque Hedervári per Comitia illa delecto Capitaneo belli, eidem innotuisset, literis de 11. Junii 1506 hortatus est Regem, ut jus successionis suae illaesum conservare, defendere, et ut per alios etiam conservetur, uti par est, curare velit [3]). Sic factum, ut et Rex, et ejus regnique Consiliarii septem et viginti [4]) apud eum Albae Regiae

[1]) Pray Hist. R. P. II. p. 546.

[2]) Kollár in Indiculo Diplomatum Auctario ad Velium num. 25, 26 — 32 subjuncto.

[3]) Summi momenti literas has ex Kaprinaio Kovachichius in Vestig. Comitiorum p. 450 dedit; sed pro die 24. Junii bene Prayus l. c. pag. 544 ad a) 11. Junii reposuit. Comitia itaque Albensia, contra quae Caesar queritur, omnino initio mensis hujus celebrabantur.

[4]) Vide sis Literas horum in Auctario Kollári n. XV. „datas in Civitate Alba Regali in festo nativitatis b. Joannis Baptistae (24.

constituti, „quatuor viros ad Caesarem delegarent, secundum informationem iis datam, super rebus et negotiis necessariis conclusuros."

Junii) 1506." Actum itaque agunt, qui has ex generali regni Congregatione, cujus nullum nec in Contextu, nec fine, uti par erat, indicium adest, editas argutantur.

§ 15.

Concordia secuta; cum medio tempore Uladislao filius natus sit.

Inter haec Calendis Julii a. 1506 regina filium, cui Ludovico deinde Parentes nomen dederunt, enixa, felicique eventu hoc facies rerum ita mutata est, ut missi nuper ad Caesarem Oratores munus sibi mandatum sequentibus facile conficerent conditionibus [1]): primo, utraque pars exercitus et gentes armorum quantocius ut revocet; secundo, omnes injuriae hinc illincque per privatos datae acceptaeque obliterentur; tertio, captivi utrinque sine litro remittantur; quarto, bonae deinceps viciniae utrinque observentur officia; reservat tamen ad caput hoc Maximilianus sibi et haeredibus expresse omnia et singula haereditaria et alia quaecunque jura, quae ad regnum Hungariae et pertinentia hucusque habuit et in praesens habet, quibus hanc concordiam nullatenus vult derogare quinto, ut concordia praesens semper observetur, et si quae minores differentiae inter subditos amborum Regum deinceps emerserint, more antea observato, missione Oratorum terminentur. Quibus Uladislao relatis, hic „omnes promissiones et obligationes per Oratores suo et regni nomine factas" confirmavit; quin de speciali-

---

[1]) Tabulas Concordiae hujus Kollár in Auctario illo num. XVI dedit, quae de Ortu vocabuli Statuum semel, atque iterum diximus egregie confirmantes.

ter reservato per Maximilianum jure successionis ipse item quidquam specialiter adjecisset [2]).

---

[2]) Ibidem num. XVI.

§ 16.

biennio post coronatus

Bimulus Ludovicus erat, quum Pater, auctore Thoma Bakácsio susceptum et jam Comitiis ad festum s. Georgii a. 1507 significatum [1]), dilatumque tantisper coronationis ejus resumsit consilium, secunda universorum Ordinum totius regni ad diem vicesimam post festum divi Georgii a. 1508, campumque Rákos convocatorum voluntate acceptum, modo solemnibus Rex literis promittat de Decretis, juribus, libertatibusque Ordinum regni per se et filium observandis; nuncupandoque per hunc, dum maturam aetatem attigerit, in ampliorem horum securitatem juramento. Regiam enim auctoritatem, tum demum, dum hoc praestiterit, eidem concessam intelligi; ceterum, cum varii de voluntate Regis Romanorum circumferrentur rumores, essetque ejus de regno hoc voluntas suspecta; voveri per Vladislaum voluerunt literis iis diserte: nec superstite se, nec a fatis suis Ludovicum manibus ejus vel cujuscumque exteri Principis tradendum, verum in regno et in medio Praelatorum ac Baronum et Regnicolarum educandum. Quae postquam Rex quinto decimo die Comitiorum illorum edito Diplomate sanxisset [2]), Co-

---

[1]) Vide Regales ad Civitatem Soproniensem a. 1508 festo b. Gregorii Papae datas in Suppl. ad Vest. Comit. T. II. p. 344.

[2]) Protulit hoc Kovachich. in Vest. Comit. p. 455 et seqq. Ejusdem exemplar authenticum exstat etiam in Archivo regni Slavoniae.

ronatio 4. Junii Albae peracta est, Patre, juramentum pro filio nuncupante. Solennem de eo coronando ad populum rogationem Palatinus tulit, initiumque fecit consuetudinis diu postmodum observatae [3]).

[3]) De coronatione hac vide Istvánfium l. IV. „Emericus Perényius Palatinus populum vellent, juberentne, Ludovicum Regem eligere et Corona insignire denuo interogavit; quum omnes se velle jubere exclamassent, tum Cardinalis tenerum caput corona circumdedit."

§ 17.

Inter haec opes aerarii, facilitate Vladislai fontes harum in pignus locandi

Providentia Majorum, de opibus Coronae integre servandis, Rege Vladislao I. constitutum fuit, ut cum lucrum Camerae, proventus marturinales, et quinquagesimales pro sustentatione Curiae Regiae, ac defensione regni essent instituti [1]), et prout hi, ita tricesimales quoque et alii aerarii reditus per neminem Regum neque relaxari perpetue, neque in pignus locari, seu quomodolibet aliter a Corona alienari potuerint, haec omnia manibus regiis resignentur [2]). Quid de sanctissima lege hac Stephanum Zápolya? quid plerosque alios sensisse existimas sacri aeque ac profani Ordinis viros, qui eligendi Vladislai, et ad eliciendos a Beatrice belli nervos, simulandorum sponsaliorum auctores erant. Cum sagacis mulier ingenii, pari calliditate, nihil praeter pollicitationes dedisset; „non modo de portoriis vectigalibusque, sed Oppidis etiam quibusdam Regiis ad sustinendos sumtus illos oppignorandis [3])" Senatusconsultum condiderunt,

[1]) Art. 3. 1444.

[2]) Art. 4. 1444.

[3]) Bonf. Dec. V. l. 2. initio.

hocque ita in rem suam usi sunt, ut opimissima vectigalium illorum pars, tricesimae, indicio art. **27. 1492** ad suas pervenirent manus, indulgentia legis hujus, usque dum reluerentur, apud eos relictae.

§ 18.

suaque in exigendis accepti, erogatique rationibus ignavia

Illud plane invitus, sed porro verbis Bonfinii, quem ad hanc Decadum suarum partem nemo satis laudaverit, refero: principes eos utriusque reipublicae viros, suam quemque Imperii partem ad privatas rationes, commodaque traduxisse. In his Lucas erat Pontifex Csanadiensis, qui „cum Quaestoris (quem Thesaurarium vocant) munus parum integra fide per biennium obiisset, Magistratu hoc anno **1493** abire debuit [1]).“ Ejusdem contagium vitii prosperam Sigismundi Episcopi Quinqueeclesiensis, qui jam Ernust, jam Hampo [2]) scribitur, famam bello maxime Austriaco probatam [3]) perdidit. Non multo enim post, quam in fungenda provincia hac Lucae successisset, in suspicionem peculatus venit. Neque eo magis Rex, licet articulo **34. 1495** monitus, ut quolibet anno ab omnibus Officialibus suis rationes exigat, animum ad has muneris sui partes applicuit. Comitiis itaque anno **1497** [4]) sub-

---

[1]) Bonfin. Decad. V. l. 3. edit. Poson. de 1744 p. 558.

[2]) Tuberoni o. c. l. IV. § 9 Chanzares „qui praeter maximas Praesulatus sui opes, adeo pecunia abundaverit, ut justum exercitum suo sumtu alere potuerit“ cet.

[3]) Bello hoc Antistes Veszprimiensis, promisso sibi Pontificatu Viennensi, urbem eam Maximiliano tradidit. Bonfin. Decad. V. l. 1. p. 538, 539. Pray Hist. Reg. P. II. pag. 502. Sigismundus, ne promisso quidem sibi Episcopatu Salzburgensi et multis aliis Civitatibus adduci se ad mutuandas pecunias passus est.

[4]) Belius Notit. Hung. novae T. III. p. 235. Istvánfius Hist. l. III. ad a. 1497.

sidium unius floreni cum postularet, Ordinis equestris viri questi sunt acerbissime: cum ita per vetera Regni Decreta sanctum, ac per Vladislaum etiam dum coronaretur, sacramenti religione adjecta, promissum esset [5]) ut a quinque domibus quotannis aureus nummus exigeretur [6]); Regem tamen singulos nummos aureos per singulas domos, annui tributi (lucri Camerae) nomine irrogasse, et bis in anno exegisse; intra annos sex bis decies octies centena millia aureum nummum depensa in quos autem Reipublicae usus collata sint, in obscuro esse. Ad quae cum Rex: sexaginta tantum nummum millia se accepisse respondisset, Sigismundus, qua Thesaurarius, habita in eum, decreto Comitiorum, per Varadiensem et Nitriensem Episcopum, Losoncziumque Magistrum Curiae e Proceribus, ex plebe (ita Bonfinius) Franciscum Bornemiszsza, viros integerrimos quaestione et ipse, et collega muneris, Dombayus, repetundarum damnati sunt [7]).

---

[5]) Ulad. Decr. I. art. 26.

[6]) Ita sane, et quidem teste etiam Mathia Corvino, qui in literis suis supra de tributo Fisci indicatis ,,consimiliter, ait, ut prius super singulis quinque portis non plus, nisi unus florenus tantum, semel in anno ubique exigatur.''

[7]) Bonfin. l. c. p. 575. Tubero l. IV. § 9.

§ 19.

prope erat, ut funditus perirent.

Nihil tamen neque justae severitatis hujus exemplo ad praevertendum deinceps peculatum; neque legibus quae de redimendis Coronae juribus plures rogatae sunt ad haec redintegranda profectum; itaque aerarium intra breve spatium huc redactum est, ut non tantum nihil poene jam esset, quod ei magnopere adimeretur, sed Rex ipse, quo sustentare angustias suas posset, missitare ad Comitatus oratores, et per hos flagitare subsidium soleret

§ 20.

Lex de subsidiis, nisi maximo Comitiatu, non postulandis a. 1504 condita;

Supremae necessitatis consilium hoc non eum, quem auctores sibi desponderant, fructum tulit, quod, quae voluntatum inter Comitatus erat varietas, hi, qui Oratoribus minime dicto audientes essent, se legum vindices, libertatisque custodes ferrent, aliosque tamquam hujus proditores criminarentur. Atque ex horum deinde sententia lex de subsidiis, nisi maximo comitiatu per Regem non postulandis condita est, quae etiamnum observatur [1]).

[1]) Art. 1. 1504. Verba hujus ,,Extunc Universitas Nobilium hujusmodi Comitatus, universaliter in poena fidefragii, seu perjurii, amissioneque honoris et humanitatis convicta et condemnata et a consortio ceterorum Nobilium Regni relegata et segregata habeatur eo facto" ex iis, quae l. II. § 33 de vetustissimis Hungarorum in delinquentes sanctionibus diximus, satis, opinor, intelliguntur. Quod si novum desideras testem; eruditissimum adi Vernherum Regium olim Consiliarium et apud Sáros Praefectum, qui in libello de admirandis Hungariae aquis, celeberrimi Herbersteinii gratia scripto, veteris Romanorum aliarumque gentium, sceleratos lare suo excludendi moris, hoc lubentius se meminisse testatur, ,,quod continet exemplum ritus vetustissimi, accepti a patribus, quo rei atrocium criminum a consuetudine omnium et colloquio arcebantur." Herberstein Rer. Moscov. Comment. Basileae 1571.

§ 21.

altera a. 1514: de alienatis proventibus Regiis;

Anno 1500, ad commovendum Turcis bellum, in Comitiis a. sequentis 1501 decretum re ipsa [1]), non tamen

[1]) De Comitiis a. 1501 ad Civitatem Pestiensem concitis indicium literae faciunt productae per Ign. C. de Batthyán LL. Ecles.

etiam gestum; anno **1508** ad succurrendum necessitatibu confiniorum de subsidio pecuniario actum. Super ordina

---

T. I. p. 557 et inde ad Vest. Com. p. 439 transcriptae. Res i his gestas Opella perhibet coaeva et Panczerio in suis „Annalen de ältern deutschen Literatur" n. 531, p. 259 laudata, cui titulus Die Ordnung zu Ofen Wider den Therken gemacht durch unser allerheiligsten Vater den Pabst, seine Kardinal, Legaten vn Beschöfe cet. Auch der Künig von Ungern, der Künig von Poland, der Küni von Frankreich, der Künig von Hispanien etc. und die Wenedige Geschehen am Pfinztag Servatii Anno Domini Tausend fünfhunde und ein. Liquet ex hac: die 12. Maii 1501 inter fragores tormen torum campanarumque sonitus, nomine Pontificis Legatum eju (Rheginum), Cardinalem item Petrum (Rhodi Magistrum assiduo i Turcas bello exercitatum Katona H. C. T. 18. p. 271) pro Card nalibus, Galliarum item et Hispaniarum Regibus; Oratorem ite Regis Poloniae; Venetos; Thomam porro Cardinalem et Archiepisc pum Strigoniensem; Petrum C. de Bazinio — Vajvodam Transylva niae, Petrum C. regni Palatinum; Joannem Corvinum; omnes Ep scopos; omnes Dominos; omnes Nobiles ex omnibus Comitatibu et toto regno Hungariae de bello in Turcas suscitando opeque nur cupasse, quam Pontifex cum XL mill. flor. Rex Hispaniae cum L mill. Veneti cum C millibus, praeter maritimam classem, annue f rendam pacti sunt. Haec die Jovis; die Veneris post diem Serva de modo expeditionis ita inter Legatum Pontificis, Regemque, omn item Episcopos, Dominos, Nobilesque omnium Comitatuum conv nisse, ut pars exercitus Joanni Corvino per Croatiam contra Turc ducturo committatur. Reliquis gentibus regni Hungariae Drágfy Verd (loco: de Belthök) et Josa praeficiantur, ad Senderoviam Castra met turi. Huc Petrus quoque C. de Bazinio cum Transylvanis conceda eique Moldaviae etiam, ac magnae, parvaeque Valachiae Vajvod semet adjungant. Episcopus et Praelatus quisque, singuli item Domi qui Comitatus (banderia) habent, populis suis praeficere quide tribunos possint; his tamen Duces nominati paullo ante praesi Perhibet denique Opella haec: ex parte Bohemiae, Moraviae, Silesi XI mille equos, ex parte Regis termillenos oblatos, constitutum d nique esse, ut his Vesseriez et Joannes Hebicz intenderent.

riis vero aerarii reditibus a. 1514 constitutum est: omnes ut alienati proventus regii illico remittantur; quod ultra justam investitae summae usuram perceptum, in capitalem imputetur; pro reliqua parte dissolvenda medietas in pignus dati proventus assignetur; Rexque interea, dum aes alienum repraesentatum fuerit, dimidium proventus ejusmodi percipiat; Joanni tamen Zápolya Vajvodae Transylvano pro servitiis Regi, Regnoque impensis [2]) de omni, quam Regiis reditibus hujusmodi infusam haberet, pecunia satisfiat; hunc itaque in finem ex tributo, quod in stipendia militis conferri soleret, a singulis portis denarii decem ei cedant [3]).

---

[2]) Hic favorem popularem haereditate quodammodo a patre accepit. Cujus rei plura sunt exstantissima indicia, atque horum non postremum, quod licet anno 1507 aetatis suae vicesimum egerit, nec eximio aliquo militari facinore adhuc inclaruerit; tamen art. 1. 1507 teste, officio supremi et generalis regni Capitanei simul cum Palatino Emerico de Perén functus est.

[3]) Art. 1. 1514.

§ 22.

tertia: qua Bona Coronae inalienabilia declarari et recenseri placuit.

Factum hoc est art. 2 et 3 Decreti de anno 1514 addita sanctione, ut si quis ex his deinceps quidpiam per Regem sine Consensu Consilii ejus (de quo infra) pro se inscribi fecerit, et pecuniam exhibitam amittat, et tanta praeterea pecunia mulctetur, quantam aestimatione facta bonum ipsum valuerit. Sunt vero bona hujus generis: octo in primis Civitates liberae: Buda, Pest, Cassovia, Posonium, Tyrnavia, Bartfa, Eperjes, Sopronium; praeterea: vetus Buda, Strigonium, Alba Regalis, Leutsovia, Szakolcza, Cibinium et Zegedinum. Item Cumani et Philistaei omnes; nec non Visegradum cum insulis Danubii

prope sitis; insuper Cremniczium, Bistriczium, Zolium e ceterae montanae Civitates. Rivilus item Dominarum e castrum Huszth cum 5 Civitatibus et fodinis salium; omne praeterea tricesimae Regnorum Hungariae, Slavoniae ac omnes in iis Camerae salium; nec non castra Munkács Diós-Győr; item in Transylvania Saxones Regii; omne fodinae et Camerae salium et loca earundem fodinarum cum Civitate Kolosváriensi; omnes vigesimae; centesimae [1]) et quinquagesimae in partibus Transylvanis; castra, denique Görgense, Therch et Déva, quae ibiden sita sunt.

[1]) Vitium in voce hac latere C. Ignatius de Batthyán doctissimus Transylvanorum Pontifex LL. EE. T. I. p. 11 pridem advertit et ejus loco Cementum reposuit.

§ 23.

Leges Uladislao Rege conditae priscas Praelatorum Hungariae laudes

„Omnia vulnus: imus, imus praecipites" ait cum veteri Poëta, in quadam Epistola sua [1]) Petrus de Várd: Archiepiscopus Colocensis, quem solvisse Joannes Corvinus ergastulo videtur, ut unus ex paucis esset, qui priscam Antistitum Hungariae in Patriam, quae eos genuerit, et Religionem, quae eduxerit, auctoraveritque sib pietatis laudem sustineret [2]); nam ceterorum plerique, ii

[1]) Inter ceteras per Wagnerum editas CXXII de a. 1491.

[2]) Vide literas Ulad. II. ibidem l. II. praesertim III. Nos lumen hoc Hierarchiae hungaricae jam Lib. III. § 161. Lib. XIV § 28. 37 laudavimus. Vere aedepol, ut ex ejus ad num. XXIV. XL XCIX. literis cognosces; nam ex Praelatis Hungariae unum eun fuisse, qui illis consulentibus, initorum per Regem sponsaliorun fidem, verbique Regii sanctimoniam servandam contenderet, e Istvánffyo (l. II. p. 28) sic correcto intellexeris.

communi ea temporum calamitate et, quia Rex ignavus in conferendis beneficiis, appendendorum meritorum refugit negotium [3]), iis fuerunt moribus, ut non Regi, non populo, non Clero inferiori, non denique posteris probari curarent. Quod ne a solo Tuberone Abbate accepisse me existimes, viro illo quidem in Ordinem suum aspero, sed cui cum Petro de Várda in summa Epistolae hujus apud Wagnerum XCIX. plane convenit; ab his ad Regium te itidem testem voco. Uladislaus est, ex cujus Praefatione Decreti de a. 1498 patet, non plane nullam per eos moram fuisse, quin malis quibusdam ocius remedium poneretur [4]) jam a. 1492 flagitatum [5]). Quae si recenseam, nihil ecquidem facturus sim aliud, quam, ut ex illorum praesentiumque Hierarchiae hungaricae temporum comparatione intelligas clarius, bona nostra quo praestent; hoc tamen supersedeo. Ut enim ego non dicam, tute, et ex

---

[3]) Herberstein o. c. p. 146.

[4]) Ita haec § 5. ,,Quamvis nos unicuique regnicolarum tam Magnatum, quam inferiorum, libertates eorum ipsis a Sereniss. Andr. II. Rege, concessas, per Serenissimos Ludov. et Mathiam Reges confirmatas, et in compluribus articulis diminutas ad utilitatem eorum reformare, observare et observari facere promisimus; forent tamen plerique hujusmodi salubri nostro proposito et desiderio eorum se opponentes et privatum potius, quam commune bonum sectantes, per quorum impedimenta nunquam hactenus votum eorum consequi potuissent.“ § 6. Potissimum vero — cum nos — Congregationem generalem — in anno proxime transacto a. 1497 pro festo b. Martini) indixissemus, inter delecta grana frumenti zizaniam imponendo omnia subvertissent, et sic ipsi Barones et regnicolae nostri nihil boni una nobiscum concludentes, cum jactura rerum suarum — ad propria remeare coacti fuissent.

[5]) Conclusionis Decr. I. de a. 1492 ,,Item praeter praedictos et alios plures articulos tam ratione decimarum, quam eclesiasticorum beneficiorum, ac collationis Comitatuum etc. praesentarunt; sed quia super his perfectam deliberationem ad praesens facere nequiverunt“ etc.

diligentissimo Bonfinio [6]) et ex legibus colligas Decre illo, ad reprimendam bona aquirendi aviditatem Praelat rum [7]); legem amortisationis instaurandam [8]); pecunias chı stianitatis et messoriales abrogandas [9]); sedes sacras priscos jurisdictionis limites retrahendas [10]); moderand pecunias cathedrales [11]); Plebanos arbitrariis taxationib non gravandos [12]); beneficia eclesiastica, quorum tituli ali adscripti, proventus autem per plerosque Praelatos usus proprios conversi sunt, qui deinceps conferenda [13]; duo denique beneficia, aut dignitates Eclesiasticas p

---

[6]) Bonf. Dec. V. l. 5. p. 572 „Deinde inter Nobilitatem, qu universum regnum refert, et Patres, Proceresque saeva, ac i primis memorabilis seditio excitata est, cum de tributis penden ageretur. — Nobilitas ad veterem tributorum consuetudinem rev cabat; — aut si singularum domorum tributum (Rex vellet) n cum Patribus, sed Nobilitate sentiret; ac vetera regni de vi, decimis, ac vectigalibus exigendis instituta, vetustate nimia o ruta renovaret; Patres esse, qui debita Regi vectigalia interciperei cum ipsi nihil penderent, et pro Rege a suis quisque populis trib tum exigerent" cet. Et de vi quidem art. 8.; de decimis art. 5 52.; de vectigalibus art. 29. 30. 34. 35. 36. 1498 reapse pr visum est.

[7]) Art. 65. 1498.

[8]) Art. 55. 1498.

[9]) Art. 52. 1498; cujus momentum ex collatione cum a 43. a. 1495 clarius intelligitur.

[10]) Art. 60. 61. 62. 1498.

[11]) Art. 53. 1498 alias etiam honor cathedrae, hon ris robur; obedientia, quam Eclesiae, postquam sui juris fact sunt, Matri Eclesiae in signum subjectionis solverunt. Integ Eclesia, quae in articulo hoc dicitur, Matrem seu Parochialer media filialem significat Ignatio Com. de Batthyán LL. EE. T. p. 548.

[12]) Art. 66. 69. 1498.

[13]) Art. 67. 1498.

neminem Episcoporum tenendas [14]) conditis. Quod ad honores seculares: memoriae proditum est, Optimates auctore Stephano Báthorio, quem opera Thomae Bakácsii a Praefectura Transylvaniae amotum ferunt, in eam legem rogandam jam antea incubuisse, per quam omnis promiscue ordinis Sacerdotes ab administratione reipublicae prohiberentur [15]). Quod impeditum aliquamdiu, his demum Comitiis effectum dederunt, constitutionibus binis. Quarum una demtis, qui privilegio hujusmodi per divos donati Reges essent, Praelatos ceteros a gerendo munere supremorum Comitum [16]) arcet; alia interdicit, ne quis e numero Praelatorum Duumvir coronae custodiendae deligatur [17]), nec scio, an Stephanus Episcopus Nitriensis, ultimus virorum ordinis sacri, vicem personalis praesentiae Regiae in Judiciis functus fuerit; ab anno quidem **1507** sigillum judiciale personae seculari bene meritae, jurisque et literarum peritae conferendum est [18]).

---

[14]) Art. 56. 1498. De Thoma Bakácsio Tubero o. c. l. II. § 2. „Cujus quidem cupiditatem Strigoniensis Pontificatus, cum quinque et viginti aliis sacerdotiis explere nequivit.“ Istvánffy l. 5. „erat enim ex opimis plurimorum Sacerdotiorum proventibus ditissimus.“ Vide sis etiam literas Petri de Várda l. c. XLIII. et CXLII.

[15]) Tubero l. c. l. V. § 2.

[16]) Art. 57. 1498.

[17]) Art. 25. 1498.

[18]) Art. 4. 1507.

§ 24.

consenuisse ostendunt.

Capitulorum Conventuumque homines missi pro testimonio, si falsum committerent, velut perjuri beneficiis suis moveri per art. **10. 1486** jubentur; medio tempore labi eorum nonnullos gravius, fideque sua ad condendas falsas abuti literas oportuit; siquidem art. **14. 1498** poena emortui nominis, stigma infame, in usum, aut terrorem horum resuscitata est.

§ 25.

Consilium Thomae Bakácsii, de proclamanda cruciata contra Turcas expeditione, exitu infelicissimum.

Succisa per Coronationem Ludovici aemulorum regni spe, uti hac parte Thomas Bakácsius de Hungaria bene meritus est, ita dum operam suam universo jam navare orbi christiano festinat, hanc fere ad exitium perpulit. Ab Alexandro VI. PP. Romanae Eclesiae Cardinalis, a Julio Patriarcha Constantinopolitanus creatus, a fatis vero hujus Cardinalium nonnullorum suffragiis jam ad summum, quod concupivisse fertur [1], Pontificis maximi designatus fastigium, ut hoc eo certius olim poti-retur, indicendae adversus Turcas bello intestino tum maxime laborantes, sacrae militiae auctor, facili negotio ab Leone X. impetravit, ut hac inprimis causa ad Hungariae, Bohemiae, Poloniae, Norvegiae et Sveciae regna, nec non Russiam, Borussiam, finitimasque his provincias Apostolicae sedis a latere Legatus renunciaretur. Simul itaque Roma rediit, simul Budae in templo s. Sigismundi, pro concione Pontificis indultum promulgavit et datis ad Franciscum de Várda Episcopum Transylvaniae de 25. Aprilis a. 1514 literis, huic idem faciendum commisit. Verno haec acta tempore sunt, imminentibusque ruris laboribus, quos sibi jam ex arbitrio per Dominos, ex alienis incommodis sua consectantes commoda, imponi pars maxima colonorum querebantur. Brevi itaque frequentissimo Budam, Pestumque numero confluxerunt, quibus Bakácsius Georgium Dozsa, expertum bello Turcico praefecit.

[1]) Istvánffy l. V. ad a. 1513.

§ 26.

Seditionis enim rusticorum;

Agris cultoribus destitutis, quum multi Dominorum colonos suos, quod nulla migrandi facultate expetita,

militiae huic nomen dedissent, praesidio legis, vi etiam adhibita reposcerent, alii ad signa haec fugientes persequerentur, ad pugnas, caedes, eoque post paullo ventum est, ut destinata in Turcas arma contemptis literis, quas Cardinalis ille de his deponendis, **24.** mensis **Maii 1514** vulgaverat [1]) in Nobiles converterentur, nullumque atrocissimi sceleris esset genus, quo multitudo illa (**40** millia hominum fuisse perhibentur) longe lateque non saeviret. Hanc deinde Joannes Zápolyanus oppressit, Georgio Dozsa capto, infandoque cumulatissimarum mortium genere sublato. In socios haud multo lenius animadversum. Erant vero in his sacri etiam ordinis homines quidam; Antesignano Laurentio Presbitero, quem Zápolyanus aeque debellavit, sicque, ne eum legis plane suae frustrer laude, rusticanam breviter colluviem exterminavit [2]). Quod dum adscribo, non recordari non possum: exstitisse jam altero Sec. **XIII.** dimidio Magistrum de Hungaria quemdam [3]), pari ferocia, et simili plebis studio, odioque potentiorum instinctum; sed hunc se patria procul, in Picardiam amovisse; domi nimirum, in prisca generosae Majorum simplicitatis indole nihil offendit, quo incendere facem seditionis et in tanta libertinorum utriusque generis multitudine, quemquam adversum Dominos, ut vulgo Scriptorum videntur, rudes, impellere potuisset.

---

[1]) In Arch. Leleszi.

[2]) Art. 1. 1514 § 3.

[3]) Zimmermann et ex hoc Lexic. Rotteckii et aliorum.

§ 27.

haec vero ferendae in eos teterrimae legis ansa fuit.

Leges postea in Colonos nullo sontium, insontiumque discrimine conditae sunt, ex quibus hi, ut si perduelles fuissent omnes, diserte jam rerum duntaxat numero habebantur, a reliquo politico regni corpore sic penitus

rescissi, ut omni muneris cujuscunque aditu interdictis, spes quoque meliorum peremta videretur [1]).

[1]) Art. 14. 24. 70. 1514. Ex nota infidelitatis Nobilium, qui his adhaeserunt, factas donationes vide sis Verbőczy emlék. II. p. 166 et 169.

§ 28.

Ordine, sine quo resp. bene gubernari nequit, ab omnibus et rebus et officiis sublato; de modo quoque Comitiorum

Quod Vladislaus in Prologo ultimi Decreti sui habet: Ordinem, sine quo nulla unquam respublica bene gubernata esse legitur, ab omnibus et rebus et officiis sublatum esse, et per arreptam hoc pacto licentiam omnia cum maxima totius regni oppressione, praepostere, et quasi confuso quodam turbine geri [1]); etiam de Comitiis eo Rege habitis intelligitur.

[1]) Pervulgatissima haec ejus fuisse verba, nec fortuito evenisse credo, ut eruditissimus Herbersteinius l. c. aeque vocibus ,,omni bono ordine sublato, atque everso" uteretur.

§ 29.

celebrandorum,

Indicebantur haec annis singulis; imo vero bina saepe ternaque eodem anno, sed quorum alia, speciatim a. 1491, 1494, 1497 rebus infectis deserta, alia raptim, cunctanter alia, sed pari calliditate transacta [1]), plurima tam levi gesta brachio sunt, ut de maxima parte legum, quae ex his prodiverunt, verum sit illud Terentii dicere:

Nolo, volo; nolo rursum; cedo, cape:
Quod dictum indictum est; quod modo erat ratum, irritum est.

[1]) Bonfin. Dec. V. l. 5. p. 573 refert: Comitiis anni 1497 Proceres data opera traxisse tempus, dum nobiles morae pertaesi dilaberentur, et tum demum redigendis manum legibus admovisse.

Quaedam enim, uti hoc articulus **10. 1514** monet, parum deliberatae, aliae sic deproperatae sunt, ut supplementis; supplementa auctariis egerent, essentque etiam num plures, in quibus explicandis nervos omnes contendere oporteat.

§ 30.

variae

Sensum art. **25.** a. **1495**, quo **108**-us a. **1492** de modo celebrandorum Comitiorum explicatur, si quid video, Prayus accuratissime dedit. Ne quippe Nobiles mediocris census, qui necessitate suadente viritim, vel alias juxta mandatum Regiae Majestatis ad Comitia per legatos convenirent [1]), sumtibus exhausti ante finem horum discedere cogantur, constitutum fuisse: ut dies Comitiorum uno prius mense Praelatis, Baronibus et Regnicolis per literas significetur; intermedio autem tempore hoc, Rex convocatis ad locum, qui ei, oportunissimus videretur, Praelatis, Baronibus et Consiliariis necessitates suas regnique proponat, hi vero deliberare de iis et si secus fieri non posset, per Magistrum Janitorum, suffragia viritim rogati, figere mentem suam teneantur, ut sic celerius deinde peragi negotia illa cum populo possint [2]). Hac

---

[1]) Et in Comitiis quidem a. 1495 electos per Comitatus adfuisse § 2. Praef. docet; Bonfinius vero Dec. V. lib. 5, apud me p. 512 in alteris a. 1497 Comitiis decem ex singulis Comitatibus; in alteris binos ex iisdem adfuisse.

[2]) Literae, quibus Comitia a. 1505 edicta sunt, Procerum et Consiliariorum Conventus hujusmodi clarissimum exhibent vestigium in verbis: quoniam nos his, superioribus diebus, cum universis Praelatis, Baronibus et Dominis Regnique Proceribus constituti — eorundem consilio decrevimus, ut ad proximum festum b. Michaelis — una universalis Diaeta — celebretur etc. Primorum conventum hunc Hieronymus Balbo particularem dicit Conventum. Recte illud et ex sententia nostra; rebus enim isthic per

condita lege nihil jam vetabat decerni, ut dehinc non nuncii Comitatuum, sed Nobiles singuli ad Comitia conveniant [3]).

Probulos, Praeconsultatoresque (ita eos Aristot. l. IV. polit. c. 11. vocat) praetractatis, itum ad universalem conventum est.

[3]) Bonf. Decad. V. l. 5. mihi pag. 549 Praelatos et Barones, Proceres generatim in Curia Regis, ceteros ante Curiam; pag. 574 diverso itidem loco, Nobiles enim et qui hos ordine sequuntur, in aedibus d. Joannis consedisse testatur. Cui tamquam aequali temporum horum scriptori major habenda fides est, quam Istvánffyo, qui et Nobiles et Proceres ibi videre sibi videtur. Distinctos horum illorumque Coetus conspicis in electione Vladislai; in examine conditionum pactae cum Maximiliano pacis; decreta contra Episcopum Agriensem peculatus quaestione. Et ordo quidem ac disciplina a discordi Optimatum coetu ad multitudinem hanc se recepisse videntur secundum ea, quae testis in Comitiis Hatvaniensibus a. 1525 praesens, apud Kovachich Suppl. ad Vest. Com. T. III. p. 16 refert.

§ 31.

aevo Vladislai II. fixae

Verum triennio post, hanc item legem ea permutari constitutione placuit „Comitia ut quinque et decem diebus terminentur“ si quis Praelatorum, Baronum et Regnicolarum ad primum diem non veniret, vel Comitiis continuanter adesse nollet, Praelatus et Baro 800, Nobiles alii 400 fl. mulctentur, rigorique legis hujus ii tantum eximantur, qui reipublicae aut officii vel necessariae peregrinationis aut studii literarii causa distinentur, aut naevis physicis ab aditu Comitiorum prohibentur; ex indivisis fratribus unum, per Nobiles unius sessionis decem, unum itidem mitti sufficiat [1]).

---

[1]) Art. 1. 1498. 1. 1500.

§ 32.

refixaeque leges sunt.

Qui per Regem ad Comitia vocabantur, simul atque itineri se dederunt, et ipsi et homines et res eorum omnes, ex veteri consuetudine regni, in Regis fuerunt tutela, seu ut nos loqui amamus, beneficio salvi conductus gaudebant, cujus violati reus poenam notae infidelitatis dedit. Ex ea, quae legibus his subest causa, ut nempe quisque, nullis aliis interpellatus curis, toto animo consiliis de republica vacare possit, in Curia Regia Sedibusque spiritualibus, et Comitatibus per tempus Comitiorum ab judiciis cessabatur [1]).

---

[1]) Art. 12. 1504.

§ 33.

De Consiliariis delectis per regnum, qui Regi in politicis et judiciariis negotiis

Lege anni **1495** decernitur, ut Praelati tres totidemque Barones et 14 Nobiles Regi in politicis aeque ac judiciariis negotiis operam dent [1]) per ipsum denominandi stipendiisque providendi. Haec quum Rex praestare non posset, triennio post [2]) in eo inter Regem et Regnum convenit, ut Praelati duo duntaxat, Baronesque totidem, e Nobilibus vero sex et decem viri communi Regis et Regni consensu eligerentur, et de quo quis ordine esset, ejus impendio munere hoc fungeretur. Anno **1500** [3])

---

[1]) Art. 8. 1495.

[2]) Art. 2. 1498.

[3]) Art. 10. 1500. Consiliarii hi in verba § 4. art. ejusdem Ordinibus regni coram jurarunt; alii Sacramentum art. 33. Decr. I. Judicibus ad Curiam R. praescriptum in manus Regis vel ab eo deputatorum nuncuparunt.

mansit Nobilium numerus, sed Praelati Baronesque ad quatuor utrinque exaucti, consilium ipsum iis circumscriptum est legibus; medietas, ut alternis vicibus continuanter Budae moretur, officiumque hoc triennio quisque praestet [4]), postmodum novus in Comitiis fiat delectus, priores tamen eligi rursus possint; imo vero iis etiam, qui electi noviter non fuerint, liber ad consilium aditus pateat. Si quem intra triennium obire contingat, huic Rex alium proprio surrogare arbitrio possit. Stipendiorum eadem, quae prius, ratio usque a. 1507 perstitit. Tum enim Praelatis aut Baronibus **700**, Nobilibus **300** floreni in annos singulos admensi, hocque titulo Colonis et Nobilibus quoque unius sessionis tres impositi denarii sunt, annue pendendi, sancitumque, ut stipendium hoc bini de consilio et unus quidem de Baronibus, de Nobilibus alter percipiant erogentque, et in sequentibus Comitiis rationes praestent.

---

4) Art. 3. 1507.

§ 34.

operam navarent.

Consiliarii hi ad negotia regni fideliter et secrete pro communi ejus utilitate agenda jurisjurandi religione obstringebantur. Quod pro lege observatur sempiterna; Constitutione alia (art. 7. 1507) de Dominis aut Regnicolis, qui in Consilio Regis contra libertatem et statuta regni agere attentarent, Comitiatui maximo, ut per hunc in reipublicae hostes hos animadvertatur, denunciandis, facta arguebantur; dicta apud Hungaros quoque impune erant.

§ 35.

De auctoritate Magistratus Comitatuum

Vetustissimum, susceptae enim territorii Hungariae in Comitatus divisioni coaetaneum institutum est, singulis

ut provinciis hujusmodi singuli praeficiantur Rectores, et Moderatores. Comitiis a. 1498 et hoc instauratum [1]), et id plane ex rationibus administrationis publicae constitutum est, ut „unus quisque Comitatus suum proprium Comitem, de Comitatu eodem aliquem ex potioribus habeat“ [2]). Quod ex aliquo tempore obtinuit, ut Comitatibus nonnullis bini praeessent Comites, dissimulatum, ut enim nihil hujusmodi probatum lege, ita neque Vladislao consuetudini huic insistenti, hoc ipsum vitio datum est [3]). Liberi et perpetui Comites [4]) usque adhuc a jurisdictione fori Comitatus immunes, Vice-Comites per solos Supremos Comites delecti sunt. Ab aetate Vladislai utrumque secus se habet: vetitum namque lege a. 1504, ne quem Comites provinciales, nisi de numero verorum Nobilium Comitatus eligant, neque eligere quemquam absque consensu et voluntate Nobilium ipsius Comitatus possint [5]); hujus vero et Judicum Nobilium judicio parere etiam liberi Comites [6]) et Praelati, Barones, Nobiles teneantur omnes [7]). Pari providentiae laude causa pignorum, quibus non ultra summam florenorum centum inhaereret; causae item ex nova bonorum occupatione usque jugera decem, a Judicio Curiae Regiae, Causae dotum et rerum paraphernalium a tribunalibus sacris, ad sedes Comitatuum Judiciarias translatae sunt.

---

[1]) Art. 70. 1498 et hujus ex sententia editae Vladislai literae in Suppl. ad Vest. Com. T. II. p. 296.

[2]) Art. 44. 1498.

[3]) Literae Vlad. num. 1) et aliae l. c. p. 294.

[4]) Art. 19. 1495. „possessionati homines privilegiati, qui liberi Comites appellantur.“

[5]) Art. 2. 1504.

[6]) Art. 21. 1495.

[7]) Art. 15. 1495.

§ 36.

De finibus Comitatuum, nisi erga ferendam idcirco legem, non mutandis.

Quod suo adhuc Reges facere arbitratu consueverunt, ut per Dominum loci cujuspiam exorati, hunc sola nonnunquam commoditatis illius ratione, territorio Comitatus, cui adhuc adscriptus fuit, exemptum Jurisdictioni Comitatus alterius adjicerent, a. 1500 vetitum; ex hoc itaque tempore judicium, an fieri quidquam hujusmodi ex ratione utilitatis publicae expediat? Comitiis servatum est.

§ 37.

Leges de administratione justitiae.

Plane ex sententia Cornelii Taciti, apud nos quoque corruptissima re publica leges plurimae. Quarum tanta illa, vel ad faciendam praecellentis hac aetate Justitiae cultus opinionem instructa copia, quid ad avertendam injuriam contulerit, ex his Bonfinii colligas [1]). „Institutis Octavis, querentibus plebeis, (ita ei vocantur, quiqui in numero Patrum non erant) quod lites immortales a Judicibus redderentur, et quae eductae (ex serie Causarum [2]) juxta aetatem harum confecta) dicerentur, nunquam decernerentur, Rex edicto proposito cavit, ut expedito de eductis Causis judicio statueretur, gravem, quae imminebat, oportuno consilio seditionem coercuit.“ Quid deinceps? Hi, qui plus viribus ac potentia, quam legibus ac justitia fiderent, tribunal Judicum magno asseclarum agmine, quandoque agressi, quod ratione, et legibus nequirent, clamore et multitudine obtinere contendebant [3]).

---

[1]) Decr. V. l. 5. p. 574.

[2]) Confer art. 5. 1498. 2. 3. 4. 5. 1500.

[3]) Verba Vladislai opus tripartitum Verbőczii approbantis.

§ 38.

Opus tripartitum Juris consuetudinarii per Stephanum Verbőczium jussu Vladislai apparatum.

Neque vero hoc solum, de quo diximus, Vladislaus Edicto rem judiciariam adjuvit praeclarissime. Concilia insuper, Octavis (Judiciorum hoc apud Majores [1]) nomen) celebrandis, stata vice indixit; causas ad se delatas [2]) pro earum varietate, alias e vestigio definivit, alias in solenni Curia cognovit, majoris momenti si fuerant, ad maximum Comitiatum remisit; nec enim, ut a reliquarum reipublicae partium curatione, sic ab officio quoque Judicis supremi penitus vacavit. Ipse in justitia administranda nihil se praetermisisse testatur, quod a justo et diligentissimo Principe praestari debuerit [3]). Vere hoc, si ad Opus tripartitum Juris consuetudinarii Hungariae animum advertas, quod jussu ejus Stephanus Verbőczius anno **1507** caepit, et intra subsequum septennium ita peregit, ut qui antea legum fuerat

globus et sine imagine moles [4])

in certam seriem, ordinem, formulam, faciemque justam, ejus maxime judicio et labore et ingenio rediret; sicque lege Comitiorum de anno **1518** scriptorum regni jurium et honorem adipisceretur, et auctoritatem [5]).

---

[1]) Octavae magnae ad festum s. Georgii et Michaelis; breves: Epiphaniarum Domini et festi b. Jacobi art. 2. 1498.

[2]) Linguae hungaricae ignarus cum esset, Interprete usus. Per hunc cum Laurentii Ujlakii matre p. 568; cum Nobilibus in aede d. Joannis congregatis p. 574 apud Bonfinium disserit.

[3]) Verba propria, quibus Opus tripartitum aprobat.

[4]) Ovid. Fast. l. I. v. 11.

[5]) Comitiorum Bacsiensium de a. 1518. art. 41.

§ 39.

Leges de re militari

Leges Vladislai II. de militia non unis natae Comitiis, sed praeclara Ordinis equestris opera, constantiaque

adjectis ad suplementa suplementis, ad eum perfectionis adductae gradum sunt, ad quem propositiones Sigismundi eluctari nequiverunt; prorsus ut ad hoc inclinantis rei publicae tempus dilata, et quodammodo seposita haec esse videatur maxima virtutis Nobilium gloria, quod praeter Insurrectionis generalis munus, se ad pendendas quoque, tempore pacis, pecunias exercituales obstrinxerunt. Quam quidem ego legem, aliam item hanc dum mecum considero, qua pro laudatissima mihi mentis suae sobrietate, perpetuoque auctoritatem Regiam integre servandi studio, imposita huic in donationibus faciendis vincula abruperunt [1]; nunc demum mihi perspicere videor, quam apte Herodotus: [2] „si quis universis hominibus praebeat facultatem optimas ex omnibus leges eligendi; profecto cunctas singuli rimati, suas eligerent. Ita existimant quique longe pulcherrimas esse suas leges" [3]. Sed in his singularibus, planeque domesticis et nativis Historiae Status Jurisque publici Hungariae aevi medii Amoenitatibus, quae priscae vim Thucididis Sententiae apud posteros saltim militum d. Protoregis nondum exspirasse ostendunt, pro merito celebrandis alter vires ingenii periclitetur sui; ego sola probi virtute Indicis [4]) me involvo, et de legibus in rem militarem per eos conditis, ita si tibi videtur, censeo, existimes:

[1]) Art. 26. 1498.

[2]) Hist. l. III., quem Thaliam inscripsit, cap. 38.

[3]) Quod enim sequitur „Non igitur credibile est, alium virum, quam dementem, talia ludibrio habere" ad obtrectatores Majorum nostrorum pertinet.

[4]) Supra l. I. § 27. l. XII. § 42.

§ 40.

a) de Banderio regali.

Banderium Regis equites mille numerabat [1]). Ejus item aere et Vajvodae Transylvaniae, et Comiti Siculorum,

[1]) Art. 21. 1498.

Bano item Croatiae et Comiti Temesiensi sua singulis banderia; Regis denique fuit, Castra finitima conservare, necessariisque instruere belli apparatibus.

§ 41.

b) De Banderiis Praelatorum.

Ex praescripto legum harum [1]) Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Praepositi, Abbates et Cartusiensis de Lövöld, nec non Prior Auranae, ratione proventuum decimalium, numerique colonorum suorum, et Archiepiscopus quidem Strigoniensis et Episcopus Agriensis Banderia duo; sensu itaque art. **20. 1292** equites **800** [2]); Archiepiscopus Colocensis, Transylvanus, Episcopus Varadiensis, Quinqueeclesiensis, Zagrabiensis, Prior Auranae unum; Jaurinensis, Veszpremiensis, Vaciensis Episcopus, item Abbas Pécsvaradiensis et Varadini Petri, Abbas s. Martini, Fratres Cartusienses, Capitula: Strigoniense, Agriense, Quinqueeclesiense, et Transylvaniense medium Banderium; Episcopus Csanadiensis, Praepositus Albensis major cum Capitulo, item Abbas Szexardiensis equites **100**; Episcopus Nitriensis et Syrmiensis, Abbas de Zobor, Capitulum Bacsiense, Praepositus Tituliensis equites **50**, constanter tenere et conservare, ratione bonorum Eclesiasticorum, nam qui praeter haec jura quoque secularia officio huic ab antiquo subjecta tenerent, hoc quoque praestare debebant [3]).

---

1) Art. 20. 1498.

2) Recollige, quae de legibus his L. III. § 20 subjecimus.

3) Ita lex sane quam liberalis. Ex hac igitur Petrus de Várda Pontifex Colocensis 400 solum equites habere debuerat; habuit autem pro incomparabili suo in Patriam amore tantos, ut licet bona Eclesiae suae per aemulos plurimum accisa essent, contra Albertum quidem 200 galeatos, 100 levis armaturae milites, adversus Maximilianum vero equites circiter 1000 offerret; praeter hos autem, Voinikiones (milites) „gravissimis expensis in bonis suis ad defen-

sionem regni et Eclesiae suae conservaret, En Praelatum Hungarum: quem „se pro viribus, et supra vires ad omnia regni et christianitatis exponere obsequia“ Vladislaus testatur apud Katonaium meum in Hist. Metrop. Eclesiae Colocensis.

§ 42.

c) De Ducum, Comitum Banderiis

Legibus aliis [1]) recensentur Duces Comitesque perpetui, et liberi, ac Dynastae potiores, qui pro amplitudine bonorum obvenientem, secundum numerum Jobbagionum suorum, militem habebant.

[1]) Art. 22. 1498. Confer quae hanc in rem Tubero Abbas in Comment. de temp. suis lib. IV. § 9 et 10 adnotavit.

§ 43.

et horum apparatu.

Banderium Praelatorum et Baronum sensu art. 20. in media parte gravis, in media levis armaturae erat. A condito tamen art. 16. 1498 alteram etiam partem hanc gravis armaturae constare equitibus oportuit.

§ 44.

De gentibus Comitatuum.

Pars Cleri non banderiata, secundum mensuram proventuum suorum decimalium, numerique colonorum, et qui decimas non haberent, instar aliorum Regnicolarum Banderia non habentium, de singulis triginta sex portis, equitem unum armatum; in Comitatibus tamen Partium inferiorum: Posega, Valko, Syrmiensi, Bács, Csongrád, Csanád, Zaránd, Torontál, Arad, Temesvár et Békes Hosti magis vicinis, portae quatuor et viginti equitem dabant, qui scutum seu clypeum, lanceam, loricam et cassidem haberet. Nobiles unius sessionis, nullo partium regni

discrimine, a triginta sex portis armatum perinde equitem ad gentes Comitatus sistebant [1]).

[1]) Art. 15. 16. 1498.

§ 45.

De pecuniis exercitualibus.

Gentes has lex [1]) usque festum b. Martini a. 1498 congregari, et deinceps semper paratas teneri jussit adjecitque providentissime: eas sine speciali consensu et voluntate Regis levari non posse. Stipendium harum non novo, quod eruditissimus Skerleczius putabat, sed, uti jam Libro III. § 172. vidimus, nomine antiquissimo pecunias exercituales dicere placuit [2]), quas Clerus non banderiatus, Nobilesque possessionati, et unius sessionis qui erant, pro sua quisque portione, dependebant [3]).

[1]) Art. 18. 1498.

[2]) Mart. Georg. Kovachichius primum earum vestigium in Math. D. IV. art. 7. § 2. se reperisse Supl. ad Vest. Comit. T. II. p. 402 putat; male: articulus enim hic de generalibus contra fures, aliosque malefactores judiciis et judiciorum horum sumtibus agit.

[3]) Art. 21. 1500 § 1. pecuniae ad exercituandum; art. 1. 1514 §. 4. pecuniae exercituales, seu ad rationem conservationis gentium dicuntur. Has a lucro Camerae penitus diversas fuisse et per se patet, et ex literis Vladislai altero post conditum art. 21. 1500 anno ad Ordines Slavoniae datis citatisque a Skerleczio clarissimum est.

§ 46.

De exceptione a legibus his facta.

Undecim Regis Aulici art. 21. 1500 indicati, cum pro habitu facultatum suarum concessum Ducibus Comitibusque art. 22. 1298 proprii Banderii honorem obtinere non possent, id lege hac impetrarunt, ut quandocunque

bona et possessiones ceterorum Regnicolarum dicabuntur, horum etiam opes dicentur quidem, sed pecuniae exactae, iis reddantur et si Rex ipse exercitum ducat, militem hi suum non Comitatus, sed Regis ipsius submittere vexillo possint[1]); hic tamen legis favor nec transire ad haeredes queat, nec ipsis, si servitio Regio renunciaverint, suffragari.

---

[1]) Conf. etiam art. 1. 1518 Comit. Bacsiensium et Literas Vladislai Francisco de Batthyán a. 1513, alias item Ludovici de a. 1517 Joanni de Várda collatas in Tudom. Gyűjtemény 1834 v. I.

§ 47.

Quae omnia praeclaram Ordinis equestris

Ordinem Banderia et stipendiarios educendi veterem art. 24. 1504 restituit. Ex mente hujus si stipendiarii Regis ad defensionem non sufficerent, viri eclesiastici gentes suas, quo opus esset, mittere debebant; si neque hi pares hosti essent, Baronum banderia succurrere; Comitatuum deinde adesse gentes, ac tandem generalem proclamari exercitum regni oportuit. Huc legem adscribere parabam dignam moribus melioribus, metas nempe nec officialibus, nec stipendiariis, seu regalibus seu Praelatorum et Baronum, seu ceterorum Regnicolarum, quoties necesse pro defensione regni esset, ullas, quas egredi non debeant, praefiniri. Si tamen praeter stipendiatos Universitatem insuper Regnicolarum insurgere oporteret; hanc ultra metas regni procedere non teneri; at legem hanc eadem ferme dies et natam vidit et exstinctam.

§ 48.

industriam probant.

Nobiles tenui re qui fuerant, descriptam legibus his obligationem pro ea fidei in Regem, amoris in Patriam

constantia, qua „se non modo unam in anno, sed duas, etiam aut tres, si Rex, adhibito malis remedio, jussisset, soluturos dicas“ significarunt [1]), explevisse Uladislaus iterum, iterumque testatur [2]). Dominos non ille solum, sed leges eodem constanter tenore perlatae, non pro numero colonorum suorum banderia tenere; bona ab antiquo banderiata venum a possessoribus dari; per emtores autem adnexae his obligationi haud satisfieri queruntur [3]). Quod non est, cur persequar longius; praesertim cum haud de nihilo verear, ne non desint, qui hos veri eruendi conatus nimios putent. Nihil igitur neque de luxu, in quo uno ostentando, notatam alias inter sacri profanique ordinis summates viros discordiam concordem, apud Bonfinium [4]), Herbersteinium [5]) synchronosque scriptores alios vides, neque de perpetuis, inter quae habitata per hos Metropolis ad interitum properavit, bacchanalibus adferam; sed quod maxime consentaneum est, initium finemque Vladislai temporum, supremis ejus complectar verbis: „ordinem, sine quo nulla unquam Respublica bene gubernata esse legitur, ab omnibus et rebus et officiis sublatum esse.“

---

[1]) Bonfin. Dec. V. l. 5. p. 574.

[2]) Scimus autem, ait is (in lit. de a. 1506 apud Pray hist. Reg. Hung. P. II. p. 575) quod isti tenuiores et inferiores Nobiles non sunt culpabiles, quia certum est, quod ipsi de bonis suis pecunias exercituales solverint.

[3]) Atque huc id etiam spectat, quod celeberrimus Batthyánius LL. EE. T. I. p. 598 ad art. 15. adfert: Patronos Eclesiarum non banderiatarum milites, quos hae ad gentes Comitatus statuere debebant, his subtractos suis adnumerasse gentibus. De quo art. 23. 1526 iis acerbissime exprobrat.

[4]) Bonfin. Dec. V. l. 4. p. 561 de Comitatu Thomae Bakácsii, p. 562 de amictu Stephani Zápolya.

[5]) „Primores regni, ac praecipue Praelati luxu poene incredibili diffluebant, et certabant quasi aemulatione quadam tum inter se, tum cum Baronibus, ut alii alios profusione et splendore vincerent.“ Ibid. p. 146. Vide sis et Istvánffyum l. 8. p. 76.

XXXVI. REX LUDOVICUS II.

ab anno 1516 — 1526.

§ 49.

Hic novennis erat, cum Regius in eum Principatus devolveretur.

Puerum Regem calamitatem populi maximam esse jam olim apud Hungaros in consuetudinem proverbii venit. Fidem hujus, ut alia deessent omnia, Regius satis Principatus, qui in Ludovicum novennem devolutus est, additoque hoc velut cumulo aucta veteris discordiae ferocia, clades apud Mohácsium non hostis virtute, sed intestinis odiis allata, cohors denique malorum ostendunt, per quae nihil propius factum est, quam ut ipsis adeo Nobilium moribus, addito ad exempla largitionis quaestu labefactis, res horum adhuc sustentatae inopia, aliorum non tam amitterentur divitiis, quam perderentur.

§ 50.

Tutelam itaque ejus, voluntate Patris, Maximilianus Caesar et Sigismundus Poloniae Rex

Minorennis tutelam filii Uladislaus Pontifici Maximo, Caesari praeterea et Sigismundo fratri commisit suo. Sollicitudinem hoc animis Ordinum Hungariae haud modicam importavit; quoniam ultima haec Uladislai voluntas, fidei Diplomatis repugnabat, per eum a. 1505 editi, quo solemnibus verbis spopondit, admissurum se non esse, ut educatio filii, superstite se, aut a fatis suis, Principi cuiquam forensi deferatur [1]).

---

[1]) Vide literas Hieronymi Balbi Supl. ad Vest. Comit. T. II. p. 431 et sequent.

§ 51.

horumque auspiciis Georgius Marchio Brandenburgicus, Joannes Bornemisza et Thomas Bakácsius Cardinalis gerebant,

Non itaque Zápolyio tantum, viam sibi ad summam rerum non obscure affectanti, sed aliis quoque gravissimis viris, qui curam autonomiae regni nondum deposuerant, satius visum est, fieri, quod avi fecissent, et convocatis Ludovici nomine ad diem 24. Aprilis Ordinibus Gubernatorem creari, penes quem, dum Ludovicus adolesceret, regni procuratio esset. Non tamen deerant, qui vererentur, ne ad fastigium id Zápolyius elevetur; opera igitur Legatorum Caesaris Regisque Poloniae, Comitiis illis in aliud prorogatis tempus, in distincto Conventu, Georgius Marchio Brandenburgicus, et Joannes Bornemisza delecti, qui, Caesaris Regisque illius nomine, Tutorum partes obirent. Horum illum animo levem fuisse, luxuque et mollitie difluentem, communi scriptorum omnium testimonio certum; alter vir usque adhuc probus, sed ingenio tristi et severo fuit, nullis artibus civilibus, sed quod Vatiniano Zápolyam odio constanter odisset, insignis, et qui ad extremum ipse etiam propria seculo huic fidei peste, redditus aerarii in privatum compendium avertendi cupiditate, semet aufferri passus est [1]). Duumviris his tertius, qui videret, ne ex lascivia morum Marchionis aliquid vitii Regis caperet animus, Tutoris igitur quodammodo Tutor Cardinalis Thomas Bakácsius additus, qui cum antea, tum vero maxime, postquam Comitiis a. 1497 gravissimam sibi conflasset invidiam [2]), sola fere tantum opes opibus accumulandi industria domi; reliqua

---

[1]) Vide sis Commentaria Mich. Császár Verbőczy Istv. emlék. II. Kőtet edita C. 118 et seq.

[2]) Confer Ingressus Decr. III. Ulad. § 6 et quae Bonfinius de Comitiis his solutis adnotavit.

omni mentis, animique facultate, ad consequendos supremos Hierarchiae gradus, hisque emensis, adipiscendum summi Pontificis fastigium, apud Caesarem, Venetos, Principesque exteros, quos ad finem suum praesidio vel adjumento sibi futuros confidebat, constanter abfuisse vulgo ferebatur. Concordiae quidem Civili, cujus studium inter summas Petri de Várda Archiepiscopi Colocensis laudes praecipuo quodam splendore enitet [3]), hunc item operam dedisse, nemo prodidit. Ludovicus autem eo Tutore „Eclesiasticos Principes, immemores beneficiorum a Patre suo seque ipso acceptorum, omne Imperium et potestatem Regiam in personatus, facultatemque conferendorum beneficiorum, dignitatumque generaliter omnium, in manus suas, literis, ab infantulo se, inprovise exaratis, accepisse“ maxima querimonia contendit [4]).

---

[3]) Vide literas ejus l. c. n. XXXIX. XL. XLI.

[4]) Batthyánius Pontifex Transylvanus, cujus eximiorum in res Patriae amplissima doctrina sua illustratas ornatasque meritorum, non secus, quam immortalis apud Hungaros nominis Petri Pázmáni, Szechényiorumque Archi-Praesulem memoria tam grata mihi de temporibus his virtuti infestis narranti accidit, Privilegium hoc Ludovici LL. EE. T. I. p. 603 ad b) indicat; querimoniam ex ore Ludovici Regis acceptam, Császárius l. c. c. XII refert.

§ 52.

invisi populo.

Hoc animorum habitu, quae Triumviri hi, seu bene, seu male fecissent, invisa populo, praesertim, quod iis nihil admodum neque ad parsimoniam sumtuum aulae, neque rationes per Praefectos aerarii reddendas, neque ad effectum legum adnitentibus, per hanc eorum in fungendo principali officii sui munere seu ignaviam, seu conniventiam perpetuis plebem taxis premi oportuit. Comitiis itaque Tolnensibus (tertia haec erant anni 1518,

nam prima duo re infecta soluta sunt) Nobiles „duobus regnum omne instrumentis armis nempe regi, legibusque; horum tamen in Hungaria neutrum hoc tempore haberi" questi [1]) subsidio in aere et milite decreto, Administros vectigalium Regiorum acrioribus perstrinxerant verbis, Bachiamque semet ad festum b. Michaelis Archangeli conventuros et ulteriores modos, quibus et aerarii et plebis rationibus subveniatur eo propposituros declararunt candore, ut se Rex, tamquam fideles suos optime rebus suis consuluisse plane intelligat [2]).

[1]) Art. 1. Decr. Toln. de a. 1518.

[2]) Verba sunt art. 17. Decreti ejusdem, quae Prayus silentio praeterit.

§ 53.

Comitiis itaque Bachiensibus

Comitiis Bachiensibus, re ipsa, plura perquam salutaria de remittendis bonis et proventibus regalibus; renitentibus brachio regali cogendis [1]); de prohibendis salibus externis; de fodinarum cultoribus in usu privilegiorum conservandis et quae alia sunt optimae notae, sciscebantur. Ex quibus et lege inprimis, qua bona Coronae distincta, reditusque aliorum ad publicas, aliorum ad coquinae Regiae rationes assignati sunt, quae ad Aulam Regiam oeconomiae ratio fuerit, ante oculos est [2]).

[1]) Hoc generatim de executionibus quoque Sententiarum Curiae Regiae art. 5. legum Diaetae hujus constituitur, cujus aurea verba „Quod Majestas sua Regia, ex suscepti regiminis officio facere debet" animum Jura Regia invadendi ab Ordinibus regni, qui haec loquuntur, abfuisse cum ratione dubitare nemo potest.

[2]) Art. 15. Diaetae Bacs. a. 1518.

§ 54.

cetera inter

Reliqua Decreti ex Comitiis his editi pars, ad eruendum justum banderiorum numerum, ducendas de pecuniis ad conservationem gentium destinatis rationes, avertendasque utrinque fraudes tendit [1]). Quam ob rem universa bona tam Dominorum, quam nobilium et illa quidem, ut resciatur numerus Jobbagionum, juxta quem Domini gentes conservare tenentur; haec ne colonis Dominorum et Nobilium non banderiatorum justo plus oneris, titulo sumtuum conservationis gentium Comitatus irrogetur, conscribenda; speciatim pro conservatione gentium ad biennium floreni 2, Regi centum et viginti nummi a singulis repraesentandi portis decernuntur. Nobilibus unius sessionis, quia singuli, dum extrema necessitas urget, capere arma tenerentur, a pendenda ratione conservationis gentium taxa relevatis [2]).

---

[1]) Ita art. 1. § 4.
[2]) Art. 37. Diaetae ejusdem.

§ 55.

Consiliarii ex parte regni denominantur,

Iisdem Comitiis quatuor ex Praelatis praecipuis, Baronesque totidem et sex ac decem ex viris equestris ordinis delecti, qui in consilio Regio et Judiciis adessent, omnibusque Regis Regnique negotiis sollicite intenderent. Hoc in summa; id vero specialiter his in negotiis datum, ut de Majestatis regiae bona et laudabili institutione providerent [1]).

---

[1]) Art. 40. § 3.

§ 56.

conatu, quantum quidem ad rationes aerarii Regii attinet: irrito.

Et hanc quidem mandati sibi officii partem Consiliarii hi, ne cum obtrectatoribus eorum erres, cum insigni providentiae laude executi sunt, dum Regem adolescentem melioribus imbuendum artibus Jacobo Pisoni concrederent, de quo ei praeceptore magis, quam ipso regno Erasmus Roterodamus gratulabatur [1]); quod ad leges ceteras, quibus parsimoniae suberat causa: nihil plane abnuo, Thomam Bakácsium et Tutores Regios enixissime elaborasse: ne leges eae, quibus juri Regio de proventibus aerarii sui libere disponendi derogaretur, in usum abirent [2]); sed vigoris animi candorisque ab iis requiro officium, quo Herbersteinius, sola tantum bonae voluntatis conscientia, in monendo functus est [3]).

---

[1]) Ederus in Observ. Crit. ad Felmer. p. 260.

[2]) Vide superius citatas Hieronymi Balbi literas.

[3]) „Ego quidem certe cum oratorem Principis mei Budae agerem, non dubitavi, quasi aliud agens, serenissimam Hungariae Reginam Mariam admonere, ut futura consideraret, sibique in omnem eventum praesidii aliquid compararet, et seponeret unde sibi et suis, si quid adversi accidet, opitulari possit. Et alioqui magis regium esse: juvare alios, quam alieno auxilio indigere. Etsi vero bonam in partem pro more regio accepta fuit haec admonitio; tamen Aula mansit, qualis erat; et nihil remissum est a pompa, fastu, insolentia, ac luxu, donec concideret". l. c. p. 146. 147.

§ 57.

Stephano Báthory Palatino electo discordia Civilis in mutuum hostile odium erupit.

Initium anni 1519 mors Maximiliani Caesaris in Germania, apud Hungaros Emerici de Perény Palatini

obitus et Comitiorum, causa deligendi successoris, properatorum exitus, nobilitavit, plurimis in Stephanum Báthorium suffragiis collatis, Joanni Zápolyano et qui partibus ejus studebant detestatus, horumque ob iras multo vero magis per pravum, qui ad rem eam efficiendam adhibitus [1]) in morem deinceps venit, votorum multitudinis venalis quaestum [2]), Patriae gravis, in qua gliscens hactenus discordia, subjecto velut igne jam ardere, fastidioque et contumacia utrinque obfirmata, suprema haec reipublicae orbae calamitas, dicere animus refugit, amari utrinque caepit. Et Palatinum quidem hunc, quod adversae factionis qui erant, vitio creatum gravabantur, semel, atque iterum electum asserenti Verbőczio [3]) plenam adhibeo fidem. Sed utramque electionem hanc ad annum **1519** referre inclinat animus; quum prima in particulari tantum Congregatione, et haud scio, an absente Joanne Zápolya per Tutores regios festinata fuerit; tanti autem momenti negotium, nisi maximo populi Comitiatu, cujus eodem anno celebrati plura exstant indicia, rite peragi nequiverit [4]). Si Franciscum Massarium (Veneto ad Aulam Ludovici II. Oratori a secretis fuit) audias [5]), Pala-

---

[1]) Recollige Notam Sambuci de origine odii Joannis Vajda in Script. min. rer. hung. Kovachichii T. I. p. 44.

[2]) ,,Iidem (Primores) nobilitatem partim beneficiis ac praemiis, partim etiam potentia ac metu sibi obnoxiam tenebant, ut plures assectatores haberent, ac eorum studiis et acclamationibus in publicis conventibus juvarentur". Herberstein o. c. p. 146. Hoc significat etiam Járkállás ejus p. 4.

[3]) Guidotus o. c. ,,Il palatino novo rispondeva dicendo, quelli, che te hanno ellecto duo volte palatino, te hanno etiam deposto, et me hanno ellecto."

[4]) Suplem. ad Vest. Com. T. II. p. 429 et seqq.

[5]) Literae hujus ex Secr. Arch. Aug. Domus per eruditissimum Firnhaber propediem vulgandae ,,li regnicoli porexeno molte querimoniae a quella M^{ate} contra lo illustrissimo palatino acusandolo prima che domente el rimase locotenente in hungaria nel tempo

tinus ille, Comitiis post Regis ex Bohemia reditum (circa festum s. Georgii a. 1523) celebratis, de gravissimo peculatus crimine, conscientiaque exercitae per Andream fratrem adulterinae monetae per Regnicolas compellatus, simulque Rex, ut ei Magistratum abroget, clamore magno additisque minis flagitatus est: secus si faciat, subsidia gerundi contra Turcas belli per eos decernenda non esse. Rex igitur Magistratum ei ademit. Neque dubito cessisse eum necessitati, temporique; sed quum Stephanum Báthorium in Literis Ludovici festo b. Thomae a. 1524 exaratis porro quoque Regni Palatinum lego; immo vero apud eundem Massarium etiam 5. Octob. 1523 (dies est, qua suas illas ad Principem Venetiarum literas dedit) Palatinum video; in eam adducor sententiam: constituta legibus tunc rogatis de peculatu [6]); de adulteratoribus monetae [7]); et qui rationes accepti et erogati nondum reddidissent [8]), quaestione; aut mox tum iram resedisse, aut Báthorium ea, quae objiciebantur purgasse deinde et

---

che quella M^ta^ steta in bohemia, ilhavea scosso de le impositione et altre intrade del regno ducati 700 m. per pagar gente darme alli Confini, per obviar che turchi non dannizaseno quelli lochi, e loi non havea tenuti de pagati altro que Cavali 500, item che continuamente lhavea tenuto exploratori dil Ser. Turco in casa sua, et que lhavea intelligentia cum et dicto Ser. Turcho et che de suo consentimento D. Andrea Bator suo fratello havea facto bater piu di 300 m. ducati de moneda falsa, e tutti cridavano che altutto el fosse deposto dil palatinato, et constretto a restituit quelli danari indebitamente subtractati, altramente che i non soccorreriano al bisogno dil regno per la guerra, de modo chel re li tolse el palatinato, e li regnicoli restorono contenti et satisfatti, e promesseno di venir in Campo impersona cum sua M^ta.^

[6]) Art. 2. 1523.

[7]) Art. 3. 1523.

[8]) Art. 4. 5. 6. 1523.

citra electionem novam [9]), dignitati suae per Regem redditum, Hatvaniensibusque demum Comitiis exauctoratum fuisse. De quibus paullo post.

[9]) Citra electionem inquam; quod jam etiam fidentius dico, ita enim Oratores et Commissarii D. Ferdinandi ad ea, quae Commissarii D. Comitis Scepusiensis (Joannis Zápolya) in medium attulerunt, 6. Junii 1527 in Diaeta (Congressu) Olomuczensi, licet ante aliquot annos Dominus Rex Ludovicus ad instantiam Regnicolarum illud Officium ad manus suas receperat, attamen in alia Diaeta (Conventum, Congressum sensu latissimo notat) instantibus Ordinibus Regni Officium hoc ei restituit.

§ 58.

Depravatus rei monetariae status.

Vladislaus in condendis de militia, qua tamen et foedus a. 1500 contra Turcas, et aliud a. 1505 contra Venetos ictum, nescio an majori Consiliariorum, quam sua ignavia destituit; Ludovicus de moneta, cujus usum frugiferum non novit, multus erat [1]). Rationem Herbersteinius reddit, non ille historiographus tantum, sed occasus quoque rerum nostrarum testis ingenuus [2]), „quod haec innovandae argenteae monetae obtinuerit licentia, per quam prioribus bonis nummis conflatis, alii deteriores passim cudebantur, et his rursum sublatis alii fiebant meliores; qui tamen justum pretium tenere non potuerant; sed nunc pluris, nunc minoris habiti sunt,

[1]) Art. 18. 19. 1521. Art. 3. 25. 26. 27. 28. 31. 34. 37. 1523. — 10. 26. 1525 partim in Corp. Juris, partim Syll. Decr. Com. Jos. Nic. Kovachich.

[2]) Jure et Vernhero et Sigismundo Torda Hungaris, ac per hunc quidem Carminibus laudato ejus Operi (p. 174) praefixis celebratus.

prout locupletiorum cupiditati libuit, qui etiam a quibusdam privatis pene palam impune sunt adulterati.“ [3])

[3]) Császárius c. o. cap. 126 et seqq. plane consentanea habet.

§ 59.

Cum Rex lege sibi asserta Consiliarios, quos vellet, eligendi facultate ita uteretur,

Inter haec Belgradum proditione Morei per nostros amissum, praesensque jam Hungariae a Turcis periculum cum esset, ad gentes de publico aerario conducendas, Comitiis a. 1421 Budae celebratis, amplissimum, quod unquam antea, Ordines Regni subsidium obtulerunt, simulque in testimonium ingenuae fidei, ex qua sua illa de reparando aerario Regio consilia profecta essent, Regis permiserunt judicio, ut quos vellet, de medio Praelatorum et Baronum Nobiliumque viros deligeret ipse, et per hos de taxis et proventibus Regni rationes, inde a tempore Diaetae Bachiensis haud redditas, deposceret. Buda deinde Albam profecti sunt, ubi Rex juramentum, quod ex Diplomate Patris debebat, de legibus probatisque moribus Majorum sacro sancte observandis nuncupavit; Regina vero solemni coronata ritu et „de consilio et assensu omnium Dominorum, Praelatorum, Baronum, Procerum Nobilium Hungariae ex veteri instituto, bonis plurimis, dotis nomine et reginali tenendis jure, donata est“ [1]).

[1]) Civitas erat Cremniczіensis, Schemniczіensis, Bisztriczensis, Pukáncz, Dilln, Mons Regius, Libeta, Brezna, Korpona una cum suis auri, argenti, aeris aliorumque metallorum et minerarum fodinis; deinde Castrum Zoliense, Castrum et Civitas veteris Budae, Insula Chepel, Oppidum Kevy et aliae ejusdem insulae possessiones; Camerae salium Marmarosiensis, Castrum Huszth, Castellum Kona,

Oppida: Huszt, Szigeth, Thesow et Visk; Castrum Munkács, Oppida: Bereghzaz, Munkácsvar; Castrum Diósgieur, Oppida Miskolcz, Diósgyőr, Moby, Mesewkewesa, Keresztes cum honoribus Comitatuum dictis Castris antiquitus adjunctis cet. Vide literas Ludov. II. Regis a. 1522 de his editas in Auctario Kollári ad Velium n. XXV. In Contractu de 22. Julii 1515 tantum Marmarosium cum Camera salium et Castrum Huszt cum quinque Oppidis et aliis Possessionibus, Item Castrum Zoliense cum Civitate, et universis pertinentiis, Civitas Cremnicziensis cum Camera auri et argenti et ceteris quinque Oppidis et pertinentiis, Castrumque veteris Budae cum pertinentiis fuit stipulatum. Ibidem n. XXI.

§ 60.

ut Aulae officia et ipse et Regina exteris mandaret, bonorum quoque animis offensis.

Ex aliis tamen Comitiorum de a. 1523 constitutionibus cognoscas, frustra et has fuisse leges [1]) medioque tempore novam bonis quoque creatam aegritudinis materiam, invisis quippe Consiliariis adjectos exteros, quibus et Rex et Regina praecipua ad Aulam officia mandare caeperunt. Quo quidem consilio non aliud suadere, funestius assentatores poterant, si dedita in hoc opera elaborassent, ut difficillimo reipublicae tempore, dum auctoritate vel amore maxime opus esset, utrumque hunc Regii nervum succiderent Principatus.

---

[1]) In reliqua Decreti de a. 1523 parte lex de Lutheranis comburendis commemorabilis occurrit. Exstat Mandatum Ludovici II. de a. 1524 (Szvorényi o. c. III. p. 96) ad Cibinienses in Transylvania ,,quo assertiones, figmenta, et libellos Martini Lutheri, tamquam excomunicati vicatim, et per singulas domos requiri, inventosque publice comburi, et deinde palam publicari praecipit, ne quisquam cujuscunque tandem conditionis existat, ejuscemodi dogmata, assertiones et libellos eosdem vendere, emere, legere aut tractare sub poena confiscationis omnium bonorum ausit". Hominibus ex

lege hac rogum structum Timon negat, huicque Scriptor recens eruditissimum Esaiam Budayum testem adjungit. Vellem ita rem fuisse; at enim Budaius (Magyar orsz. Hist. II. Kötet 1533. p. 67) tres omnino exustos, de pluribus non esse proditum affirmat. Credo neque prodendum; plane enim laudo hoc Ign. C. de Batthyán: Majores nostros tam faciles in exstinguendis, quam accendendis rogis fuisse. LL. EE. T. I. p. 600.

§ 61.

Atque ita „prosperis rebus locus

Rex hac quoque parte Decretum Patris semet observaturum spopondit: constitutiones tamen Comitiorum Rakosiensium [1]) ostendunt, hanc item sponsionem intra verba solum stetisse. Quod concitus ad Comitia haec populus, velut furore instinctus offensione animi certe acerbissima

---

[1]) De anno 1525 per Kovachich. in Vestig. Com. vulgatae. Idem in Comitia a. 1524 celebrata et ibi et Suplem. T. II. pro more suo naviter inquirit, docetque posteriore loco hoc p. 558 ea pro festo nativitatis virg. Mariae anni hujus indicta. Verum eodem anno etiam ad festum b. Georgii Comitia habita fuisse, contra, quam diligentissimus auctor hic (pag. 556 Supl. T. II. existimet) Literae probant Universitatis Nobilium Comitatus Abauj Garadnae loco Sedis suae judiciariae feria 4. proxima ante festum b. Barnabae Ap. anno 1524 editae et Sigillis Judlium (Judicum Nobilium) suorum firmatae, quibus ad literas Regis Joanni Barcza Vice-Comiti et Judlium sonantes, hanc Vice-Comiti potestatem faciunt, ut subsidium anno hoc in Diaeta circa festum b. Georgii celebrata decretum juxta Connumerationem noviter factam de omnibus jobbagionibus tam eorum (Nobilium), quam Dominorum unum florenum seu praesentem Dicam per oportuna remedia et birsagia exigere et ad manus Dicatorum administrare valeat. Literae hujusmodi birsagiales nobis vocantur. Ceterum ex art. 34 et 36 Diaetae Hatvaniensis (apud Batthyánium) colligas, etiam ad festum B. Lucae Evang. a. 1524. Comitia fuisse celebrata.

exprobrat, queriturque multa de peregrinis consiliis, et necem Germanis, nisi ab aulae ministerio confestim removeantur, minatur omnibus. De quo postquam nihil a Rege impetrasset, fama ad haec percrebuisset, Budam Pesthumve praesidio militari muniendum, Stephano Verbőczio auctore, Comitia haec ad diem s. Joan. Bapt. (1525) Hatvaninum prorogata sunt [2]). Ab his adeundis Rex quidem Comitatus omnes prohibuit, nec deerant, qui interdicto parerent; plurimi tamen ad diem constitutum aderant. Quibus mitti nonnullos Budam placuit, qui Regem ad congregatos Ordines invitarent. Hic, quod auditi per eum Consiliarii omnes impedire tam periculosum iter nitebantur, clam, Regina tamen assentiente, venit, acceptusque fuit honorifice. Verbőczium ferunt coram eodem in patente campo, duas horas patrio sermone perorasse, orsumque a malis, quae Hungaria hactenus perpessa esset, horum causam in Optimates, qui Regi a Consiliis erant refudisse, adjectis precibus, ut alios, dimissis prioribus Consiliariis, eligeret ipse. Hoc Nobiles quoque unanimi ab eo consensu petiisse. Regem ad haec spatium deliberandi usque alterum postulasse diem. Atque hoc, non vero id, quod eis renunciaverat, ut spatium illud ad suum Budam reditum prorogetur, Regem impetrasse, imo vero hoc ejus responso intellecto, mox Verbőczium nihil hu-

---

[2]) Ad Rakosiensem Conventum hunc pertinent sequentia ex Chron. Mar. Sanudo: „et hanno electi 150 nobeli quelli sono romaxi qui, per fare qualche conclusione et sin hora hanno concluso, la nobilita voria far un altra dieta a questo San Zuane batista Caxo che la M[ta] dil re ne consenta a quello che loro hanno dimandato.“ Haec item Császárii l. c. cap. 1. „In Conventu circa festum Georgii Martyris facto, Conventum iterum celebrare Joannis Bapt. sub poena Capitum, bonorum etiam amissione, ac infidelitatis, ac Uxorum, filiorumque et filiarum ignobilitatione Nobiles Regnicolae una voce concordarunt.“

jusmodi molientem, invitumque [3]), **Palatinum proclamatum: Agriensem deinde Episcopum, Joannem item Drágfi et Ladislaum de Kanisa, per quos Rex electionem Palatini, uti rogabatur, ratam ab se haberi nunciaverat, ac illum quidem Cancellarium regni, Drágfium Judicem Curiae, et Kanisaium Thesaurarium (exauctoratis prioribus) delectum esse. His actis, Rex legum rogatarum exhiberi capita sibi jussit. Praecipua fuerant, [4]) ut Consilium Regium, quod magna in parte per exteras nationes hactenus gubernatum esset, reformetur; Rex aliquot personas mox eligat, quae plenam auctoritatem habeant usque generalem Diaetam pro festo b. Georgii M. anni proximi 1526 celebrandam, quidquid ex legibus reque publica videretur, decernendi et executioni mandandi. Universa porro ad Regis Reginaeque aulam officia: Magistratus Curiae, Cubiculariorum, Thavernicorum, Pincernarum, Dapiferorum, Agazonum et Janitorum Hungarae nationis hominibus committantur. Qui ex bonis suis 50 equites educere non possunt, cum banderiis militiam facere nequeant, verum pecunias exercituales in medium Nobilium Comitatuum pendere debeant. In quolibet Comitatu unus Capitaneus per Universitatem Nobilium deligatur, qui tam Dominorum, quam Nobilium bona sub juramento dicent, gentes militaris exercitii peritas conducant. Is Capitaneus experiatur simul, quot et quantae gentes, si contra hostes personaliter insurgendum fuerit, ex Comitatu educi possint. Loca proventuum regiorum, ubi et de quibus officiales finitimi salaria percipiant [5]), per Consiliarios regios limitentur [6]). His omni-**

---

[3]) Császár l. c. c. 45. „Jam electus Palatinus Majestati Sacrae ter cum fletu supplicavit, item et Conventui, ne se hoc onerarent et aggraverent officio, quia" cet.

[4]) Decretum integrum vide sis apud Kovachich Supl. ad Vest. Com. T. III. p. 23 et seqq.

[5]) Huc enim res sunt delapsae, ut quod Procop. hist. arc. p. 106 dicit: „Ita demum Romanorum fines praesidio destituti,

bus Rex subscripsit, Ordines Regni vero in quamque domum unius floreni adjecerunt auctarium, cujus quarta pars Reginae cederet dono.

---

miles limitaneus ex piorum manibus et largitate pendebat" quodam veluti infelici aemulationis genere de Hungaria etiam verum esset.

[6]) Articulus 24 horum Comitiorum ita habet „Ne autem fraus et dolus prout hactenus in rebus vendendis et emendis committatur; ubique per totum hoc regnum pro frumentorum et bladorum venditione et emptione, atque vinorum ducillatione una et eadem mensura Cubulus scilicet et quartale ac Pyntha Budensis formetur. Verum tamen haec mensura atque Pyntha in priorem et pristinum statum et formam, quae nuper diminuta fuit, redigatur, ac per singulos regni Comitatus, omnesque Civitates liberas distribuatur." Legem hanc usque ad annum 1807, quo hunc ipsum in sensum art. 22. conditus est, in effectum non abivisse non tam miror, quam ne recentissimae quidem huic legi usque adhuc plene satisfactum esse.

§ 62.

ereptus omnis;

Ex hoc itaque tempore Hungaria Palatinos duos: alterum Stephanum Verbőczium, electum nuper et per Regem confirmatum, alterum Stephanum Báthorium habuit nondum exauctoratum legitime [1]). Inter quos, cum sedem in Consilio Regis cedere alteri neuter vellet, gravis exarsit contentio, sopita paulisper Stephani Báthorii Buda discessu; neque tamen eo magis res Verbőczii convaluerunt, tum quod, uti se ipse paullo ante excusabat, non iis erat opibus, quae ad splendorem tantae dignitatis sufficerent, tum quia non tam generalis Congregationis regni suffragiis, quam per Conventum, a quo plures ab-

---

[1]) Hic art. 6. Diaetae Hatvaniensis jam pridem Palatinus in exemplari Vaticano C. Ign. de Batthyán dicitur.

fuerint Comitatus, Magistratum eum adeptus est, et denique in comparandam sibi apud Aulicos vel auctoritatem vel gratiam nihil admodum incumbebat; de perpetuo autem ejus in Joannem Zápolya studio palam erat[2]).

---

[2]) Confer Relationem Vincentii Guidotti de 3. Sept. a. 1525, edit. per Gévay et Császárii Commentarium plurimi in rem praesentem usus.

§ 63.

dira, qua veniant, habent" [1]).

In primis itaque Regina eundem, ut hominem non bonae rei aversata, uti credere par est, inductu Báthorii id dabat operam, ut quantum quidem fieri posset, amplissima adversus factionem eam coalesceret societas. Haec deinde vulgo Kalandos, socii confratres dicti, Comitiis, quae in diem 24. April. 1526 ad campum Rákos concita sunt, ad abrogandum Verbőczio primum regni Magistratum, eumque, postquam fugae se mandasset, proscribendum; Stephanum Báthorium Magistratui reddendum; legemque perferendam, ut munus hoc vita comite duret; Electio omnium aliorum officialium ad Majestatem Regiam redeat; ad abolendas denique Diaetae Hatvaniensis constitutiones, cum auctorata sibi populi multitudine, haud modico usui fuerunt; postquam tamen id pro se impetrassent, ut Comitia deinceps quovis solum triennio convocentur, neque extra tempus hoc ad Conventum Regni cogi Nobiles possint; mutato consilio operam suam iis addixerunt, quorum conatu leges de revidendis aerarii rationibus, de reformanda moneta, de consilio Regis, et praeter Praelatos ac Barones deligendis ad id octo Nobilibus, subsidio 50 nummorum a portis singulis penden-

---

[1]) Seneca in Troade.

do, summis Regis Reginaeque conditae ingratiis sunt; hi namque loco portalis militis pecunias, quibus gentes conducerentur, assignari percupiebant. Quod cum Praelati Baronesque constanter recusassent, ultima Conventus die (nefas est dictu) et Rex et Ordines palam protestabantur, non suam futuram esse culpam, si quid detrimenti respublica acceperit. Accepit vero pari utriusque culpa longe maximum. Sed de hoc, vadoque salutis Hungariae, delato nempe a fatis Ludovici, divoFerdinando liberis gentis suffragiis Principatu Regio [2]), fortunaque Hungariae ex adversis et perditis rebus ad meliorem statum revocata, plures auctores scripserunt clari nominis, nobisque nostro hoc qualicunque labore perfunctis, pia solum, sed perpetuo in patriam amori conjunctissima, pro aeternitate domus Augustae, vota reliquerunt.

---

[2]) Vide Diploma ejus Assecuratorium de ultima Novembris a. 1526 in Syll. Decr. Com. p. 370, et literas per illum ad fratrem suum Carolum V. Imp. 23. Nov. 1527 exaratas apud Antonium Gévayum: Urkunden und Actenstücke zur Gesch. und Verh. zwischen Oestreich, Ungarn etc. „Et apres sest tenue une iournée entre les estatz (lesquels par ensemble dung comung accord ont conferme lelection, que fut faite lannee passee en ma personne) Et mont de nouveau eslus desirans ma briafue coronation (Dout tost apres le 11je. de ce present mois, que fut le iour saint humbert, icelle sen est ensoyoie) Et mont en la ville de Stoulveyssemburg coronner pour leur roy a la mode accoustumee.“ Confer cum his literas quoque Ordinum Regni ad Propositiones ejus ex Comitiis Posoniensibus exaratas Tud. Gyűjt. 1837 v. 2. p. 67. Katona Epit. Rer. Hung. P. II. p. 546. Dissert. de modo Cons. Imp. in Hung. cap. 86.

MANTISSA.

MANTISSA.

I.

Literae Nunciorum urbis Posoniensis, ad Senatum hujus altera festi Pentecostes die, a. 1446 in campo Rákos exaratae.

Unser willichait in dinsten zeuor sunder herren und furdrer. An heutigen tag sein auf dem Rakus bey einander gewesen der maist tail der lanndtherren im Rat als der Ertzbischof [1]) her Mathias [2]) Bischoff der von woczen wesprim dartzu der gross graff Lassla [3]) Ban und Ander herren zemal vil geistlich und weltlich. Darzu der Orsag zemal vil also erputen wir uns zu angesicht der herren. Da cham her Thoman von zeecz vnd est vns mit furbringen fur dy herren In Rat dy vns erlich gnug enphingen vnd auf nomen vnd gewallen heten an unser beywesung. Den wir fuerhieltn eid vnd vns gehorsam des Sy vns dannkten treulich vber das Schueffen Sy vns zegen zu sambung ander Stet in ein Zelt vnd mit uns ging der bedacht her Thoman in das Zelt vnd vnder redt sich ein guet tail in v'trawn mit vns darnach chomen dy von Casschaw vnd dy von Newn ofen auch dy von Weissenburg vnd warn In dem Zelt lange Zeit mit vil vnderredung. Darnach chomen her Jorg von Rozgon vnd her Lasla von poloncz [4]) vnd hielten vns fuer vnd vil Worten was wer die betrachtn vnd erzaltn

---

[1]) Dionysius Szetsius Cardinalis.

[2]) Matthaeus rectius, Episcopus Transylvanus.

[3]) Ladislaus de Hedervára Palatinus.

[4]) Ladislaus de Palócz.

vns ettwas Artikel als ir hie Innen v'aemen werd vnd besehen vnd begertn an dy Stet darauf zeswern das von den Stetn ward abgeslag'n binen bisher. Darnach kurtzlich ward ein geschray vnd der Orsag zu erweln ainen v'weser vnd Regirer das Reich vnd dann rit'n dy herrn all von dan' In dy Stat Pesz vber kurtz darnach rueft man den huniad Janusch zu ainen v'weser vnd Regirer des Lanndts wie es aber darnach werd ergen vnd besten des sein wir wartund vnd euch das hinfur verchunden. Item wir vnemen das procuratores des Reichs sollen werden der Erzpischof vnd der pischoff von Wotzen vnd den geistlich'n, Darnach der Lassla Ban [5]) vnd der Gross Graff aber wie es sich sol noch gebn des hab wir nit gantz wissen. Datum an Montag in den pfingstfey'tagn anno &c. xlvj-to.

Articuli super quibus debet fieri juramentum, primo: quod eligent et deputabunt unum Gubernatorem.

Secundo: Quod universi Praelati &c. — — — —
item. Quod omnes Domini Barones &c. — —
item. Quod universa illa &c. — — — — —
item. Quod omnes tractatus &c. — [6])

D And isz ungrisch [7]) den chan Ich euer weisheit nit zuschreiben. [8])

Stephan Renes.
Stephan Gmaitl.

---

[5]) Ladislaus de Gara.

[6]) Textus horum articulorum, ita laudatissimus mihi Gyurikovicsius, a quo literas has ex autographo desumtas accepi, de verbo ad verbum articulis I. II. III. IV. V. Decreti congruit, quod Mart. Georgius Kovachichius in Vest. Comit. p. 253 et seqq. edidit integrum.

[7]) Quid illud fuerit? haud facile expedias; cum enim sequentes Decreti hujus articuli post electionem Joannis de Hunyad, eoque pro candore fidei suae, maxime flagitante conditi sint, haec literarum, altera a solenni actu illo die exaratarum, particula ad hos referri vix ac ne vix quidem potest.

[8]) Hi igitur ad communis colloquium Consilii hungaricum missi linguae ignari erant hungaricae? Vellem nescire hoc, sed fatentur ipsi, certumque est, plerosque Urbium Nuncios posthac quoque diu, gratis Leobiensis Coloniae posteris, de quorum in idioma hoc studio l. IV.

Inscriptae sunt:

Den Ersamen wajsen herren Dem Burgermeister Richter vnd Rate der Stat zu prespurg vnsern gunstigen herren vnd pruedern.

---

§ 7 diximus, hujus non tam laudis, quam officii genere inferiores fuisse. Et in praesens quidem ab usu Juris eminentissimi: Regno de Gubernatore communibus sufragiis providendi, et quam honorifica nomini Hungaro, tam Europae universae salutari Joannis Hunyadii electione ii ipsi semet excluserunt; quoniam juramentum, quod „singuli singulariter (art. 6. 1446) tam scilicet Majores, quam Minores de suscipienda sub conditionibus praemissis electione nuncuparunt" hi, nescio quid a communi Patriae causa diversum spectantes, nuncupare tergiversabantur. Quod genus alia non colligam, qui vel his ita repertis ingemuerim.

II.

Pericope literarum judiciariarum Petri Comitis de s. Georgio et Bozin Judicis Curiae Regiae simulque Vajvodae Transylvaniae a. 1508 Claudiopoli 12-mo die Octavarum festi Epiph. per Protonotarium Stephanum de Verbőcz editarum.

Quia tamen juxta Statuta divorum Regum Hungariae, laudabilemque et aprobatam praedicti regni Hungariae, consequenterque Partium istarum Transylvanarum consuetudinem, ab antiquo in talibus observari solitam, personae masculini sexus, contra foemineos, et e converso foeminei sexus contra masculinos non in ipsa capitali sententia, sed in emenda duntaxat capitum suorum, rerumque et jurium possessionariorum amissione condemnari solent [1]), et agra-

---

[1]) In cursu operis plura citavi Diplomata, ad probandam idonea integritatem fidei, qua Verbăczius in apparando Opere tripartito Juris consuetudinarii Hungariae versatus est. Literae hac ex Causa, ut nos

vari; ideo — Dominum Bogdan Vajvodam (Moldaviae) pro praemissa potentiaria detentione Castri Küküllő, contra praefatam Dominam Catharinam (Pongrácz) in emenda capitis sui, ex eoque centum marcis homagialibus ratione Baronatus sui[2]) 400 florenos facientibus, solummodo Actrici solvendis — convinci.

---

loquimur, invalidatoria descendentium sexus foeminei Tököliani ratione Dominii Vajda-Hunyad, Küküllővár cet. suscitata transumtae ad P. II. Op. trip. Tit. 42. § 6 pertinent, ex cujus praescripto „sententia capitalis solummodo personas seculares, virilis sexus, et alienas a sanguine respicit, atque tangit. Nam inter et contra Eclesiasticas, nec non muliebris et foeminei sexus personas ac fratres generationales — capitalis sententia non decernitur, neque pronunciatur, sed solummodo sententia Emendam, hoc est: redemtionem capitis concernens, vetusta de regni consuetudine, fertur et declaratur."

[2]) Supple tit. 94. P. I. Op. trip. Quod si tantus mihi Verbőczius non esset, quantus reipsa, jureque optimo est, dicam ei subscriberem, titulo hoc nihil de Vajvoda Moldaviae commemoranti; licet Vladislaus II. Stephanum Praefectum Moldaviae, Suum (in literis apud Pray Dissert. VII. et Timonem Imag. nov. Hung. c. 13) Vajvodam appellet; vetusque cum Polonis de possessione Moldaviae lis jam a. 1507 apud Dogiel definita sit „ut ratione terrae Moldaviae nullae unquam differentiae oriantur, sed terra illa apud nos (Vladislaum) et hoc regnum, Sacramque Coronam et regnum Hungariae maneat; ipseque Vajvoda pro tempore constitutus (ab a. 1504, obitu nempe Stephani, filius hujus Bogdanus) nos et haeredes nostros pro Domino eorum cognoscat, et fidelitatis homagium semper praestare debeat". Propterea tamen, quod omissionis rationem ex tanto intervallo consequi ego non possum, eum taxare nolim; praesertim quum Baronatum hunc non iis adnumeret, qui medio tempore desierunt.

III.

Privilegium, quo Uladislaus II. laudata Magnifici Joannis Pettheő de Gerse primum quidem Dominae Reginae Annae uxoris suae, dein vero liberorum suorum Curiae Magistri fide, vetusta familiae ejus insignia auget, facultatemque concedit, ut ipse, fraterque et horum posteri in literis sigillandis cera uti rubra possint, per Carol. VI. Imp. et Regem confirmatum.

Nos Carolus VI. Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hispaniarum, nec non Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Sclavoniaeque &c. Rex; &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod Fidelis Noster Nobis dilectus Spectabilis ac Magnificus Comes Joannes Pettheö de Gerse [1]), Comitatus de Zrebernik Supremus Comes, et Regiminis Ebergéniani Militiae Nostrae Hungaricae unius Compagniae Capitaneus, medio demississimi Memorialis sui, Majestati Nostrae humillime exposuerit hunc in modum. Qualiter nimirum idem certarum Literarum Privilegialium, Armorumque antiquae Familiae Pettheöianae Confirmationalium, per Serenissimum condam Principem Dominum Uladislaum, Hungariae et Bohemiae Regem, Praedecessorem gloriosae memoriae, Nostrum, Magnifico olim Joanni Pettheo de antelata Gerse, primo quidem Serenissimae Dominae Reginae condam Annae Conthoralis Ejusdem Uladislai Regis charissimae, dein vero Ludovici, et Annae Serenissimarum Prolium suarum Curiae Magistro, in eotum Residentiali Civitate sua Buda, Feria quarta, post Festum Beati Matthaei Apostoli et Evangelistae, in Ao. ad-

---

[1]) Per Josephum I. Imp. et Regem Hung. a. 1706 hac ornatus proedria est.

huc Millesimo quingentesimo septimo, jam dudum praeterito, benigne collatarum, et emanatarum, ac coram Nobis in specie, seu originali Instrumento reproductarum authenticis Paribus, pro sui, ac vetustae Familiae suae memoria, et Jurium cautela, summe indigeret essetque necessarius. Supplicando Majestati Nostrae humillime, quatenus Nos easdem Literas Privilegiales, praefatae Familiae Pettheöianae deservientes, ac, ut praemissum est, in specie et Originali coram Nobis productas, de verbo ad verbum describi, ac in Transumpto aliarum Literarum Nostrarum Eidem benigne extradari facere dignaremur. Quarum quidem Literarum Privilegialium Tenor sequitur in hunc modum: Uladislaus Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Tibi Fideli Nostro Magnifico Joanni Petthö de Gerse Magistro Curiae Liberorum nostrorum charissimorum, Salutem, gratiamque Nostram Regiam, cum incremento omnis boni. Regibus et Principibus, habenas rerum moderantibus, proprium ac peculiare officium esse debet, eos, qui ob summam integerrimae fidelitatis constantiam, de se, deque sua Re-publica bene et praeclare meriti existunt, dignis Regiae munificentiae praemiis prosequi, ac gloria sempiterna afficere: Nam et antiqui Sapientissimi illi Viri, qui ingenii perspicacitate, divina atque humana metiti sunt, prodiderunt, duabus rebus potissimum Res-publicas contineri, atque in quieto et tranquillo statu conservari, praemio videlicet et poena, ut praemium rebus praeclare et egregie gestis amplissimum non desit, poena vero Subditi a scelere atque a malefactis compescantur et coërceantur. Hinc est quod Nos fidelissima illa Majorum Tuorum ac universae Familiae et Prosapiae Tuae Merita, et obsequia, tam Praedecessoribus nostris Divis Hungariae Regibus, quam Sacrae hujus Regni Nostri Hungariae Coronae exhibita non mediocri favore ac benevolentia prosequimur [2]). Quae qui-

---

[2]) Joannes Peteö per Ludovicum I. in Curiae militem assumtus ab hoc Márton vásarja in provincia Albensi dono accepit. Ita Diploma Jos. Imp. et Regis nunc admodum citatum.

dem animo Nostro revolventes, cum omnia laudanda, ac summis extollenda praeconijs merito judicemus, tum vero illud vel imprimis omni laude et gloria prosequendum, et quodam quasi tacitae admirationis arcano contemplandum, et suspiciendum esse videtur, quod nullo unquam tempore, vetus illa, et clarissima Pettheörum Domus, aliqua Infidelitatis labe, vel laesae Majestatis Crimine notata, atque offuscata fuisse inveniatur: Cujus rei ipsi quoque Libri Annales Regum Hungariae, qui in Aedibus Nostris Thavernicalibus conservantur, in quibusque Acta omnium Temporum, diligentissime, et summa cum fide conscribuntur [3]), locupletissimi Testes esse possunt, in his enim nihil penitus reperiri potest, quod Familiae Tuae Nobilissimae alicujus Criminis Notam unquam inusserit [4]). Quamobrem cum Nos, non solum in Te, verum

---

[3]) Hanc literarum harum particulam de Annalibus (Regestis) Regum Prayus Dissert. in Annal. vet. pag. 74 et post eum Stephanus Horvát, Perger, alii dederunt.

[4]) Recole, quae l. II. § 33 et alibi de irregestratione loquuti sumus invicem. Mihi quidem ut omnem aliam, ita hanc quoque ambulatiunculam sermonemque nostrum recordari tam volupe est, quam in hoc praesentium Uladislai II. literarum axioma per tempus incidisse. Quod an eruditissimo Szirmayo auctori Operis: Szathmár Vármegye fekvése cet. notum fuerit, haud scio; Sententiam quidem vocabuli irregestrationis veterem plene eum tenuisse inde liquet, quod verba Diplomatis Ladislai IV. (C. D. V. 2. p. 425) sequentia: „quod propter maximum et infidele factum praedictus Andreas (filius Jako de genere Kaplon, qui puerum Regem cambuca percussit) in Collegio et numero infidelium sit deputatus, in proscriptum decreverunt" hungarice o. c. II. p. 311 ita reddidit: ezen irtóztató, és hivségtelen tette miatt nevezett András a' hivségtelenek szamába irattassék és levelessé tétessen. Neque unus tantum hic locus est, quo ille nobis dextram porrigit, confirmatque, non nos perdidisse horas, quas in Commentariis his consumsimus. Literas profert, quibus Ladislaus IV. paullo ante necem suam Nobiles de Szathmár capere arma jubet, in Keresszeg exaratas, harumque ope Regis illius in loco hoc morae adspersam turpis otii detrahit infamiam I. p. 41. Sententiam Curiae Regiae in gravissima Nobilium de genere Aba causa a. 1302 apud eum quoque Vice Judex Curiae (Per-

in tota Tua Prosapia tantam fidelitatis constantiam, atque integritatem semper fuisse cognoverimus, Te vestigijs Majorum Tuorum insistentem, simul ac Serenissimam quondam Dominam Annam Reginam, Consortem Nostram charissimam felicibus auspicijs Nobis in Conjugem, atque in Thalami Sociam adduci feceramus, ipsis statim primis adventus sui diebus, ei, in Magistrum Curiae delegeramus, quo in officio Te apud illam, usque ad supremum ipsius diem, summa fide, prudentia, et dexteritate gessisti, qua tandem e medio sublata, et Deo Optimo Maximo ita jubente vita functa, Te in Magistrum Curiae Liberorum nostrorum, quibus nil charius, nilque pretiosius habemus, deputavimus: Ut, dum alij Fideles Nostri, partim Bona, et redditus Nostros Regios curant,

---

sonalis Praesentia Regia) ad modum supra l. X. § 34 descriptum expedit. Citat denique literas alias de a. 1327 Alexandri Judicis Curiae Regiae II. p. 35 quibus unis omne id, quod nos de modo probandi, summaque Magistratus hujus, aetate Caroli Roberti, auctoritate prólixe disseruimus, complecti voluisse videtur. Missa facimus alia plurima; duo praeterire non possumus. Alterum: Stephanum IV. terras Receh et Kosztatun Abrahamo de genere Kátha patentibus literis a. 1271 contulisse; Viduamque ejus, quod de patentibus his, aliis per Ladislaum IV. patentibus confirmandis petierat, impetrasse II. p. 107. Alterum: probam juris radicalis de antiquissimis haereditatibus (terris descensualibus) seculo quoque 14. 15. Juramento et Conjuratorum ope factam esse II. 35. 198. Quorum primum quis usuvenisse credat, si omnis inde a Bela IV. Majorum aetas, juxta cum Stephano Horváthio (Tud. Gyűjt. a. 1819 v. IX. p. 80—82) patentibus nihil ad soliditatem juris inesse existimasset; alterum: si art. 20. Decreti Lud. I., contra tenorem suum, extendi ad omnes omnino Nobiles posset? Nemo profecto, praesertim, cui de lege Ludovici I. constat, ex qua Causae de bonitate juris coram Vajvodis Transylvaniae suscitatae ad Curiam Regiam eae maxime transmittendae fuerunt, in quibus Juramento hujusmodi Regium opponebatur Privilegium antiquius. Quod non eo adnoto, ut virum jure Perczio laudatissimum quaedam Schwartnero Diplomatices olim Magistro suo nimis quam fidenter praecepisse et Carolinam Decreti de a. 1295 partem cum vulgo pro Andrea III. occupasse postulem, sed ne per eos, qui alterutrius opinioni adhaerescunt, seu in Notitiis praeviis de usu Diplomatum generatim, seu l. X. § 21 de patentibus speciatim, minus meditata dixisse postuler.

partim Thesaurum ac supellectilem Nostram amplissimam conservant ac tuentur, Tu Rem omni prorsus Thesauro, omnique supellectili Regia pretiosiorem, ipsos videlicet Liberos Nostros charissimos, sub Tua cura et custodia haberes [5]). In quo quidem officio, cum Te ita semper gesseris, itaque etiam impraesentiarum geras, ut nihil possit amplius desiderari, aut requiri, Tibi illud exnunc quamdiu vixeris praesentibus dandum duximus et conferendum, et neminem alium Tibi ejusdem Honoris sive muneris participem sive Collegam adhibere volumus: verum, ut Tua propensa in Nos, et charissimos Liberos Nostros Illustres Ludovicum Ducem, et Annam Filiam Nostram fidelitas et in omnibus rebus agendis et dirigendis integritas et constantia, non in Te modo sed in universam stirpem et cognationem Tuam diffundatur, ac Haeredibus et Fratribus Tuis decori et ornamento sit futura, utque amor Noster, quo Te ob praescriptas Tuas virtutes et Merita complectimur, omnibus innotescat, ad illa vetusta Familiae Tuae Insignia, scutum videlicet adinstar turbinis in supremo latum, in imo acuminatum, in quatuor Campis, Lineis duabus transversis, se se invicem in medio Scuti inter secantibus divisum, quorum quidem duos superiorem videlicet et inferiorem, per transversum se habentes, rubri coloris duo animalia occupant; Nam in superiori Campo Leo, ferocissimum et generosissimum animal, naturali colore depictus, ex ipsius Lineae summitate caudatenus emergens, aperto et hianti rictu, linguam exertam vibrans, fremebundus, primis pedibus erectis et divaricatis, Capite Coronam auream gestans, cauda in sublime elevata, et quasi caput ipsum contingenti, in extremo reflexa conspicitur: In inferiori vero Campo, similiter coloris rubri stat Draco alatus, lingua similiter exerta ac vibrante, ignem ore vomens, vertice cristato, corpore maculis resperso,

---

[5]) Nihil, ne de nomine quidem Pethőii, aut Pisonis Istvánfius; sed Ludovicum „quantum per aetatem licebat, praeceptis institutisque Bornemiszszae informatum" tradit. l. VI.

cauda reflexa et in nodum religata corpus ipsum subeunte, pedibus innixus ad certamen et dimicationem paratus, qui nisi, quod Linea supradicta a Leone dirimitur, proculdubio cum ipso Leone, sibi naturali quodam instinctu exosissimo, certamen inire parat: Porro reliquae duae partes scuti Linearum, ut praemittitur intercursu a praedictis distinctae, coelestini sunt coloris, quarum una superior videlicet, duos frutices herbaceos, in prato et gramine viridi surgentes et succrescentes, et Anatem terrestrem, unius illorum fruticum folia decerpentem continet; In altero Campo similiter coelestino inferiori, Luna subpallida, et coloris sui, ad instar arcus tensi, cornibus in se revolutis, duo splendidissima sydera, intra orbis ambitum et circumferentiam inclusa continere cernitur. Supra quam quidem totalem formam Scuti in supremo est Galea, suo colore depicta, et flores varii circumquaque discurrentes, et scutum ex omni parte ambientes. Ad hac igitur pristina et avita Tuae Stirpis et Stemmatis Majorum Tuorum Insignia haec adjungenda duximus. Supra videlicet illam, et scuti et Galeae totalem formam ac florum lepidissimum discursum, Personam Nostrae Regiae Majestatis in solio aurato sedentem, dextra paululum ad pectus elevata, Pomum Cruce insignitum, sinistra autem Sceptrum Regale, peculiare omnium Christiani nominis Regum Insigne tenentem, Caesarie demissa, Capite corona, ac diademate Regio redimito, altera Corona desuper in Campo aëreo, quasi in aere pendente, et quodam modo in ipsum venerabilem verticem coelitus descendente, ad cujus quidem solii nostri aurati latera, duo Infantes Regii, Liberi videlicet Nostri suavissimi, stare, ac manibus ipsum solium contingere conspiciuntur. A latere quidem dextro inclytus Dux Ludovicus Filiolus noster charissimus sceptrum similiter regale in dextera tenens, capillulis albis et nunc primum pullulantibus, Coronam ac diadema regium capiti impositum, altera corona similiter desuper imminente. A latere vero sinistro stat Illustris Anna Reginula Filia Nostra jucundissima, pomum similiter aureum sinistra tenens, coma flava

sparsa, et per lactea colla fluente, unica duntaxat Corona capite redimito. Quae quidem singulari ac peculiari nostrae munificentiae dono collata Insignia, Tibi potissimum convenire putavimus, ut, cum charissimorum Liberorum Nostrorum Magistrum Curiaę agas, et eo munere fidelissime simul, et diligentissime fungaris, inde potissimum Insignia et Virtutis Tuae clarissimae monumenta habeas, ubi omnem curam, et solicitudinem collocasti, simulque, ut quemadmodum in Insignibus et Armis Tuis Nostras gestas effigies, ita in animo quoque et in cordis arcano, veram illam et incomparabilem Nobis debitam fidelitatem medullitus infixam geras; Prout haec omnia in Capite, sive principio praesentium Literarum Nostrarum, suis appropriatis coloribus, Pictoris non indocta manu effigiata, et distinctius expressata conspiciuntur. Animo deliberato, et ex certa Nostrae Majestatis scientia, Tibi, ac Magnificis Francisco Filio Tuo Cubiculario Nostro, et Georgio Pettheo carnali Fratri Tuo, Tuisque, ac Eorundem Filiis, Fratrisque Tuorum haeredibus et Posteritatibus universis dandum duximus et concedendum; Immo damus et praesentibus elargimur, ut Tu, Filiusque et Frater Tui, Vestraque universa posteritas, praescripta Arma, et Virtutum Insignia, a modo imposterum ubique in proeliis, Bellis, trophaeis, et aliis quibuscunque rebus, et Expeditionibus bellicis et Militaribus, nec non Sigillis, velis, Cortinis, papilionibus, Vexillis, et in quarumlibet rerum et expeditionum generibus uti possis et valeant. Et nihilominus volentes hujusmodi collationem Armorum, Tibi, et praefatis Filio, et Fratri Tuis, vestraeque universae posteritati per Majestatem Nostram, modo praemisso factam, magis illustrem et claram efficere, Vobis, vestrisque haeredibus et Posteritatibus universis id gratiose duximus annuendum et concedendum, ut Vos, vestraque cuncta Posteritas, Sigillo vestro, quo a modo sub annotatione praescriptorum Insigniorum, in emanandis et conficiendis Literis quibuscunque usi fueritis, posteritasque Vestra usa fuerit, omnes Literas, sub quacunque forma verborum emanatas, vel emanandas, perpetuis semper futuris temporibus, in pendenti, vel in appresso, cera rubra sigil-

lare possitis et valeat [6]). Imo damus et concedimus harum Nostrarum, quibus secretum Sigillum Nostrum, quo, ut Rex

---

[6]) Sunt, qui per datam hanc, literas cera rubra obsignandi, facultatem, Joannem et Georgium Petheő, horumque propaginem omnem in numerum Baronum (naturalium) relatos existiment. Sed vero ex his „Joannes et Fratres sui de Gerse" per Ferdinandum I. septima demum Aprilis anni 1549 „in veros Barones — regni — Hungariae creati et praefecti, atque in eorundem Baronum rubris ceris in literarum suarum obsignatione utentium numerum et coetum recepti;" alii, nominatim Ladislaus Petheő cum fratribus congenerationalibus Joanne et Stephano per Leopoldum I., libro Regio teste loquor, anno 1659 una cum posteris suis „titulo Magnificentiae" id vero est: Baronum et Magnatum Hungariae honore exornati sunt. Bina praeterea Regum horum exstant Diplomata, alterum de a. 1660, de anno 1706 alterum, quibus diversi Clarissimae gentis hujus rami „horumque descendentes sexus utriusque" veri et indubitati Regni Hungariae et Partium adnexarum Comites, germanice Grafen, nuncupati declarantur, et numero antiquorum, et indubitatorum Comitum agregantur, ac titulo seu honore Comitum, Illustrissimi, Spectabilis et Magnifici, germanice Hochgeboren, insigniuntur, decerniturque, ut ipsi et posteri cunctis privilegiis, juribus, dignitatibus, honoribus, gratiis — quibus alii Comites utuntur, uti et frui possint" etc. Insignia per Vladislaum II. Joanni Petheő, fratrique ejus collata utrobique commemorantur; de honore tamen Baronatus, tamquam concessae rubra cera utendi facultatis corollario, nec in prooemio, nec in argumento Diplomatis adfertur quidquam. Ex quo efficitur, non ex privilegio de usu cerae rubrae, Baronatum; sed ex hoc et collato perpetuo tituli Magnificentiae jure, usum cerae illius, nemini alioqui Nobili apud nos vetitum, defluxisse. Sunt vicissim alii, et in his princeps est Schwartnerus, qui Introduct. in rem dipl. § 181 ad a) exempla collati per Ferdinand. I. Nicolao Koczka et Francisco Nyári Baronatus hujusmodi „sine dubio" antiquissima existiment. Nolim te horum esse Sententiae, et ignorare Privilegium Uladislai II. datum Budae in Dominica Palmarum a. 1507, quo Georgium et Joannem Drágffy (Bartholomaei Drágffy Vajvodae Transylvaniae filii erant) in coetum Liberorum Baronum cooptat, in Archivo Haeredum Aloysii Baronis quondam Mednyánszky gratissimae memoriae repositum. Cujus verba per Exc. Dom. Antonium C. Cziráky Status et Confer. Ministrum, pro liberalissima sua gratificandi voluntate communicata mecum, quantum huc faciunt, ita habent „animo igitur deliberato, nostraque ad haec certa accedente voluntate et scientia, Vos (Georgium et Joannem Drágffy) Vestros haeredes et posteritates universos de Regiae nostrae potestatis plenitudine et gratia nostra speciali in Barones nominamus, eligimus

Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio Literarum mediante. Datum Budae Feria quarta proxima post Festum Beati Matthaei Apostoli et Evangelistae. Anno Domini Millesimo, quingentesimo septimo; Regnorum Nostrorum Hungariae etc. Anno decimo septimo; Bohemiae Vero Tricesimo septimo. Uladislaus Rex manuppria (LS) Joannes Gozthon, Electus Vaciensis. Nos itaque humillima antelati Comitis supplicatione, veluti justa et legitima clementer exaudita et admissa praerepetitas praelibati olim Uladislai Regis Hungariae beatae recordationis Praedecessoris Nostri Privilegiales Literas, ex eodem, uti praemissum est, in specie reproducto Instrumento, de verbo ad verbum descriptas et desumptas, in Transumpto praesentium Literarum Nostrarum, ante lato Comiti, pro futura Jurium suorum cautela, singularisque Gratiae Regiae, in praespecificatum olim Joannem Pettheő de attacta Gerse, ac per Eum totam etiam fidelem et vetustam Prosapiam suam, benigne transfusae perpetua memoria, mentionato Instanti Comiti Joanni itidem Petthö clementer extradandas esse duximus et concedendas. Communi suadente Justitia. Datum in Archiducali Civitate Nostra Vienna-Austriae, die quinta Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo septingentesimo duodecimo. Regnorum Nostrorum Romani primo, Hispaniarum nono, Hungariae vero Bohemiae, et reliquorum itidem Anno primo.

---

et annumeramus, et in evidentius Signum hujus nostrae erga Vos gratiae et benevolentiae, Vobis dictisque Vestris haeredibus et posteritatibus universis haec arma seu nobilitatis insignia“ etc. et paullo infra: „adjicientes insuper et annuentes, ut Vos et universa posteritas vestra liberum cerae rubrae ad haec insignia exprimenda usum et facultatem habeatis; una cum ceteris privilegiis, honoribus, libertatibus, imunitatibus, quibuscunque aliae paris Ordinis personae in regno nostro Hungariae, utuntur, fruuntur et gaudent quomodolibet de jure vel consuetudine“ etc. — Quae cum ita sint, opto maxime, ut quamprimum existat aliquis, Privilegium Uladislai II. Paulo Kinisy Comiti Temesiensi, super distincto honore Comitis a. 1494 concessum qui producat. Hoc collato „Salve, ait Petrus de Várda epist. 34, et felix esto jam vere Comes Paule, Curiae Regiae Judex dignissime!“ Vladislaus autem literas suas apud Wagnerum 106, fideli suo Magnifico Comiti Paulo de Kinis, Judici Curiae suae Regiae, Comiti Temesiensi inscribit.

IV.

Literae, quibus Ludovicus Rex viduam Emerici de Perén Barbaram, juxta alios Magdalenam de Bátor [1]) ad excipiendam Reginam Sponsam suam evocat.

Commissio propria dni. Regis.

Ludovicus dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc.

Generosa ac Magnifica domina nobis syncere grata! Reverendissimus dominus Legatus Strigoniensis nuper nomine nostro rogaverat generositatem vestram, ut ad excipiendam reginam se prepararet, fuit autem, vt inteleximus — G. vestra preventa per dominum palatinum [2]). Nam prius quam nostram voluntatem accepisset pollicita fuit se sponse ipsius domini palatini [3]) obviam ituram. Qua re percepta, suplicante nobis eodem domino palatino, permiseramus ut Generositas vestra domino palatino in excipienda sponsa sua morem gereret. Nunc autem sciat G. vestra nupcias eiusdem domini palatini esse ad festum Marie Magdalene esse prorogatas. Nupcias autem sororis nostre in ciuitate Lyncz cum Illustrissimo domino Ferdinando Archiduce Austrie, circa festum Sancte Trinitatis esse perficiendas [4]). Quinto autem decimo die post illas Nupcias Regina sponsa nostra ad Hamburgam deducetur. Cum igitur tempus deductionis Regine apropinquet, et in proximo sit, tempus autem Nupciarum domini palatini distet remotius, vestram G. plurimum rogamus, velit Intuitu Majestatis nostre, et ipsius domine Regine, statim visis presentibus ad posonium se conferre pulchriori ac decenciori quo poterit apparatu, quo

---

[1]) Wagner Coll. geneal. illustr. famil. Hung. Dec. I. p. 37. Budai Fer. Magy. Orsz. polg. Hist. Lexicon III. d. 74 l.

[2]) Fratrem suum germanum Stephanum de Bátor.

[3]) Sophiae filiae Ducis Massoviensis. Wagner et Budai l. c.

[4]) Perfectae sunt XXVI. Maji. Pray Hist. Regum Hungariae. P. II. p. 590.

propediem alii quoque domini et domine convenient, usque ad Hamburgam obviam Regine processuri. Ita autem constituimus vt G. vestra inter ipsas dominas primum (ut par est) locum honoremque habeat. Hoc autem totum negocium intra paucos dies, vt credimus, absoluetur, et collocata Regina in posonio. G. vestra poterit tandem eciam Honori domini palatini satisfacere. Si vero contingeret Reginam diucius (quod non credimus) remorari in partibus Germanie, et interim tempus nupciarum domini palatini adventaret, G. vestram in hoc casu non prohibebimus quin sponse ipsius domini palatini obuiam tunc procedat. De expensis autem quas pro nobis G. vestra factura est, eidem liberaliter cum tempore respondebimus et satisfaciemus, iterum eandem rogamus secus facere nevelit. Datum Bude in Vigilia festi pentecostes, Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo primo.

Externe.

Generose ac Magnifice domine Dorothee, Spectabilis ac Magnifici quondam domini Emerici de Peren alias palatini Relicte, nobis syncere grate [5]).

---

[5]) Ex Collectaneis Szalaii mei jam alias laudatis.

V.

Literae Ludovici II. ad probandum, de quo suo loco egimus, multiplicem vocabuli lucri Camerae significatum.

Nos Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae, et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit Universis; Quod Nos inprimis pro Regnorum Nostrorum publica commoditate; deinde vero ad supplicationem, et pro fidelibus Servitiis fidelis Nostri Egregii Thomae Petheő de Gerse per Eum pro locorum et tem-

porum varietate Nobis, et Sacrae hujus Regni Nostri Coronae exhibitis, et impensis, id Eidem Thomae Petheő ex gratia Nostra speciali, et de potestatis Nostrae Regiae plenitudine duximus annuendum, et concedendum, ut ipse, ac sui haeredes, et Posteritates universae ubicunque in Montibus, et territoriis Bonorum et Jurium suorum possessionariorum in Regno Nostro Sclavoniae existentium, mineras Auri, Argenti, Cupri, Ferri, Stanni, et alterius cujusvis generis metalli reperire poterunt, eas aperire, coli, fodi, et laborari facere, ac instar aliorum suorum Jurium possessionariorum, atque haereditatum perpetuis semper temporibus possidere, fructusque et utilitates universas ex hujusmodi mineris, seu fodinis Auri, Argenti, Cupri, Ferri, Plombi, Stanni et alterius cujusvis Metalli provenientes, salvo tamen manente lucro Camerae nostrae, quod Urbura vocari solet, pro se ipsis percipere, Eisdemque uti libere, et frui possint, et valeant, ex praesenti gratiosa Nostra concessione, et nihilominus ut cultura hujusmodi Minerarum, seu fodinarum commodius inchoari, bonumque et optatum progressum, atque incrementum capere possit, praedictum lucrum Camerae Nostrae, seu Urburas ex illis provenire debentes, infra Viginti quinque Annos a Die datarum praesentium computando, in subsidium continuationis culturae earundem Minerarum, et Fodinarum Gratiose relaxandum duximus, imo annuimus, concedimus, et relaxamus, praesentium vigore et testimonio Literarum mediante. Datum Budae feria sexta proxima ante festum Penthecostes Anno Domini 1525. Regnorum Nostrorum praedictorum anno decimo. Ludovicus Rex. mp. (LS)

VI.

Ex Actis Diaetae Olomuczensis [1]).

Responsiones Oratorum Serenmi dni Ferdinandi Regis Hungarie et Bohemie ad querelas dni Joannis Comitis Scepusiensis.

Ad querelam primam, quod Sernmus dnus Rex noster Titulos et Insignia Regni Hungarie usurpauerit in Scriptis Suis in Principum Aulis publicari fecerit. Idcirco Dnus Comes Scepusiensis et Regnum Hungarorum injuria affecti esse dignoscantur.

Respondent Oratores Sermi dni Regis Ferdinandi Dnum Regem suum Titulos et Insignia Hungarie Regni usurpare et quidem juste, et causis pridie in propositione petitionum Suarum deductis et se scire Mattem suam constanter deliberasse, quod hos Titulos in vita nequaquam dimittet; nec Regni quidem prosequutionem.

Querelas decem statim infra specialiter subsignatas vtpote:

Secundam, quod Sermus Dnus Rex noster Ciuitatem Posoniensem et Semproniensem cum Tricesimis certis non attenta Provinciarum Hungarie et Austrie bona pace occupauerit.

Tertiam, quod Stipendiarios suos Lanczknecht in Ciuitatem Cremnytz et Mineras illic miserit Dnus Rex noster.

Quartam. Regem nostrum procurasse Posony per Dnum Stephanum Bathor Congregationem fieri et Serenissimum Regem nostrum in Regem Hungarie eligi in maximam offensam non solum dicti Dni Comitis Regis legitime prius electi, sed etiam totius Regni Hungarie et hinc bellum inter Christianos ingens posse excitari.

Quintam, Sermum Regem nostrum traxisse quosdam Comites Croatie ab obedientia Comitis Scepusiensis in dispendium et contra Statuta Regni,

---

[1]) Ex Archiv. secret. Domus Aug. Jászszaius meus; ab hoc ego ine correctione mendorum primae manus.

Septimam, Regem nostrum Marchionatum Morauie, Ducatum utriusque Slesie, pariter utriusque Lusatie Marchionatum, qui Regno Hungarie arctissimis vinculis iure Hipotecationis ob certam pecuniarum quantitatem inscripti sunt ab Regni Hungarie obedientia alienasse et in vincula obedientie sue accepisse.

Octauam, quod Rex noster Sermus Wayuodam Moldauie ab fidelitate sua tanquam Regis Hungarie et ad arma contra eum mouenda sollicitauerit,

Decimam, Regem nostrum Oratorem Sermi Regis Anglorum ad Comitem Scepusiensem missum traxisse Pragam et prohibuisse, vt a profectione ulteriori abstinuerit, neque Dnum Comitem inviseret,

Decimam tertiam, quod Dnus Antonius Baro Burgi a Sanctissimo dno nostro Papa ad Dnaonem suam causa reipublice Christiane delegatus pari modo per Seremum Dnum Regem Ferdinandum impeditus fuerit ab Commissionis officio exequendo, et ei securitas publica, seu saluus conductus transeundi, per Sermum Dnum Regem nostrum denegatus sit.

Decimam quartam, publico Sermi dni Regis nostri Ferdinandi Edicto prohibitum, ut Oratoribus dni Comitis Joannis facultas transeundi per prouincias et Districtus sue Mattis concedatur.

Decimam sextam. Edicto inhibitum, in terris Prouincijs et Districtibus Sermi Dni Regis Ferdinandi, ne sub stipendijs Domini Comitis quisquam militet, quum tamen ipse Copias aduersus Turcas producturus sit.

Decimam septimam, Abbatiam montis sancte Marie Ordinis Cisterciensis a Rege nostro, ut Archiduce Austrie occupatam neque multis exhortationibus sepefactis restitui regno.

Decimam octauam, super impedimento Decimarum Ecclesie Jaurinensis,

Absoluunt Oratores Dni Regis Ferdinandi una pene resolutione, Sermum Regem Ferdinandum non obligari aliquo Jure vel Dominio Comiti Scepusiensi super quouis Articulorum illorum respondeat, qvem in Regem Hungarie nequa-

quam agnoscit, immo intrusioni eius constanter contradicit. Et predictis Articulis singulis nihil a Matte sua actum aut gestum, quod non Jure diuino atque humano defendi possit, neque Mattem suam, justitia id suadente, destituram imposterum a talibus actibus, neque Dno Comiti super illis re sponsurum.

In quantum autem Ordines Regni Hungarie se quavis re grauari arbitrarentur, Hys Sernmus Rex noster, ubi Regnum adeptus fuerit, pro honestate ita satisfaciet, ut de Mattis sue factis abunde contententur.

Sexte querele, qua proponitur, quod Sermus Dnus noster nunquam ut a Comite Joanne ante lesus, fecerit literas instar libelli famosi contra Comitem apud omnes incolas Regni circumferri et publicari, sollicitatis etiam incolis, ut a fide, qua ei et Regno asstricti sunt, desciscant et terrorem belli eis intulisse, ne ope eorum potuerint Arces et Castella per Turcam occupata, recuperari etc. Respondetur ex parte Dni Regis Ferdinandi, quidquid Maiestas sua scripserit id esse ueritate subnixum, et Regiam Mattem suam potuisse uere et sincere majora facere publicari et de majoribus conqueri. — Recuperationem autem Arcium a Turca occupatarum nunquam fuisse in facultate Domini Comitis neque eum ad ejusmodi rem conficiendam se unquam sufficienter parasse, Regem autem nostrum qui amore religionis Christianae ad eam recuperationem vehementer anhelat, ab tanto officio pietatis impeditum propter inuasionem Regni Hungarie sibi successionis jure competentis.

None querele, quod duo Milites honorifici a Dno Comite ad Serenissimum Regem nostrum Viennam congratulande electionis Bohemice causa missi, repulsi fuerint etc. respondetur si Oratores illi proposuissent se missos tanquam a Wayuoda Transiluanie, Rex noster eos benigne suscepisset ad Commissionem eorum expediendam, quum autem adueniebant tamquam sub nomine cujusdam Regis Hungarie, non decebat, vt a Mtte sua aliter, quam facta sit tractarentur, quum Sernmus Rex noster nemini preter se concedat illud fastigium regale, Nihilominus tamen Mattem suam Legatis

illis tanquam Nobilibus Regni Hungarie satis humanitatis prestitisse, Expensas Diuersorij eorum refusas, Custodes eis adjunctos esse, ne vulgus, quod Domini Comitis injustam intrusionem aegreferebat, aliquid grauis contra Legatos statueret.

Ad XI et XII Articulos querimoniarum, quod Oratores prefati Dni Joannis Comitis Scepusiensis Ratisponam ad generalem Conuentum Principum et Statuum Sacri Romani Imperij illuc indictum emissi in Oppido Krembs de voluntate Sermi dni Regis nostri XVIIII diebus detenti vel arestati, et literę, quas secum afferebant intercepte illo tempore fuerint, et ipsi tandem Hungariam remissi itinere et Commissione eorum impediti. Item quod Magister Mathias de Banca a Domino Wayuoda seu Comite Scepusiensi ad Sanctissimum dnum Papam destinatus, impeditus fuerit.

Est Oratorum Informatio, Serenmum dnum Regem Ferdinandum super utroque puncto respondisse et scripsisse ad Sermum Regem Polonie, neque licere nobis Commissarijs de hys quicquam immutare.

Ad XV querelam, quod Magister Johannes Rector Hospitalis de Ferece, Domini Comitis Scepusiensis Capellanus et Nuntius ad Christianos Principes missus Posonij in injuriam dni Comitis detentus fuit etc. Respondetur nobis Oratoribus dni Regis Ferdinandi de hoc tanquam nouo non plene constare.

Ad Decimam nonam, quod ex Castris et oppidis Forchtenstain et Koboltstorff ad Regnum Hungarie pertinentibus Sermus Rex noster iuxta tenorem Tractatuum sepedictorum non tulerit auxilium aduersus Turcas.

Respondetur. Regem nostrum Sermum acceptare, quod dicti Commissarij Dni Comitis Scepusiensis dictos Tractatus confitentur, in quibus jus Successionis Sermi dni nostri Regis Ferdinandi continetur. Et quum Majestas sua, ut speratur, Regnum Hungarie adepta fuerit, respondebit desuper Ordinibus Regni, stat etenim animo, quod Matas sua Regnum augeat, et non diminuat.

Ad Vicesimam querelam, continentem, quendam domini Comitis Exploratorem vidisse apud Bassam Turcę prefectum, hominem quendam Seremi domini Regis nostri Nuntium, qui Bassam sollicitauerit ut dictum dnum Comitem et Regnum Hungarorum a parte Meridionali adoriatur. Itidem Mattem suam facturam ab Occidentali plaga, et Exploratorem illum Credentiales literas a Sermo nostro Rege missas a Mensa Wasche abstulisse et Dno Comiti Scepusiensi presentasse.

Negant constantissime Oratores dni Regis Ferdinandi, quicquam tale per Mattem suam apud Bassam tractatum, prout nec unquam verificari, nec hoc per dnum Comitem Scepusiensem aut quancumque personam cum veritate dici poterit, Hoc autem non inficiamur, quum Sermus Dnus Rex noster informatus esset Dnum Comitem Turce seu Wasche (sic) tributum offerre, in damnum et contemptum Religionis nostre Christianę et eundem adversus Regem nostrum sollicitare, tunc Mattem suam, et merito quidem apud Bassam per Legatum inuigilasse, ne Wasche injustis Comitis Conatibus opem ferret et auxilium.

Ad XXI Articulum, quo proponitur dnum Comitem Scepusiensem, quamvis multis injuriis a Sermo Rege nostro lacessitum, tamen bono zelo, ne sanguis Christianorum spargatur, a bello abstinuisse, et desiderare ut Regna concorditer viuerent et coniunctis viribus hostis Christiani populi oppugnaretur.

Respondent Commissarij Dni Regis Ferdinandi dnum Comitem a bello inferendo iuste temperasse, nam iniquissimum foret, ultra ceteras injustas occupationes Regi nostro illatas, etiam bellum adversus Mattis sue Prouincias parari, Mattem quoque suam, nisi perturbationibus Dni Comitis impedita fuisset, dudum in Turcam Arma mouisse.

Ad XXII Articulum, quo dicitur, quod Castra Croatie Vturna et Dobrawacz occupata sint per Turcas, in Causa fuisse Regem Ferdinandum nostrum, ne presidium Castellis illis immitti potuerit etc.

Respondetur Sermum Dnum Regem nostrum pari modo grauari, quod Matas sua impedita intrusione dni Comitis

non potuit dictis Castris Subsidium prestare, prout procul dubio impedimento hoc cessante fieri potuisset.

Ad XXIII Articulum, quo Comes conqueritur istis Dissidijs se impeditum a recuperatione Castri Wardini, et paratum, quod res agatur conjunctis animis pro recuperatione Castri.

Respondetur, quod Mtas Regia nostra adepto Regno Hungarie conjunctis animis ceterorum Principum Catholicorum dabit operam, vt hec et alia recuperentur. Ex istis patet petitionem Dni Comitis, damna ex istis dissensionibus ad decies Centena Millia estimantis rationi non consona esse.

Protéstantur quoque dni Regis Ferdinandi Oratores quidquid hac Scriptura, que propter angustiam unius diei non potuit cum debita diligentia et ea elegantia, qua decuit, digeri deductum est, id solum proponi ad informationem dnorum Mediatorum, non ut ad contentionem vel contradictoriam audientiam se intromittant. Actum Olomutij Sexta Junij Anno dni M. D. XXVIImo.

VII.

Dominorum Oratorum et Commissariorum Serenmi Domini dni Ferdinandj Hungarie et Bohemie Regis etc. Resolutiones ad ea, que ipsis per Reuerendissimum et Illustr. D. Consiliariorum (sic) Oratores et Commissarios seu Mediatores Sermi et potentissimi dni dni Sigismundi Regis Polonie etc. in vim Responsionum, quas Dni. Commissarij Dni Comitis Scepusiensis etc. ad gravamina et petitiones prefati Sernmi dni nostri Regis Ferdinandj, coram eisdem Dnis Mediatoribus deduxerunt hesterna die fuere proposita et declarata [1]).

Et in quantum ad ea quę per dominos Commissarios Serenmi Dni nostri Regis Ferdinandj ad demonstrandos defectus Electionis Dni Comitis Scepusiensis deducta fuerunt, excipiendo allegatur Serenmi dni Regis nostri Ferdinandj tanquam Hispani nihil interesse etc. quasi diceretur resistere Statuta Patrie qualitati persone sue. Et quod exteri non sint Regni Hungarie capaces Statutis et antiquis Ordinationibus in hac parte repugnantibus etc. et quid ergo Matas Sua sit sollicita, quo pacto in Electione Regis Hungarie sit processum etc.

Ad hec facilis intercedit solutio, quod Serenmi dni Regis nostri maximi interest Electionem, que adeo nulliter de persona dni Comitis Scepusiensis processit, ibidem, quum sit contra Tractatus et Electionem atque Jus hereditarium prefati Dni nostri Regis Ferdinandi.

Quod autem nullum Regni autenticum et rite factum Statutum huic obstat, sumitur ex hoc, quod Vladislaus, Si-

---

[1]) Indidem ex scripto primae manus.

gismundus, Ladislaus et Albertus Reges Hungarie fuerunt. Horum nullus ex Natalibus Hungarus fuit.

Hinc constat Regnum Hungarie esse in possessione, ut quevis persona in Regno ratione sui ipsius aut uxoris habens Regni — (sic) libeat potiri sine distinctione Nationis.

Quod sic Statutum aliquod in Regno fuisset in contrarium, prout non creditur, quia in usu et observantia nunquam fuit, peti tale Statutum nobis edi et exhiberi, esset tamen ei derogatum per expressum Consensu Regis et totius Regni cum D. Friderico Tertio Conclusum in nostro casu individuo, nisi inducatur quoddam iniquum Jus in Regno, quod Pacta Regum et omnium Ordinum Regni non seruentur vel quod non esset mos in aliquo Regno fidem seruari.

Nec obstat quod hoc casu Dni Commissarijs dni Scepusiensis deducitur (sic) Conuentum quem Dnus Stephanus de Bathor Palatinus Regni indixit, non fuisse rite conceptum. Primo quod non continuerit specialiter Conuentum causa designandi novi Regis institutum. Secundo quod emanauerit nomine Regine, quam Palatini. Tertio quod in tribus Comitatibus sit publicata Convocatio etc. Nam hys respondetur, verum Regni Palatinum Dominum Stephanum de Bathor non unam, sed plures expediuisse Convocationis literas, et licet in unis earum expresserit Conuentum illum fore pro vocantibus Regni (sic) et euitandis tantis periculis, In quo tamen tacite etiam comprehenditur provisio de Capite. Veruntamen in talibus Conuocatoriis literis factam relationem ad alias literas, Convocationis causas plenius exprimentes, ad cuius verificationem vnum illud sufficeret, quod Dnus Comes in literis ad tollendum Conuentum Posoniensem expeditis pro causa adducat, quod causa, cuius gratia talis Conuentus statutus esset, sit sublata.

Preterea nunquam auditum est, quod aliquo Rege insepulto in literis Conuocationis Conuentus, fiat mentio de futuro aliquo Rege designando, licet in hac parte nihil opportunę declarationis sit pretermissum, constat autem literas Conuocationis Conuentus non in tribus Comitatibus — pro omnibus Sedibus consuetis missas, nisi forte pro parte Dni

Scepusiensis fuerunt interceptę, item etiam ipsi domino Comiti presentatas. Et quod Sernma Dna Maria Regina Vidua in quibusdam literis unacum vero domino Palatino inseritur, per hoc nihil viciatur. Palatinus enim, vt principalis, et is, cui potestas conuocandi incumbit, loquitur, Domina Regina causa honoris et exhortationis efficacioris adiuncta est, quum etiam ipse dominus Comes apud Reginalem Mattem literis suis institerit, Conuentum indiceret.

Tandem quod Capiti prime propositionis adiungitur, excusatio occupationis Strigoniensis Ciuitatis, ideo hoc factum, ut Turce prevenirentur, Istec excusatio profecto locum habere non potest, Nam manifestum est, in Castro Strigoniensi tunc fuisse Capitaneum et presidium Reginali Matti Juratum. Ideo dominus Scepusiensis non locum vacuum presidio firmauit, sed presidium prefatum muneribus et corruptionibus tantis attemtauit atque instetit (sic), quousque in partes suas nondum Rex traxit.

Nec possumus protestationis, que in Conuentu Albe Regalis per D Scepusiensem facta allegatur, Utpote quod ipse se fastigio regali minus idoneum et sufficientem cognoscat, auctoritatibus accomodare (sic), Nam hanc protestationem penitus eneruant Actus sui contrarij et illi maximi Conatus regnandi, de quibus in propositione nostra, quinimo priusquam Albam Regalem ad Conventum venerat, jam cum Regnicolis in Oppido Tockay singulos ambiendo pollicitationibus et promissionibus conuenerat, ut parum abfuit, quin ibi illico ipse in Regem crearetur, Nec verisimile est eum ab regni libidine post mortem domini Regis Ludovici abstinuisse, qui diuersis modis dnis Wladislao et Ludovico regnantibus Regnum semper affectauit, Quod autem Commissarij sui in medium afferunt Serenmum Dnum Regem Ferdinandum ad Regnum Bohemie imo et Hungarie aspirasse et iuxta traditionem Catonis: Turpe esse doctori quum culpa redarguit ipsum. Respondetur quod Serenmus Rex noster ad hec Regna aspiravit, id fecit ad nullius prejudicium, sed juris sui prosequutionem, Et maxime quum sit ex tanta Regum et Cesarum prosapia, ut causatius ad Regna aspiret.

In quantum deinde contra secundam propositionem et pro saluatione electionis Domini Scepusiensis allegatur. Non obstare electioni suę quod Palatinus Regni Conuentum Albe Regalis non indixit, Conuentui non interfuit, primum Suffragium non dedit, eligentium vota non collegit, sit ipsi imputandum; quod fuerit profugus a Regno usque ad Limites quasi austriacos etc. Item nec Palatinum aliquem Conuentum pro Electione Mathie Regis indixisse. Et dato, quod fuisset statutum, quod electioni semper deberet Palatinus interesse, illud statutum potuisse per Status Regni tolli, quum eius, cuius est condere legem, sit etiam legem abrogare, Nam Palatinum vivente Rege Ludovico depositum seu exauctoratum et quod is, nec ut priuatus interfuit electioni, id absentie et culpe suę imputandum, nullum adhibitum Ordinibus in Electione terrorem, nullos adfuisse armatos, nullam intervenisse factionem, Nec obesse, quod tribus continuis diebus pompa funebris electio et coronatio omnia sine intervallo processerunt, Nec domini Regis nostri Ferdinandj interesse, quod Oratores sue Mattis, qui legibus et statutis Regni repugnantibus nec actiue nec passiue Jus in electione habuerit, ante electionem non sint auditi et quod Corona ante electionem celebratam per dnum Scepusiensem allata fuit etc. quum Corona per ipsum Comitem non solum, sed adhibito sotio domino Petro Perennj causa melioris Custodie ne inter tantas Turcarum depredationes raperetur, fuerit causa dignitatis Regni conseruandę recepta presentanda omnibus Ordinibus ad meliorem ejusdem Coronae custodiam etc. cum alijs in hac exceptione secunde propositionis deductis.

Hys omnibus breuiter responderi potest, hoc semel esse Juris exploratissimi, quemcunque actum legitimum (prout actus eligendi Regem inter omnes actus legitimos supremus et maximus est) inualidum et irritum esse, ubi actus non processit ab eo qui etiam indicendi potestatem habet, et si is, cui ordinarie jus instituendi actum competit, contemnatur, actus omnino viciatur; Dominum autem Palatinum Stephanum de Bathor officio Palatinatus tempore mortis Regis Ludovici fuisse exauctoratum; hoc constanter negatur; et

licet ante aliquot annos Dnus Rex Ludovicus ad instantiam Regnicolarum illud Officium ad manus suas receperat, attamen in alia Dieta instantibus Ordinibus Regni officium hoc ei restituit, et quamuis medio tempore in Conventu Hatvę celebrato quedam per practicas et potentiam Domini Scepusiensis et Steffani Verbetij, qui tribus millibus armatorum stipati violentum agebant Conventum, facta sit intrusio; Verum tamen consensu regnicolarum deinde Palatinus est Officio restitutus, et illo publice functus regnicoleque postea iterum obedientiam ei prestiterunt, nec reliquit Officium suum nec Regem nec Regnum; post profligatum autem Regem et exercitum Dnam Reginam, que prius Posonium venerat, in tantis perturbationibus merito ante alia negotia sequutus, hinc ipse verus fuit Palatinus et in possessione Palatinatus, quinimo nullus Palatinus nouus post mortem dni Ludovici Regis eligi uel antiquus deponi potuit. Habetur enim Regni ordinationibus (ut est exploratissimum) quod Rex electioni et depositioni Palatini in Conuentu Regnicolarum necessario interesse et preesse debet, quo pacto igitur potuit palatinatus fieri mutatio eo tempore, quo Rex nullus extabat.

Quod autem allegatur Conuentum electionis Regis Mathie ab Palatino nequaquam indictum fuisse [1]). Huic respon-

---

[1]) Quis credat? tantam Oratoribus utrinque delectis rerum Patriae ad suam prope memoriam gestarum incuriam fuisse, ut Zápolyáni „Conventum electionis Regis Mathiae ab Palatino neutiquam indictum" assererent; hi vero, quibus causam suam d. Ferdinandus mandarat, aeque ignorarent: in numero Praelatorum et Baronum, per quos Comitia illa (superius l. XIII. § 84) convocata sunt, primum inter Optimates seculares locum „Ladislaum de Gara Palatinum Hungariae" tenere. Vide sis literas eorum in Vestig. Comit. p. 290 ad Civit. Cassoviensem exaratas. Quis ab his poscat, ut consimilibus plane literis anno quoque 1457 Comitia ad festum OO. SS. Pestinum convocata norint? Vide eas ad Schesei ruin. pann. p. 165. Hoc sub diluculum renascentium litterarum; his renatis, cum post perpetrata cum Turcis bella, recuperatamque Budam ditissimi pleriqne ubique potius alibi degere, quam reparandis parietinis hujus incumbere, opibus suis exterorum augere opes, quam domesticorum ingeniorum alere industriam antiquius haberent; curam historiae Hungariae Reges de domo Augusta

demus, quod qualitercumque Electio Mathie processerit, exploratum est electionem eius terrore et vi obtentam. Quamobrem etiam Dmus Fridericus Imperator Electionem Mathie impugnauit, fretus altera electione valida. Unde demum interuenientibus statibus Regni ad tractatum supradictum deuentum est, errorem autem et armatos interuenisse electioni domini Comitis Scepusiensis et qualiter Suffragia collecta sint, illud ex hys, qui affuerunt, constantissime uerificatur,

Quod ad excusationem repulse Oratorum Sermi dni Regis ad Conuentum illum missorum adducitur &c. quod audire non potuerint Cum nondum Rex creatus nec Sernmi Dni nostri interesset, sed eos cum propositione sua post creationem Regis et digne tunc honoratos fuisse, respondemus illos Oratores non ad Regem sed ad Status Regni missos, Interfuisse autem plurimi Sermi Domini nostri ipsos audiri ad exponenda Mattis Sue et Serme Dne Conthoralis sue jura et tractatus ab omnibus Ordinibus dudum confectos, conclusos, et sigillatos, exploratissimum habetur.

---

susceperunt. Quid Timon, quid Belius, alii historiographi regii praestiterint? quisque videt. Ipsas adeo Amoenitatum Juris publici Hungariae primitias eorum nobis sumtu Kollárius propinavit. Magni itaque illi nobis; sed d. Franciscus a suo et in linguam et explicandam legibus suis veram Nationis notionem major. Hic Munus adornandae historiae statisticae Hungariae Prayo, ut diximus, mandavit; erat tamen aliud item, quod reddita Strigonio prisca Maximi Hungariae Pontificis sede, Rex Opt. desiderabat. Quid illud? ut pragmatica tandem Eclesiae hungaricae confieret historia. Hanc enim et sua sponte utilem, et ob arctissimum cum historia civili nexum maxime necessariam vere judicavit, Credoque fore jam, ut Augusti Filii ejus providentia, qui Comitia haec lingua hungarica auspicatus, eodem hoc opere et sacris Genitoris sui Manibus justa persolvit, et honorem Nominis sui in pectoribus Hungarorum immortalitati consecravit, huic quoque eorum ornamento consulatur, Fastique reconcinnentur Basilicae Strigoniensis, quae licet nunquam minor esset, quam Salisburgensis in Germania, imo multis gradibus major; tamen cum illa Juvaviam suam, opus amplum classicumque haberet, haec praeter fragmenta Schmidtii, et specimina Prayi nil adhuc teneret ejusmodi.

Nec erat opere pretium Coronam metu Turcarum auferri a consueta Custodia, nam manifestum est eo tempore Turcas iam ab illis Regionibus repedasse omnino Immo multo magis fuisset Corone securitati prospectum si in solita custodia mansisset, quam quod sic inde exempta et portata nunc in illam, nunc aliam Congregationem. Item Corona non semper per Dominum Scepusiensem et Petrum Perenni simul conducta fuit, Sed prius dominus Comes solus Coronam ad se receperat, Ex hoc Domini Comitis Scepusiensis intentio et extrema ad regnum ambitio sine dubio elicitur. Nec potuit Comes cum factione sua ad priuatum commodum tollere decretum de Officio Palatini in electione Regis, quum hoc spectet ad Regem et omnes Regni Ordines [2]).

Quod uero ad proposita tertio loco utpote de occupatione regni et ejus administratione, de interceptis bonis et prouentibus Serme Dne Reginę Marię et de bonis adherentium, Sermo Dno Regi Ferdinando confiscatis et iniurijs eisdem illatis. Ex parte domini Comitis allegatum est, post electionem ejus jus sibi fuisse istec faciendi, eum suo jure ut Regem legitime electum usum nec ante diadema Regium quicquam Reginę nec illi adhaerentibus intercepisse, post diadema autem susceptum prefatis adherentibus criminis lese Maiestatis et proditionis judicialiter conuictis et condemnatis, a modo non factam injuriam in hoc, quod per sententiam non suam sed omnium Statuum fuit declaratum &c. Preterea tributum se jure ut Regem et justa de causa imposuisse &c. Negatur per nos Oratores Sernmi D. Regis Ferdinandi illos Mattis suę adhaerentes ullius Criminis, quantominus proditionis potuisse accusari, nec enim perperam egerunt quum sint Regum et totius Regni Statuum conclusa, promissa et fidem suam et suorum progenitorum sequutj agnouerunt fidem honestorum virorum juxta traditionem Jurisconsulti, bonis viris maior est metus infamie, quam

---

[2]) Recollige, quae de Articulis Mathiae Decreto V. subnexis et art. 1. 1681 cum Madarassyo disputavimus.

mortis, Ideoque ex parte Srnmi Regis nostri iterum petitur ut ab conuitijs abstineatur, ne detur causa ut par pari referatur.

Manifestum est autem Illme Dne Marie Regine ablatam esse Cameram Cremnitiensem vna cum Castro Soliensi et pertinentijs, quamquam hec dotalitio Serenitatis sue sint inscripta, cuius inscriptioni et prefatus D. Comes Scepusiensis in tractatu matrimonij Vienne interfuit.

Tributo autem per Comitem regnum expilari, quis dubitet plurimi Srnmi Regis nostri interfuisse attento jure Successorio predicto; nec releuat quod dicitur ad Regni defensionem id factum, quia non erat officij sui falcem mittere in messem alienam, quamquam nulli dubium, quin ea pecunia sit corrasa ad resistendum de facto Sermis dnis nostris Regi et Regine ueris dominis et heredibus Regni.

Ad id, quod de tractatibus nostris, quum in originali nondum sint producti, dicitur non opus esse responsione, priusquam exhibeantur &c.

Quod quinto Capite contra ea, que pro fundando jure successionis Serme principis Dnę Annę Reginę dnę nostre gratiosissime pridie deducta sunt. Excipitur regno principatus non sauguini deberi sed aptis officio, Item quod officia publica feminis non conueniunt, hinc nec in feudis cum obsequium feudi prestare domino non possint eas succedere, quantominus in Regno, cui minus, quam feudo, preesse valeant. Item Reges debere esse viros magnanimos, mulierum autem genus esse auarissimum, Item in Rege desiderari prudentiam magnam sexu feminino inesse debilitatem et fragilitatem, et hinc in multis Juris articulis deteriorem esse feminarum conditionem quam virorum. Immo nec matrem Domini Virginem Mariam, sed Petrum prefectum officio predicandi. Preterea si Regina nuberet homini vilis conditionis et sordide, quum filij de jure Conditionem patris quoad honores sequantur, oriretur illud inconueniens quod regnum deuolveretur in personam sordide originis.

Postremo quod femine in Regno Hungarie de consuetudine Regni non succedant summi possit ex tenore tracta-

tuum per nos allegatorum, si modo tales tractatus extent, ubi enaretur, quod Rege absque filijs et nepotibus masculis decedente, regnum ad Dnos Archiduces Austrie deuolvatur &c. Pari modo in alio tractatu contineri dicatur, filias tali casu debere dotibus esse contentas &c. modo si filiabus Jus ad successionem Regni ex consuetudine competeret, esset ipsis insignis injuria per tales tractatus qui eas ab successione ad dotem excludunt facta.

Exempla autem de Regina Maria et Elisabeth per nos allegata &c. nihil inservire. Nam eas et maritos earum ad regnum non uigore juris successionis, sed ob merita parentum assumptas, itidem factum in omnibus casibus, ubi in Cronicis Regnum ad filias vel feminas peruenisse proditum sit.

Item verba literarum Regis Alberti &c. non inducere confessionem Statuum Regni quod domina vxor ejus fuerit verus heres, quia hec verba non sint dicta principaliter tanquam in confessionem, sed captandam beneuolentiam ad facilius impetrandum id, quod supplicabatur.

Item ex tractatu diui Federici tertij constare feminas non succedere, nam si id esset tunc ipse nullo colore regnum impetere potuisset; quum suberat soror Ladislai Regis, que etiam filia fuit Regis Alberti. Item cur in tractatu Domini Vladislai Regis non sit adhibita Clausula, eo absque filijs defuncto filias si extent admittendas esse &c.

His omnibus respondemus quod non parum miramur tam friuolas argumentationes coram dnaonibus vestris tanquam mediatoribus allegari, quum sit manifestum et notorium in multis regnis contrarium obseruari et feminas ad successionem admitti.

Reginas Mariam et Elisabeth ex beneuolentia et benemeritis parentum et non jure successionis admissas negatur, nam contrarium constat eas jure successionis ad regnum assumtas, sicut et a quingentis annis sepenumero factum et contrarium precise testantur Confessiones Ordinum Regni in literis Alberti Regis, ubi sunt verba assertiua precise prolata in recognitionem vere successionis, que talem violen-

tiam intellectus veri eo modo, quo domini Oratores dni Comitis Scepusiensis inducere conantur, nullo modo patiuntur. Immo Ordines noluerunt contentari Confirmatione dni Alberti Regis, nisi accedente speciali consensu dne Elisabeth, inserta causa cur consensus sit necessarius, scilicet quod ipsa sit uera heres domina naturalis Regni et ad quam Regni successio jure geniture principaliter spectare dignoscatur. Hec verba violari non possint per quemcunque grammaticum, in claris etenim verbis non est opus conjecturis, ut exclamant omnia Jura.

Ad hec etiam facit id quod in autenticis regni Hungarie Cronicis sub rubrica de Coronatione Regis Alberti et de preda in ciuitate Budensi facta legitur ita videlicet, liquerat Imperator Sigismundus Regni pro herede unicam tantum natam, Elizabeth denominatam, quam ex illustri Regina Barbara nata quondam spectabilis Hermanni Comitis Cilie secunda scilicet Consorte sua genuerat &c.

Ad exceptionem de sorore domini Ladislai &c. Respondetur nos modo esse in casu successionis filiarum Regum coronatorum et posito quod Jus aliquod habuisset per id quod jus suum non est cum marito prosequuta, non sit prejudicium Serme Regine nostre.

Quod autem diui Federicus et Maximilianus [3]) Imperatores Sermum dnum Vladislaum et filios atque nepotes ma-

---

[3]) Pacta inter hos, Regesque Hungariae inita Kollárius ad Ursinum Velium; Dissertationis vero „de modo summum in Hungaria consequendi Imperium" auctor, ut genere virtuteque, ita amplissima Juris publici Hungariae peritia excellens, in his suis Vindiciis dedit. Neque ego ad causam sic penitus absolutam, sed explicandam Maximiliani Imperatoris de amplitudine finibusque veteris Carantaniae hungaricae, huiusque ad Duces Austriae devolutione mentem, particulam literarum eius in: „Verbőczy István emlékezete" P. II. num. LXXVI vulgatarum adscribo. Sunt hae in Oppido Gerecz die XVIII. Apr. 1506 ad universos regni Hungariae et Partium suarum Ordines exaratae et ad praesens propositum ita habent: „Edocemur autem ulterius, imo Deo et hominibus perspectum: Nonnullos ex regno Hungariae iterum, nescimus, quo spiritu seductos, contra foedera ac jusjurandum praestitum, et proprium

sculos admiserunt filias autem admittere noluerunt &c. Respondetur id jure factum esse, Nam satis fuit quod Imperatores illi dno Vladislao hanc beneuolentiam prestiterunt, ut Jus suum fauore Vladislai et filiorum suspenderent, Ex hoc etenim, quod alicui fit gratia, non obligatur quis ad faciendum in quibuscunque alijs casibus gratiam, dicunt etenim Jura et ratio dictat, quod fauore alicuius introductum est, non debet deduci in consequentiam.

Deinceps Capite septimo excipitur contra declarationem seu electionem de persona Sernmi domini Regis nostri Fer-

---

honorem ac christianitatem suam, in proximo Conventu generali regni de mense Septembri habito, temere et absque ulla ratione contra Nos et jus Successionis Domus Austriacae conspirasse et non solum nos a dicta Successione excludere, sed etiam per eorum hujusmodi factiones et malevolorum machinationes Decreto publico Regni neque Nos, neque quemquam ex aliena, quam hungarica Natione ad regni moderamina admittere, et proinde nobilissimum regnum jugo proh dolor in dies exponere et subjicere velle. Quod etsi frivolum pene et ex omni parte temerarium neque ulla ratione suffultum sit, tamen virtutem adversus nos habere non debet et potest, cum non solum ex sanguine Regum Hungariae nos originem ducere et titulo Regni una cum Genitore Nostro colendissimo divae memoriae absque alicujus contradictione usos esse et inscripsisse, Provinciamque Austriae ab antiquo cognomine Pannoniam Superiorem appellatam esse constat, sed etiam nova Civitas nostra patrimonium de Regno Hungariae, filiae Regis Hungariae quidam ex Praedecessoribus nostris, Archi Duci Austriae, nempe Jurisdictionem nostram et Majorum Nostrorum concesserit; Majoresque Nostri ex praefata filia Regis Hungariae descendentes, etiam ab antiquo ex vero Sanguine et Stemmate Regum Hungariae originem duxerint, nosque et praefatus genitor et avus noster divae memoriae in Castro nostro praedictae Novae Civitatis in turri, quae in hodiernum diem et per multa annorum spatia et curricula ob rei memoriam hungarica, etiam lingua germanica nuncupatur, nati, in lucem editi sumus; propter quod vani illorum motus et opiniones, qui per hoc nos excludere nituntur, ab omnibus, qui saniori Consilio et ratione ducuntur, jure et merito rejici possunt; — justa enim non poterit esse ipsorum causa, cum Nos, non ut extraneum, sed verum et naturalem Hungarum et ex sanguine Regum Hungariae procreatum, tam propter haereditaria jura nostra, quam novissimos tractatus jurejurando firmatos post obitum fratris nostri Vladislai, sine aptis filiis masculis — pro eorum Rege et legitimo Domino recipere et admittere debeant et teneantur."

dinandi Posonij factam, locum illum non fuisse accomodatum alicui Conuentui Hungarorum nec tutum sed stipatum Teutonicis militibus qui nature Ungarorum sint infestissimi, Item Conuentum illum non a Palatino quum nondum sit restitutus, sed a Regina, cui indicendi generalis conventus Jus nullum sit &c. indictum esse. Hys respondetur quum Ciuitas Budensis cum Bestensi oppido igni et preda essent deuastata, cur non Posonium locus Conuentui accomodatus fuit. Omnes autem Electionis solemnitates interuenisse, pridie inter jura Sermi dni Regis nostri proponenda ampliter fuit deductum, que repetenda hoc loco — ducimus, Nec obest Posonii tunc presidium peditum germanorum impositum fuisse id etenim ad tuitionem fuit, non ad offensionem cuiusquam.

Postremo quod dni Comitis Scepusiensis Commissarij et procuratores quattuor puncta postulationis Sermi Dni Regis nostri vtpote, quod dnus Comes administrationem Regni Hungarie abdicet et deponet Sexies centena aureorum millia, quorum media pars pro expensis et damnis Regis nostri et subditorum nunc passis, altera dimidia pro expensis in preparationem adipiscendi regni erogatis cedit refundat. Item Serme domine Regine Marie de interceptis bonis, itidem Sermi domini nostri fidelissimis adherentibus de nulliter çonfiscatis bonis et ignominia illata, atque ut tributum modo a Regni subditis receptum ad manus Ordinum pro tuitione Regni ab incursione turcarum deponatur &c. Nituntur refellere, dno Comiti Scepusiensi obuenisse Regnum per electionem; esse donum dei, et propterea eius administrationem minime dimittendam, sed perseuerandum in ea uocatione, qua omnipotens eum uocauerit. Hinc et juste et bene iam deliberasset ut ad dies vite in administratione Regni persistat, nec se cuiquam damni aut expensarum causam dedisse, Nec dominę Regine Annę quicquam quod ad eam pertinet ademptum, manifestos rebelles merito via juris mulctatos, Quod autem ad tributj exactionem attinet, nihil per hoc Sermo Dno Regi nostro ad quem nihil de tributo spectabat ademptum esse &c. Replicatur nomine Sermi Dni Regis nostri occupationem et intrusionem Regni alieni

et successionis alterius nequaquam esse donum Dei, qui in praeceptis decalogi jussit nihil neque desiderari quidquam, quod sit alieni juris, quanto plus ne occupari.

Sermum quoque D. Ferdinandum Hung. et Boh. Regem vehementer desiderare quod dnus Comes Scepusiensis in ea uocatione que a dno deo vocatus existit, mansisset, ut privatus natus, priuata vita contentaretur, Regem autem Ferdinandum cum illustrissima domina Mattis sue Conthorali, a regibus et Imperatoribus a multis seculis prognatos, vocationem eorum non preriperet in eo regno, quod ipsorum Mattibus omni jure debetur.

Ad reliqua puncta petitionum repetimus ea que supra circa eorum examinationem fuerunt deducta, hoc adjuncto, quum ad Regem nostrum regnum spectet, cur non etiam tributum et tributi exactio tanquam Regni emolumentum, quod tamen tributum Mattas sua non in Thesauros suos, sed in tuitionem Regni ab Turcarum incursionibus conferendum statuit.

Quod vero Dnus Comes Scepusiensis hanc dni Regis Nostri humanitatem, ut si petitioni suae satisfiat, se illis qui Comiti indesinenter adhaeserunt, remissurum rebellionem et contumaciam &c. adeo gravi fert animo, dicens: non esse indulgentia opus, ubi non sit peccatum. In hac parte non est Regi Nostro obstinate insistendum; namque Mattas sua ex humanitate obtulit clementiam suam, quam gratiam si quis (eius rei indignus) spernendam duxerit, Rex Noster non conferet beneficium in invitum.

Ex supradictis Reverendissimi et Illustres atque Magnifici Domini Mediatores deprehendunt Dnaones Vrae Responsiones Oratorum praedicti Dni Comitis Scepusiensis nec juri nec aequitati, nec quidem rationi innixas, et omnino rejiciendas; erit itaque officij vestri, tamquam aequissimorum Mediatorum persuadere et inducere eos et praefatum dnum Comitem, ut injuste cepta, suadente justitia dimittat, ab injusta occupatione abstineat, regnicolas a fidelitate absolvat, administrationem Regni nostro Sermo cedat, damna resarciat, violentijs et injurijs temperet. Quodsi Rex noster jus

suum alioquin consequi non valuerit, cogetur tandem alijs medijs prosequi, id quod bonis et legitimis informationibus non potuit obtinere.

VIII.

Administratio Comitatuum Zolnok mediocris et Crazna, Antonio Homonnay vice Georgii Drágffy commissa [1]).

Nos Ferdinandus &c. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod cum Nos tum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem, Maiestati nostrae factam, tum vero ex gratia nostra Regia, Honorem Comitatuum Zolnok mediocris et Crazna, in manu fidelis Nostri Magnifici Georgii Drágffy de Belthewk, filii Magistri olim Gasparis similiter Drágffy, qui dum vixit, Honore eorundem Comitatuum functus esse dicitur, vigore aliarum litterarum nostrarum superinde emanatarum, durante Beneplacito Nostro, reliquerimus; intelligamusque eundem Georgium Drágffy in tenera adhuc aetate constitutum, bona sua paterna non posse commode, prout deberet, regere, neque honorem praedictorum Comitatuum rite administrare, Ne eadem bona paterna in hujusmodi tenera ipsius Georgii Drágffy aetate alienentur, aut desolentur, administratioque Honoris Comitatuum illorum ob aetatem ipsius teneram defectum patiatur; ad regenda et possidenda quaelibet bona et iura, portionesque ipsius possessionarias in Regno nostro Hungariae ubivis, et in quibuscunque Comitatibus existentia, habita, fidelem nostrum Magnificum Antonium Drugeth de Homonna vitricum eiusdem Georgii Drágffy sub modis et conditionibus, in aliis literis Nostris late expressis eligendum, simul etiam functionem

---

[1]) Hunc litterae hac titulum prae se ferunt in libro Regio, ex quo sumtae sunt.

Honoris praefatorum Comitatuum nomine dicti Georgii Drágffy fideliter obeundam, durante beneplacito nostro, apud eundem Antonium Homonnay relinquendum duximus, imo relinquimus per praesentes, ita tamen et ea conditione, quod ipse Antonius Homonnay Nobis in omnibus fidelis sit, et obediens, ac praedictos Comitatus in fidelitate Nostra Regia conservet, dicam et alios proventus sive Nobis, sive ad defensionem Regni pro temporis conditione offerendos ex iisdem Comitatibus fideliter Nobis et Regno administret, et administrari faciat, et secundum contenta Decreti iuramentum deponat, super iustitia in praedictis Comitatibus omnibus administranda. Quapropter Vobis fidelibus Nostris Egregiis et Nobilibus, Vice Comitibus, Judicibus et Universitati Nobilium ac alterius cuiusvis status et conditionis hominibus, in praedictis Comitatibus Zolnok mediocris et Crazna existentibus, praesentes visuris, harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus habita praesentium notitia, a modo deinceps, praestito tamen per eum super praemissis, more solito, solenni juramento, Jurisdictioni praefati Antonii Drugeth de Homonna, durante, ut praemissum est beneplacito Nostro, nomine et in persona memorati Georgii Drágffy Comitis Nostri parere, judicioque ipsius astare, ac in omnibus licitis ac consuetis, nec non in his etiam, quae Vobis nostro nomine ac mandato facienda commiserit, obedire et obtemperare semper et omni tempore debeatis ac teneamini. Aliud nullomodo facere praesummatis, praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Pragae secunda die Octobris Anno Domini Millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

IX.

Donatio Honoris et Administrationis Comitatuum Zolnok mediocris et Crazna, Magnifico Georgio Báthory, durante beneplacito Regio et infra legitimam aetatem Georgii Drágffy, privigni eiusdem Georgii Báthory facta [1]).

Nos Ferdinandus &c. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: quod cum fidelis Noster Magnificus Georgius Drágffy, Comes Comitatuum Zolnok mediocris et Crasna, in tenera aetate constitutus, pro statu praesentium temporum, non possit officio Comitis, uti deberet, fungi, Nos ad plenum confisi de fide et fidelitate fidelis Nostri Magnifici Georgii Báthory, Vitrici ipsius Georgii Drágffy, officium et administrationem eorundem Comitatuum Zolnok mediocris et Crazna, cum suis solitis Jurisdictionibus, privilegiis, utilitatibusque et emolumentis eidem Georgio Báthory, durante Nostro beneplacito et infra legitimam aetatem praefati Georgii Drágffy privigni sui, duximus dandum et confirmandum tali modo, ut ipse iuramentum fidelitatis Nobis servandae praestet [2]) iudicium et iustitiam citra personae delectum in iurisdictionibus omnibus praedictorum Comitatuum administret, et administrari faciat; omnes, qui in praedictis sunt Comitatibus, in juribus et libertatibus suis conservare debeat et teneatur, attendatque et invigilet, ut proventus quicunque Camerae Nostrae Regiae, de iisdem Comitatibus provenire debent, Nobis fideliter administrentur; atque Mandata Nostra Regia et ipse observet, et ab omnibus in iisdem observari faciat; inimicis Nostris resistere, et cum Amicis amicitiam facere debeat; imo damus et confirmamus per praesentes. Ideo Vobis universis et singulis Nobilibus et alterius cuiusvis status et

---

[1]) Ita in libro Regio rubrum habet.

[2]) Art. 73. Math. Decr. VI. § 1. de Vices-Gerentibus Comitum Comitatuum.

conditionis hominibus, in praedictis Comitatibus existentibus et commorantibus, harum serie firmiter committimus et mandamus, ut a modo deinceps praefatum Georgium Báthory durante ut praemissum est, beneplacito Nostro, et usque ad legitimam aetatem dicti Georgii Drágffy pro legitimo et indubitato administratore Honoris praedictorum Comitatuum Nostrorum tenere et recognoscere, eiusque jurisdictioni parere, judicioque adstare ac in omnibus iustis et consuetis, nec non in his etiam, quae Vobis nostro nomine facienda commiserit, eidem obedire et obtemperare debeatis ac teneanimi; secus non facturi; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Viennae decima tertia Mensis Augusti Anno domini Milesimo quingentesimo quinquagesimo primo [3]).

---

[3]) Et has et proxime praecedentes, et quas subjungemus, tertias ejusdem argumenti literas Nicolaus Olahus, ab a. 1543 usque a. 1553 Cancellarius Regius, exaravit. Hic adolescens ad Aulam Vladislai II. venit, hominumque praestantissimorum usu et consuetudine, ac suapte opera eam sibi doctrinae, virtutis et industriae comparavit laudem, ut Ludovicus Rex eum in Secretariorum et Consiliariorum suorum numerum cooptaret. Stylo igitur Curiae Ludovici I. et Mathiae inde a juventute adsuevit, quod hae maxime literae probant, cum literis Ludovici I. per nos suo loco indicatis, quibus honores Comitatum aliis ad tempus et beneplacitum, aliis „vita eorum durante“ contulit, mire quam consentientes. Dum de illis agerem Dominicum filium Furgulan, qui Comitatui de Ugocsa „durante beneplacito Regio“ praefuit, per eruditissimum Antonium Szirmayium nimis quam propere Administratorem Officii Supremi Comitis vocari innuebam. Seculo enim XIV. XV. temporanei Comites hi, clarissimo art. 73. Mathiae Dec. VI. testimonio, Comitum Comitatuum Vices-Gerentes et Substituti in legum tabulis audiebant, a Vice Comitibus Comitatuum multifariam diversi. Hi enim, quod lex ea perhibet, coram Comitatu; Vices-Gerentes Comitum autem perinde atque Comites ipsi, ordinarie in conspectu Regis jurabant; Verba juramenti Vice Comitum lex ea praeit; de Comitibus vero, eorumque Vices-Gerentibus decernit, „quod tempore assumptionis ipsorum ad hujusmodi officia juramentum honestum de servanda fidelitate, et administranda justitia praestare debeant. Denique Vice Comes ex art. 5. 1504, nisi cum Consensu et voluntate Nobilium Comitatus, eligi non potuit, Vices-Gerentem ordinarie Rex, uti vidimus; ex privilegio tamen, aut concessione Regia saepe

ipse Supremus Comes delegit, quod in Comitatu Pestiensi Palatinus Regni exercet hodieque. Indicio autem Diplomatis, quo Joanni Comiti Pállfy dignitas Bani Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae collata est, 15. Jan. 1704 editi olim usu venisse videtur, ut Bani Honorem sive officium Supremorum Comitum Comitatus Zagrabiensis et Crisiensis Vice Banis conferrent. Et Caspar quidem Druskoczius, Maximiliano Rege, utrique Comitatui praefuit. Usus tamen hic jam ante a. 1704 interciderat. De Judicibus Nobilium, quos ratione juris coram Rege jurandi lex citata Mathiae, Supremis Comitibus, horumque Vices-Gerentibus adjungit, Transylvanorum est disserere. Apud quos Supremum Comitem Supremus Judex Nobilium, tam brevi auctoritatis intervallo proximus sequitur, ut formula quoque Juramenti eorum, sola ferme verborum tantum copia differat. Neque novo hoc more; jam enim sub tempus conditae legis illius Comitatus Transylvaniae singuli Comites duos, nullo supremi, aut vicarii distinctos epitheto habuere. Quorum alter negotiis belli, alter juri dicundo praefuit, usuque venit deinceps, ut posterior hic et filialibus et partialibus Sedibus judiciariis, quarum illae Colonorum, hae Nobilium causis definiendis celebrabantur, praeesset, inde, nisi fallor, Fő Biró dictus. Ex quo intelligas: diversum hunc esse et a Judicibus Nobilium in Hungaria, qui nec olim aliquando, nec nunc tanta pollent auctoritate ordinaria; et a Vice Comitibus in Hungaria, quorum nomen quidem in Transylvania non penitus obliteratum, sed huc delapsum est, ut gradu honoris Perceptoribus Vice Comites postponantur, nec pluris sint, quam in Hungaria Fiscales Comitatuum. Vide sis Kovachich Script. min. T. II. p. 384. Benkő Transylvania specialis; Kereszturi, Norm. Const. Jos. II. P. 1. § 44. Carol. Hodor Doboka Várm. Esmer. p. 394 — 449. Secundum hunc Administratores Officii Supremorum Comitum in Transylvania ab a. 1790 existunt, neque inter hos et Supremos Comites aliud interest, quam quod istos Gubernium Regium in literis suis Atyánkfia (Cognatos suos) appellet, non item illos. Si tamen Comitatus, cui praesunt, Supremo Comite careat, hujus in Comitiis locum Administrator occupat. Quod in Hungaria non obtinet.

X.

Donatio Honoris Comitatus Wgocha Magnifico Joanni de Peren facta.

Nos Ferdinandus &c. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod Nos considerantes fidelitatem et servitia tum Magnifici quondam Joannis de Peren, quae ipse Sacrae Regni Nostri Hungariae

Coronae, et deinde Matti Nostrae pro locorum et temporum varietate cum summa semper fidelitatis constantia usque ad extremum diem obitus sui exhibuit et impendit, tum etiam ea futura servitia, quae Magnificus Joannes similiter Peren filius dicti quondam Joannis senioris, qui licet in pueritia nunc existens, tamen aetate invalescente vestigia patris sui sequens, exhibere Matti Nostrae poterit, Honorem Comitatus de Wgocha, quem dictus olim Joannes de Peren pater ipsius, ex Nostra Regia gratia pro officio tenuit, nunc per mortem ejusdem legitimo Comite vacantem, cum omnibus suis solitis jurisdictionibus, privilegiis, utilitatibus, emolumentis et obventionibus eidem Joanni durante beneplacito Nostro duximus dandum et conferendum, eo modo ut ipse Joannes Peren interim, quoad ex aetate puerili ad adultam perveniet aetatem, ad munia ipsius Comitatus, quae sui essent officii, idoneos ac probos et sufficientes viros iuratos, suo quoque tempore pro Vicecomite suo tenere, et tandem idem Joannes aetate sua legitima adveniente iuramentum fidelitatis Nobis servandae praestare, ac judicium et justitiam citra personarum delectum in sua jurisdictione omnibus administrare, et omnes, qui in praedicto Comitatu sunt in suis libertatibus et juribus conservare faciat et teneatur; attendatque et invigelet, ut proventus quicunque Camerae Nostrae Regiae ex eodem Comitatu proveniunt, debite et fideliter administrentur, et quod Mandata Nostra Regia et ipse observet, et ab omnibus in eodem Comitatu observari faciat. Inimicis Nostris resistere et cum amicis amicitiam servare debeat. Imo damus et facimus praesentium per vigorem. Quo circa vobis universis et singulis Nobilibus ac alterius cuiusvis status et conditionis hominibus in praedicto Comitatu de Wgocha commorantibus harum serie firmiter committimus et mandamus, ut a modo deinceps praefatum Joannem Peren, durante ut praemissum est, beneplacito Nostro pro vestro legitimo et indubitato Comite tenere et recognoscere, eiusque et Vice Comitis sui, quem secundum decretum Regni in medio vestri constituerit, jurisdictioni et judicationi parere, et in omnibus licitis et consuetis eidem

obedire et obtemperare debeatis et teneanimi, secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in Civitate Nostra Vienna secunda die Mensis May Anno Domini Milesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo primo, aliarum vero vigesimo quinto [1]).

---

[1]) Literae hae eruditissimum Notitiae Comitatus Ugochensis auctorem latuerunt. Joannem igitur juniorem de Perény in Serie supremorum Comitum non memorat, viduamque ejus, pro vidua Senioris Joannis Perény pag. cit. op. 37 habet. Sed enim hanc nobis veniam damus, accipimusque vicissim. Quam equidem cum pro meis, Terentianum enim illud: homo sum, et intelligo et sentio, tum pro plurimis Operarum typi deprecor erroribus, quorum inire censum non erat otium.